CATANA ILLUSTRATA, SIUE SACRA, ET CIUILIS URBIS CATANAE HISTORIA A...

Vito Maria Amico



CATANA.

ILLUSTRATA,

SIVE

SACRA, ET CIVILIS URBIS CATANÆ HISTORIA

A prima ejusdem Origine
In præsens usque deducta, ac per Annales digesta.

PARS PRIOR.

OPERA, & STUDIO

S. T. D. D. VITI M. AMICO, & STATELLA
Benedictino-Casinensis Prioris.



****

CATANÆ MDCCXL.
Ex Typographia Simonis Trento
Superiorum Facultate.

ILLUSTRISSIMO. SENATUI.

CLARISSIMÆ.

URBIS. CATANÆ.

REGI. A. CONSILIIS.

ARMORUM. IN. BELLO. DUCI.

REI. PUBLICÆ. CUSTODI. AC. CURATORI.

D. Willelmo *Scammaccæ*, & Aretio *Patricio*.
D. Petro Tedeſchio, & Paternionio *Villermoſæ Baroni*.
D. Franciſco Paternionio, & Amico.
D. Franciſco Aſmundo.
D. Joſepho Aghatino Paternionio *Sigonæ Baroni*.
D. Petro Moncadę.
D. Petro Tedeſchio SS. *Annunciatæ Baroni*.
Senatoribus.
D. Didaco Paternionio *Baroni Salomonis Syndico*.

PRIOREM. HANC ANNALIUM. CATANENSIUM.
PARTEM-
OBSEQUII. MONUMENTUM.
GRATIQUE. ANIMI. PIGNUS.
D. Vitus M. Amicus, & Statella *Caſinenſis*.
D. D. D.

PRudenti ſane conſilio, Senatores Ornatiſſimi, ab Romanis legimus conſtitutum, ut Majorum Toga, aut Armis illuſtrium imaginibus, longo ordine expoſitis, cujuſque familiæ lares ornarentur, ſerique nepotes domeſtica veluti exemplaria præ oculis haberent, quorum intuitu ad majora quæque pro Patriæ gloria ſemper audenda excitarentur; reſque ab ſuis domi, foriſque pręclarè geſtas imitari contenderent, ac Reipublicæ ſimul, avitam provehendo

hendo famam, consulerent. Nec absimili quidem, immo saniori fortasse ratione, integram Catanæ Historiam, cui adornandæ improbus, & si tenuis noster labor desudavit, in lucem prodire, jurisque publici, Vestra Authoritate, fieri decrevistis; ut partum ab Antiquis Patriæ decus Cives nedum tueri, sed in dies promovere, egregiisque facinoribus augere niterentur; ac non alienæ, sed Gentilium suorum æmulatione virtutis, ad veram impelli laudem, atque ab improbè factis averti penitus possent; quandoquidem illi cerea tantum oris simulacra effingentes, quin hæc & temporum injuriis, & rerum vicissitudine pessum irent, ut ne vestigium supersit, vetare nequiverunt; Vos, Amplissimi Patres, monumentis perpetuò duraturis, Historica nimirum lucubratione Patriæ nomen omni fortunæ ludo longè superius reddentes, perennem præsentibus, posterisque Avorum memoriam commendatam voluistis, ut, ubi externorum exempla minimè delectant, rebus propriis, quæ altiùs animos subeunt, Cives afficerentur. Quod Vestris ergo sub auspiciis opusculum hoc, qualecumque illud sit, exiguum, atque incomptum lucem adspiciat, mirabitur nemo; Id nēpe et grati animi officium postulabat, & ratio ipsa exigere videbatur: ut Vestrum scilicet nomen fronti inscriptum præferret, quod Vestrum tot tantisque titulis esse dignoscitur; ut quorum consiliis, sedulitate, partâque longo usu prudentiâ Respublica, & incolumis servatur, novisque in dies ornamentis excolitur, æternùm in ejusdem Annalibus illustris memoria perseveret. Optimum interim Ego Numen obsecro, ut meliorem, feliciorem que, quàm accepistis, Patriam relinquatis, atque Vos, seramque posteritatem diù incolumes servet.

Dabam in S. *Nicolai Catanæ Kalendis Januariis* CIƆIƆCCXL.

SAcram, & Civilem Urbis Catanæ Historiam in præsens usque deductam a P. D. Vito M. a Catana Priore Casinensi elaboratam summa cum animi jucunditate perlegi jussu Reverendissimi P. D. Joseph M. a Papia ejusdem Congreg. Præsidis Generalis. In ea quippe insignem eruditionem ita cum gravitate, veritateque Historica connectit Sapientissimus Author, ut legentium mentes, non solum quid de antiquitate, nostrorumque temporum serie præclarissimæ Urbis Catanæ sine hæsitatione tenere debeant, edoceat; verùm diversis, ac nondum in lucem editis notitiis illam planè, firmiterque informet; quod si aliis Authoribus, qui ea de re scripserunt, evenerit, doctiorum judicium esto. Tanto igitur splendore patriam, tantaque suavitate Vetustatum amatores carere, cum nefas sit, meritò publici juris opus hoc fieri censeo; maxime cum ne vel minimum nævum, quo fides Catholica, aut mores ad Christianam normam exacti deformentur, offenderim. Ita ex animo Deo teste sentio, salva &c. ex hoc Siciliensis Provinciæ Archimonasterio S. Nicolai de Arena XIV. Kal. Octob: Anno MDCCXXXIX.

D. Ludovicus a Syracusis Lector, & Decanus Casinensis.

LIbrum, cui titulus: *Sacra, & Civilis Urbis Catanæ Historia &c.* summa veritatis historicę puritate, in enarrandis rebus dexteritate, Sicularumque rerum sacrarum, ac Civilium eruditione refertum a P. D. Vito M. a Catana in S. Nicolai de Arena Monasterio Priore Claustrali elucubratum de mandato Reverendissimi P. Præsidis nostræ Casinensis Congregationis attentè legi, & introspexi, eumque in qualibet sui parte, ut tacto pectore affirmo, fidei ac moribus consonum inveni. Platiæ in Monas. S. Mariæ Fundronis die XXIX. Augusti MDCCXXXIX.

D. Romualdus M. a Catana Decanus, Lector, & Concionator Casinensis.

D. Joseph M. Papia Abbas Præses Cōgregationis Casinensis.

OPus inscriptum: *Sacra, & Civilis Urbis Catanæ Historia in presens usque deducta*; cum duo ex nostris Theologis de mandato nostro accuratè legerint, nihilque in eo Catholicæ fidei, moribusve dissonum deprehenderint, illud edi posse ad Nos quod attinet, permittimus. Ferrariæ in Ædibus nostris Divi Benedicti pridie Idus Octob: MDCCXXXIX

D. Joseph M. a Papia Abbas Præses.

✠ Loco Sigilli

D. Benedictus Joannes a Mantua Pro-Cancellarius.

DUm ingenii sui lucubrationes Scriptores prelo committunt, æternum sibi nomen apud posteros conquirunt; quotquot autem priscis edendis historicis Monumentis operam suam conferunt, tum veteres, tum posteros demerentur, laudemq; omni ex parte non vulgarem assequūtur. Hanc sane promeruisse P. D. Vitum M. de Amico Priorem Casinensem non ambigo, de Clarissima Urbe Catana a sui fundatione ad annum 1041. libros conscribentem, quos de benignitate Domini D. Joannis Rizzari Generalis Vicarii mihi commissos, atque attente pervolutos publica luce dignos existimavi; sive quia nihil a fide dissonum, nil moribus contrarium animadverti, sive quia historicam sinceritatem, eximiamque eruditionem in iis sum admiratus. Et ita sentiebam ex Conventu S. Mariæ Novæ Lucis Pridie Kal. Januarii 1739.

Frater Eutychius a S. Flavia Augustinensis
Excalceatus Provinciæ Messanensis Moderator.

Nil contra Regem, nec contra hujus Regni Pragmaticas. & ita &c.

D. Ludovicus Nava Lector, & Decanus Casinensis.

Stantibus supradictis Approbationibus.

Imp. D. Joannes Rizzari)(*Impr. D. Ignatius Rizzari*
Vicarius Generalis.)(*pro Ill: de Loredano Pr.*

INDEX

INDEX.

LIBRORUM, & CAPITUM.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER PRIMUS.

CATANÆ ILLUSTATÆ LIB. II.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER III.

CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER IV.



PRÆFATIO.

DIu te in limine, Candide Lector, non immoror, paucisque caussas, quæ ad scribendum impulerint, quam sequar methodum, operisque institutum aperiam. Eruditissimi Octavius Archangelus, Joannes Baptista de Grossis, ac Petrus Carrera, illi quidem Catanenses Cives, Carrera, & si externus Patria, in nostros tamen propensissimus, spartam hanc disertè exornarunt; verùm nonnulla, nec forte pauca, neque obscuriora eorum stylo excidere. His itaque adnotandis, quum, succisivis horis, ac veluti per otium, ab hinc septennium, quodque excurrit, animum adjecissem, integram elucubrandi Patriæ Historiam, privatis studiis profuturam, cupìdo tandem incessit. Quod, ut clarissimus Vir Hiacynthus Paternionius, *dum fata, Deusque sinebant*, mei amantissimus, quocum omnia communicare consueveram, intellexit, suam mihi operam pollicitus, ut serio rem aggrederer, suasit; decusque Patriæ, cujus amore vehementius exardebat, ob oculos ponens, nutantem me, ad opus, quod plurium industriam viresque exigere videbatur, quamcitius absolvendum, consilio pellexit, suppetiasque promittens, ut cœptis insisterem, auctor fuit.

Archangelus enim, (ajebat) cui primas jure deferamus, oportet, civicæ pietatis stimulis actus, ingenti cum laude, Catanæ antiquitatibus laceris, atque dispersis medicas manus admovit, easque, quasi magno naufragio superstites tabulas, in unum congessit; in ejus tamen libris, & si à Valeriano de Franchis Benedictino-Casinensi Monacho, varia rerum accessione, Pontificumque Catanensium serie auctis, bene multa desiderantur; nec pauca sunt, quæ publici juris facta, ætati huic cæterarum omnium emunctissimæ negotium facesserent.

 Car-

Carrera, nostris siquis alius addictissimus, illustres Catanæ fastus, à primæva illius Origine ad Christi Domini adventum complexus, quam promiserat post reparatam salutem ad sua tempora Historiam, variis distractus curis conficere, fidemque suam liberare non potuit, atque ejus Adversaria, rei literariæ damno, aut pænitus intercidere, aut abscondita fortasse per Dracones thesauris suis incubantes, seu per invidos manuscriptorum possessores inter blatas, tineasq: alicubi delitescunt.

Grossus, denique improbo quidem labore, summaque ingenii vi scrinia omnia, ac tabularia scrutatus, quidquid ad Patriæ decus conducere advertit, vulgavit quidem; at chronologicam seriem, modo Pontificum Vitas excipias, minime sequutus, ad certa quædam capita præcipua revocans Catanę gesta, posteriorem *Decacordi* partem, nec curis secundis recognoscere, nec typis tradere, nescio, qua civili lacessitus invidia, è re sua duxit. Annalium verò, quos animo conceperat, suisque in libris quam sæpissimè testes advocavit, vix primas exaratas lineas, & quidem autographas, penes Eruditissimum Innocentium Roccafortium Cathedralis Ecclesiæ Alumnum, (asservari) novimus. Laudatos denique Authores in multis à vero aberrasse, Epistolisque Diodori cujusdam, Orophonis scripto, atque id genus aliis usos, é fontibus hausisse, qui recensioribus Criticis nullimode probantur. Vindicandus proinde Patriæ honor, ejusque Historia (subdebat) eâ, quâ par est, puritate edenda.

Et sane quum hominis, cui a prima adolescentia arctissimo fueram necessitudinis vinculo conjunctus, quęque acri judicio præditum probè noveram, consilio non obsequi lubenter, religioni penè ducerem, imbecillitatis meæ oblitus, pro ingenii viribus, quas sentio, quam sint exiguæ, provinciam suscepi, summaque contentione, variis licet muniis implicitus, Opus eò tandem deduxi, ut eruditis, deque me optimè meritis civibus offer-

re

re queam, in ſpem magnam, & ut confido veriſſimam, adductus, tenues hoſce induſtriæ meæ conatus, haud omnino aſpernaturos, & æqui bonique meis iri conſultum ſtudiis, ab iis præſertim, qui non vanis divinationibus, futilibusque conjecturis, ſed Vero fidem obſtringunt ſuam.

A primævis igitur Catanæ Incolis, ac Cõditoribus, celebriora ejuſdem facinora repetam, rerumque in ea belli, domique geſtarum in præſens uſque deducta recenſione, Populos, Principes, Leges, Inſtituta, Privilegia, Claroſque Viros, nunquam intermiſſa temporum ſerie, perſequar. Tum Agri Situm, Soli, Cœliq: Ingenium, Inſcriptos Lapides, Numos, cæteraque decora, ac Monumenta ſingillatim expendens, Patriæ Imaginem pro virili expreſſam Orbi literario ſpectandam, proponam: Quæ ſanè omnia, ut congruâ methodo diſpoſita, captuque facillima, ac juvandæ memoriæ per quam accommoda evenirent, quaſdam ſelegi Epochas, ſeu Æras, quas etiam in partes dividere oportuit, ne longiùs protracta oratio moleſtiam crearet, ſingulisque facta in earumdem ævum incidentia adſignavi. Quod ab aliis Siculæ Hiſtoriæ Scriptoribus *Fazello*, *Invegio*, *Aprile*, & *Caruſio* uſurpatum. Eamque nactus occaſionem, cum Principum, Regumque in Siciliæ Imperio ſucceſſiones, tum Inſulæ totius compendiarios veluti Annales inſerui.

Tribus porrò Tomis, Libriſque duodecim opus complexus ſum. Illorum primus Catanæ Hiſtoriam, ſeù Annales ab ejus Origine ad Saracenos per Northmãnos Principes è Sicilia exactos exhibet. Alter ad annũ ſæculi decurrentis quadrageſimum, quo editio hæc adornatur, geſtorum ſeriem producit. Tertius denique, nova, ac vetuſta Monumenta, Illuſtres Viros, atque id genus alia continet; ex his enim complura raptim in Annalibus commemorata, in hoc poſtremo ex inſtituto expẽduntur.

Jam verò, hæc ſcribens, in errorem abduci, Patriæ a-

amore, passum me fuisse nusquam, quod noverim, sanctè profiteor; singulorum caussas procul habui, & quę ab affectu Civium, vel partium studio excogitata, aut ab Antiquis, levi prorsus fundamento, tradita adverti, dissimulare minime veritus, solida, ac veriora, magisq: saltem vero proxima edere statui. Scriptorum verba, Catanæ gesta expendens, mea feci, ac plurium quandoque auctoritatem advocavi, synchronasque historias, &si *latino - barbaro* stylo exaratas, quæ in lucem nondum editæ, penes antiquitatis peritos,aut in publicis tabulis asservantur, transcripsi; Cæterum non is sum, qui mihi assenter, tenuique hoc opusculo ætatis hujus eruditissimæ oculos in me convertendos, plaususque obtenturum, mihi pollicear, quin vereor, ne inconsultus videar, quòd in detegenda clarissimæ Urbis facie haud satis pro dignitate adlaboraverim. Illud profectò affirmo, omnem me operam impendisse, ac quidquid in me fuit industriæ, in id contulisse, ut undequaque, ac suis numeris absolutam Patriæ Historiam exhiberem, illius originem in tanta rerum vetustate anxio conjecturarum studio expiscarer, abjectisque procul mendaciis, atque figmentis, omnia ejusdē lipsana divulgarē. Quod an fuerim assequutus, Sapientes, æquiq: rerum æstimatores viderint. Tu interim sin minus rectè hanc mihi cessisse aleam, præstantissimo, quo polles, ingenio, adverteris, non id voluntati, sed viribus adscribas meis, vulgatumq: illud Poetarum ingeniosissimi dictum tecum ipse repete:

Ut desint Vires, tamen est laudanda voluntas;
Hac, Ego, contentos, suspicor, esse Deos.



AD CATANENSEM HISTORIAM

APPARATUS

I.

CATANÆ ORIGO, EJUSQUE PRISCI CULTORES.

Difficilem sanè provinciam suscipit, qui Urbium vetustate, ac fama illustrium fundationem, nullo Antiqui Scriptoris suffragio fultus, expiscandam aggreditur; in tanta quippe temporum distantia, vel ipsæ rationabiles conjecturæ illum deficiant, oportet. At quũ primæ Populorum, Gentiumque origines, ipso divini Historici exemplo, qui integrum pene Geneseos librum illis edisserendis congessit, omni ferme ævo adeò sacræ, ac venerabiles ubique sint habitæ, ut eas silentio obvolvere, piaculum adhuc hodie credatur, operis difficultati, ut Patriæ honori obsequar, minimè cedendum duxi, deque Urbis Catanæ Fundatione, ejusque priscis Incolis, nonnulla, quæ certiora videntur, promere in ejusdem Historiæ limine, statui.

II. Si ex antiquissimis Siciliæ Urbibus Catanam dicamus, nihil nos facere videbimur, quod evidentibus, firmisque rationibus non innitatur; Græcæ nihilominus originis, recentiorisque ætatis opus complures è Siculis, externiq; pene omnes Historici illam vulgarunt, Thucydidis potissimum testimonio usi, qui *lib. 6. Belli Pelopon.* ex Cluverii interpretatione (*a*) ait: *Theocles vero, atq; Calcidenses è Naxo profecti, septimo post conditas Syracusas anno, Leontinos, ejectis Siculis, condiderunt, ac dehinc Catanam. Coloniæ autem deductorem sibi constituerant Catanenses Evarchum.* Thucydidi consonat Strabo *lib. 6.* scribens: *Catana à Naxiis condita est.* Designat hujusque Urbis nostræ ortus tempora laudatus Cluverius eodem capite: *Anno* scribens, *post Trojanum Bellum* cccc xxxxviii. *idest Olympiadis* xi. *anno primo, in Siciliam venisse Theoclem cum Chalcidensium Colonia, supra cap. 2. ostensum est; proximo verò anno post, condite fuere Syracusæ, eodem Thucydide ibidem teste. Octavo igitur anno post adventum in Siciliam Theoclis, idest Olympiadis* xiii. *anno primo, ante natum Jesum* Dccxxviii. *Catana fuerit condita.* Eusebii Chronicon S. Hieronymo interprete in annum ab Orbe condito cccclvi. eamdem rejcit, Aesimede quarto jam anno Athenis regnante; quamvis alibi præferat Catanæ exordia Naxo, & Chalcidensium adventui annis ferme Dcлxv. ut paulo post demonstrabimus.

(*a*) *Sicil. antiquæ lib. 1. cap. 8.*

III. Verum Thucydidis verba longè aliter Laurentius Valla Eruditis notissimus interpretatur. *Insequenti anno Archias ab Hercule oriundus, è Corintho, Syracusas incoluit, expulsis prius ex* (*a*) *Insula*

(*a*) *Insulam intelligit hìc Ortygiam, quæ olim parvo freto à continenti separata, mox conjuncta, hodie verò, medio ponte Isthmo unitur.*

ſula Siculis.Verùm Theocles,atque Chalcidenſes è Naxo profecti, ſeptimo poſt inhabitatas Syracuſas anno, Leontinos, ejectis Siculis, incolunt, ac dehinc Catanam, cum ipſi Catanenſes Evarchum feciſſent Coloniæ auctorem. Congruit latinæ Vallenſi interpretationi Italica per Franciſcum de Solido Strozzi adornata, ac Typis Venetis Gabrielis Gioliti MDLXIII. edita, aliaque Hiſpanica è Græco textu ab Didaco Gratiano confecta anno MDLXIV. Salmanticæ excuſa, quarum prima: *E Thucle partendoſi con i Calcideſi di Naſſo l' anno quinto doppo, che fu habitata Siragozza, habitarono la Città di Leontini, avendone cacciato i Siciliani, e doppo queſto habitarono Catania; ma eſſi Catanei fecero Evarco lor primo capo*. Hiſpanica vero: *Un año deſpues dela venida delos Calcidenſes, Archia Corinthio que venia delos deſcendientes de Hercules vino ad habitar a quel lugar, d'onde al preſente es Saragoza,aviendo primeramente alanzado de allì los Sicilianos, què la tenian. Paſſado eſto, ſiete años deſpues, Theocles y los Calcidenſes ſalieron de Naxos, y venieron ad echar los Sicilianos,que moravan en la Ciudad de Leon, y la tomaron; y lo miſmo hizieron en la Ciudad de Catania, d' onde alanzaron a Ebarco.* Et congruentiùs,ſanè,atque ad Thucydidis mentem accomodatius præ Cluverio, Valla, & alii loquuntur, Græcumque verbum *Oekizo* ab Hiſtorico uſurpatum per *Inhabito*, aut *Incolo*, latinum reddunt, ut Eruditis eſt palam. Clariſſimè Græcus Scriptor aliunde expulſos ab Archia Corinthio ex inſula, ubi nunc Syracuſæ, Siculos, tradit, eoſque etiam ab Leontinis Duce Theocle ejectos innuit, ac ſibi Coloniæ Deductorem creaſſe Catanenſes Evarchũ,ſubdit, ut hinc aſſequamur,cultas jampridem per eoſdem Siculos Urbes illas, atque in primis Catanam,antequam Græci ſeſe in Siciliam inveherent;

Co-

Colonos quippè deducere ejus, qui loco frequentiam inducit, potissimum est munus.

IV. Illud accedit: Urbes, ut plurimum, quæ extant, condi, aut exædificari, quum augentur, ac reparantur, ab optimæ notæ Authoribus passim dici. Hinc Samuel Bochartus (a) Lilybæum à Carthaginiensibus conditum, post Motyen à Dionysio Tyranno expugnatam ex Diodoro Siculo adstruens, hæc subdit: *Cui loco frustra opponitur, quod idem Diodorus lib. x. narrat, annis scilicet ante Motyes excidium plus minus quinquaginta, bellum inter Egestanos, & Lilybetanos esse exortum super agro ad Mazaram fluvium sito; unde sequatur Lilybæum multo ante extitisse: nam quæ extat Urbs, condi dicitur, cum augetur, & reparatur. Extabat igitur Lilybæum etiam ante captam Motyen; sed tunc demum evasit celebris novis Coloniis additis.* De Catana porro loquens sequenti capite scribit: *Ad Amenani ostium Catana, Catna Parvam sonat; nempe Catana erat oppidulum, antequam Naxii illud auxissent Coloniâ eò deductâ. Evarcho Duce, quos proinde Græci suo more habuere pro Catanæ conditoribus.* sed hanc Bocharti, quo ad Catanæ Etymon, censionem paulopost expendam, refellamque. Jam vero ex Marcionis Heracleensis textu (b) clarissimè, quod intendebam, evincitur: profectos nempe è Naxo Chalcidenses Urbem nostram incolis frequentasse, minime verò primos condidisse. Habet enim:

Post hæc è Naxo Leontini, &
Quæ ex adverso Rhegii
Ad fretum Siculum sita est,
Zancle, & Catana, & Callipolis acce-
pere Colonias.

Satis profecto constat Zanclam, hodie Messanam, longè primas Græcorum in Sicilia Colonias fundatione

(a) Geogr. sac. lib. p. cap. 27.

(b) In Periegesi, seu descrip. Orbis Terrarum.

tione sua præcessisse, idque multis ostendunt Scriptores Siculi, probatque Cluverius (a) A Naxiis ergo novi tantùm in eam habitatores invecti; idque etiam de Leontinis, Catana, & Callipoli intelligendum, ut præ cæteris Marius Aretius *de situ Siciliæ num.* 20. Joannes Baptista Carusius *Hist. lib.*2. Aprilis *lib.* 1. *cap.* 6. Petrus Carrera *Mem. Hist.Catan. lib. p. c. p. &* 52. aliique disertissimè ostendunt.

V. Cæterùm Thucydidem Græcum hominem patrio more, suis adscripsisse præstantissimarum in Sicilia Urbium origines, quispiam non incongruè dixerit. Josephus Hebræus (b) hac Græcos censura inurit: *Græci sunt hujus rei Auctores, qui posteris temporibus comportati, etiam antiquorum gloriam propriam effecerunt, & gentes nominibus exornarunt*. Et Valerianus Pierius (c) *In nulla re*, ait; *magis Authores diversi abeunt, quam in Urbium originibus; dum Græci sibi omnia adscribunt, Latini sua possidere contendunt*. Ex his itaque, dilucidè satis, crediderim, fieri compertum, quam longè a vero abluserint, quotquot ex Thucydide Catanam Græcis Civitatibus accensere, non dubitarunt; Reliquum nunc est, ut quinam nostræ Urbis, ejusque soli primi Cultores fuerint, paucis subjiciam; quod ut faciliori via assequar, totius Insulæ initia altius repetam.

VI. *De Siciliæ priscis incolis* (Bocharti verba mea facio) *mira fabulantur Veteres, quorum pleraque Thucydides lib. 6. in pauca confert*. Fazellus Beroso Anniano plus æquo deferens, fabulas de Saturno, quem Chamum Noe filium credit, nimia facilitate amplectitur, eumdemque Saturnum cum suis primum Siciliæ habitatorem adstruens, Urbis Chamesenæ Auctorem facit (d) Annio fortasse fabulandi occasionem præbuit Diodorus, qui lib III.

(a) *Lib.p. Sic.Antiq. cap.p.*

(b) *Antiq. Judaic. lib. p. cap.* 10.

(c) *Hierog.lib.*15.

(d) *Dec.* 2. *lib. p. cap. p.*

* Saturni adventum in Siciliam clariſſimè innuit, eumque Regnum ea in Inſula obtinuiſſe ſcribit, atque arces Urbium, & loca editiora tenuiſſe, quæ *Saturnia* idcirco ſunt appellata. Chameſena, quò loci ſita fuerit, ſe nondum in comperto habere, ingenuè Fazellus profitetur; Leonardus tamen Orlandinus Drepanum fuiſſe contendit, cui Pirrus adheret (a) Cæſar Wolphangus Pighius Leontinos cenſet; Bonfilius *in ſua Meſſana* Urbem hanc Authorem habuiſſe Chamum ſcribit; Eruditiſſimus denique Carrera Octavii de Archangelo conjecturis potiſſimum innixus: Chameſenam, ubi nunc Catana, olim fundatam dicit (b) Guarnerius, & Groſſus aliique ex noſtris ficti Orophonis decepti mendaciis, prope Catanam ſtatuunt, ad Xiphonium promontorium. (c)

(a) *Nat. Eccleſ. Mazarenſis.*

(b) *Mem. Hiſt. lib. p. cap. p.*

(c) *Zol. Hiſt. narr. p. Decac. tom. 2. cord. 6. mod. 12.*

VII. Meliori via Marianus Valguarnerius Fazelli opinione rejecta, Eliſam Javani **, Filium, Japheti Nepotem cum ſuis, quos Æolicos appellat, Siciliam primo incoluiſſe, tradit (d) firmatque ex ſacris Paginis opinionem, ubi de Eliſa, & fratribus dicitur Geneſis X. *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ Gentium in regionibus ſuis.* atque ex Euſebii Chronico, Cedreno, aliiſque, penes quos illud: *Eliſa ex quo Siculi*, perquam frequenter occurrit, ut Invegius, Aprilis, ac noſter Carrera etiam advertunt, paſſimque ſacri Interpretes, ac Chronologi referunt. Denique Joannes Baptiſta Caruſius Siculæ Hiſtoriæ accuratiſſimus Scriptor ævo longè inferiori primos in noſtram hanc Inſulam habitatores inducit, refellit-

que

(d) *De antiq. Urbis Panor. fol. 161.*

---

* *Saturnus in Sicilia, & Africa, nec non Italia, uti perhibent, regnavit, imperiumque in occiduis orbis partibus conſtituit, & ubique præſidiis per arces, & munitiones diſpoſitis, ſubditos in officio continuit: quo factum eſt, ut per occidentales Siciliæ partes etiamnum editiora paſſim loca Cronia, ideſt Saturnia nominentur.*

** *Javan idem ac Saturnus, cujus meminit Diodorus, juxta Valguarnerium, Gentis Græcæ Author.*

que variis rationibus Valguarnerium ; nullique hominum ante Pelasgos * Siciliam patuisse, mordicus substinet. Vtut res sit, hæc enim ex instituto exponere, longum esset, id ferme apud omnes inconcussum: Cyclopes, atque Læstrygonas, Phæacos, & Lotophagos, quicumque illi fuerint, initio universam pene Insulam occupasse, Ætnæque montis fines, atque Orientales ejusdem plagas tenuisse; Ex his proinde Catanæ exordia repetenda.

VIII. Non me fugit, exleges illos fuisse, Homero teste in Odyssea, domosque, ac Urbes habuisse nullas, speluncis denique ad vitæ agrestis commoda usos; nec is sum ego, qui cæco Patriæ amore rapi me sinam, ejusque mænia, ac turres per Cyclopes extructas velim; Illud sanè contendo, sub ipsis initiis, ab Insulæ priscis incolis jacta Urbis nostræ fundamenta, unde longo temporis tractu, adeo celebris, atque insignis emersit. Quamvis Gigantum opus Catanam non incongruè dixerim, ac vel levi tentata manu ostenderem, laudati Valguarnerii conjecturis potissimum fretus. Hic enim totus est, ut evincat: primis Siciliæ Cultoribus, seu Gigantibus fuisse Urbes in planis maximè regionibus, seu veriùs, patentes undique terras ortum spectantes eosdem incoluisse. Quidni & nostra, quæ orientem respicit Solem ab ipsis condita? Nec enim, ut ille observat, exædificandi Urbes artem ignorasse, Gigantes, credendum, quorum Parentes in campo Sennaar ante Gentium divisiones Turris Babel

* *Suos Æolicos Valguarnerius Pelasgos etiam appellat; Bis porro Pelasgos deduxisse suorum Colonias, Historici produnt Elisæ & Javani scilicet ævo, atque Abraami ætate; illosque ex Japheto originem traxisse dicunt.*

(a) Lib. 7. Hist. cap. 56.

authores fuerant. Hinc Plinius (a) *Turres, ut ait Aristotiles, invenere Cyclopes*, & Virgilius

.... *Cyclopum educta caminis*
Mœnia conspicio.

Ad suam porro firmandam sententiã ejusdem Poetæ testimonium profert inter alia Valguarnerius:

Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.

(b) Ad lib. 2. Æneid: circa medium.

Ubi Servius Comm. (b) *Ad littora vulgo. ne tantum in montibus esse viderentur*. Nec nisi de Ætnensi Regione, quæ ad ortum vergit, intelligere potuisse Maronem, ii norunt, qui libri ejusdem tertii Æneidum contextus excurrunt. Mirari profectò subit: Authorem hunc Syracusas, Leontinos, suamque Panormum conditas ab Gigantibus Urbes palam vulgare; Catanam vero sub ipso Ætna monte sitã, suppresso nomine, cum cæteris confundere, quum ex Poetæ verbis una præ aliis posset jure merito, extructis per Gigantes Civitatibus accenseri; quod satis etiam innuere videtur Strabo (c) dum ait: *Æolum adjacentibus Liparæ Insulis imperitasse, vicina itidem loca Ætnæ, & Leontinos Cyclopes, & Læstrigones, immanes quosdam homines tenuisse.*

(c) Libr. 6. de Situ Orbis.

XI. Cyclopes excepere Sicani, quorum originem fusius suo loco expendam. Hos planè ad ortum sub Ætna monte sedes locasse ex Diodoro *lib. 6.* assequimur. Quandoquidem scribit: *Sicani olim vicatim habitabant, urbes in collibus, ut quisquis natura munitissimus erat, sibi propter latronum incursus, extruentes; ac primitus quidem universam incolebant Insulam, agros colentes, ex quibus vitæ cibum sumebant. Postmodum Ætna, ignes, qui proximas regiones urebant, eructante, cum plures annos id incendium patriam vastaret, timore acti, omissis orientalibus locis, partes, quæ ad occidentem vergunt, petivere.* Ast

Ca-

Catana, inquies, per oram sese effundit maritimam, Sicanorum urbes in collibus ad latronum impetum coercendum locatæ. Ita sanè: Terra tamen, cujus cultu sibi ad vitam necessaria illi comparabant, quæque incendiis vastabatur, eorumque Patria dicitur, Catanæ finibus conclusa, quos Ætnæ ignes, constat, excessisse numquam. Ea igitur per Sicanos, aut inhabitata, aut culta; nec circa Regionem, ubi nunc Catana, colles desiderantur, quos munire contra noxios poterant.

X. *Post multas ætates*, prosequitur Diodorus, *Siculorum Gens ex Italia cum familiis universis in Siciliã transgressa relictum à Sicanis agrum occupavit.* Et paulopost idem de filiis Æoli loquens, subdit: *Hujus regionis agros, qui ad orientem vergunt, coluere* Siculi; *qui ad occasum spectant*, Sicani. *Hi invicem diffidentes, Æoli filiis, tum propter vulgatam Parentis pietatem, tum ob eorum in se curam, ac diligentiam, paruerunt. Imperavit quoque Xuthus* (secundus Æoli filius) *ei parti, quę ad Leontinos vergit, usque ad hæc tempora ab eo Xuthia dicta.* De Siculorum porro in Sicaniam transitu hæc Dionysius Halicarnassensis (*a*) habet: *At* Siculi, *Pelasgis simul, & Aboriginibus bello impares, liberis, ac conjugibus cum auro, & argento sublatis, totam Regionem* (Latium scilicet) *eis cesserunt, versique per montana ad meridiem, peragrata omni inferiore Italia, cum undique pellerentur, tandem paratis ad fretum navibus, & observato secundo æstu, ex Italia trajecerunt in proximam Siciliam.* E freto igitur Mamertino ad Leontinos usque sese effuderunt, proximasq: Catanæ regiones dubio procul occuparunt. Sed clariùs ad rem nostram Constantinus Prophyrogeneta in Themate Siciliæ: S*iculi*, ait, *transgressi in Insulam, que tunc* Sicania *dicebatur, sedibus circa Ætnam positis*

(*a*) *Hist. Antiqu. Roman. lib.* 1.

tis, eam incoluerunt, una cum Siculo Rege suo Regnum illic stabiliente, quæ tunc ab hoc Siculo vocata est Sicilia, optimaque ejus loca tenuerunt. Inter optimas verò orientalis plagæ terras fertilitate præstantem, deliciisque, ac commodis uberem Catanæ agrum quis non recenseat? De Siculis suo loco.

Sub hæc ipsa tempora Phœnices per insulam passim habitaverunt, eodem Tucydide teste, *occupatis ad mare promontoriis, ac parvis Insulis, negotiandi cum Siculis gratia.* At Siculi ab initio nostras tenuere regiones; Phœnices hinc negotiatores in easdem sese effudisse oras, ut illos convenirent, inficiabitur nemo. Illud accedit: Phœnices hosce, non ex Africa tantùm, ut Pausaniæ *in Eliacis*, ipsique etiam Thucydidi arridet, in Siciliam trajecisse, sed ex Asia, ut cum Diodoro *lib. 6.* multis probat Bochartus (*a*) Liquet autem, Tyriis Phœnicibus ex Asia solventibus, quæ ad ortum vergunt littora, ubi Catana, primùm occurrere.

(a) Lib. 1 Geogra. cap. 17.

XI. Jam vero quod spectat clariora, ac felicia Græcorum tempora, id quidem inconcussum: perperam ab Diodoro Siculo illis maritimarum urbium exordia adscribi hisce verbis: *Ultimas in Siciliā Colonias miserunt Græci illustres, à quibus urbes maritimæ sunt conditæ.* Quandoquidem Græcis authoribus nonnullas exordia, quasdam verò civitates, nonnisi incrementa, accepisse, vel ipsomet Diodoro teste, abunde constat. De Orione enim disserens, scribit, (*b*) *Zancloto in Sicilia regnante, urbem ab eo dictam Zanclam, quæ nunc Messana est, edificavit.* Herculem deinde libro eodem Insulam universam circumeuntē inducens, Heracleæ conditorem dicit; atque ad Urbem Syracusarum digressum, auditis, quæ de Proserpinę raptu, Cererisq; lachrimis ferebantur, Deabus illis sacrificasse, subdit;

(b) Lib. 5. Bib. c. 15

Her-

Hercules porro, & Orion longissimo temporis intervallo Græcas colonias præcesserunt; Messana, Heraclea, Syracusæ Urbes maritimę eorumdem ævo conditę calamo cespitasse Diodorum, clarissimè arguunt.

XII. Ab eo etiã tẽpore, quo in Siciliã Græci trajecerunt, *cum Phœnicibus armis perpetuò contenderunt*, inquit Thucydides, *donec eos omni ora maritima, quam antea tenuerant, pellerent*. Maritima igitur ora ab Phœnicibus, ante Grecorum appulsum occupata: Moyten denique Solentum, aliasque juxta mare extructas Urbes, priusquam Græci in Siciliam transmitterent, id quod dicebamus, conficere, nemo non videt: à Gręcis nempe Colonos accepisse Urbes maritimas potius, quam initia, atque in primis Catanam èNaxo profectos Evarcho Duce.

XIII. Quod si Eusebii Chronico deferre aliquid velimus, Catanæ Origo Sicanorum ævo respõdet; ad annum quippe CIↃCIↃCIↃCCXCV. Orbis conditi hęc habet: *Cathinia condita est, & Siside in Sicilia*. Quod non è propria penu, sed ex antiquiore, aut ex Julio Africano excerpsit Eusebius, qui mox ad annum CIↃIↃↃCCCCLX. scribens: *Catinia in Sicilia conditur*, post illa verba: *Naxus condita in Sicilia*, *Syracusæ condita*, de Græcorum coloniis intelligere, evidentissimè ostendit. Porro fundatio illa Siculorum in Siciliam adventum annis CLV. Trojæ verò excidium annis CCXXV. Romæ ortum DCXLVIII. Humanæ denique salutis exordia MCCCCIV. annis præcessit juxta ejusd: Eusebii computũ, qui Christi Domini Nativitatem anno Mundi IↃↃCXCIX. reponit, Ilii casum CIↃIↃↃXX. Urbisq: initia CIↃIↃↃCCCCXLIII. statuit. Scio Laurentium Bolanum notissimæ famævirum, deque Patriæ Historiis, si quis alius, optimé

mè meritum in M.S. Opuſculo Catanæ primordia in annum Mundi CIↃCIↃDLIV. rejicere, Inſtaurationem verò in annum CIↃCIↃCIↃCCXCII. Ezechia Judęis imperante, ut refert Groſſus. (a) Sed Euſebii Chronico Bolani computum omnino reſpondere, inde colligo, quod Euſebius ſub ejuſdem Ezechiæ Regno Græcorum colonias in Siciliã inducit, quos Catanæ inſtauratores paulò ſuperius vidimus. Bolanus quippe Chriſti Domini Natalem circa Mundi annum CIↃIↃↃ. cum ſaniori Chronologorum cętu conſignat, penes quos triceſimum primum Orbis conditi ſæculum in Quintum, & Quadrageſimũ Euſebii incidit, quo Catanæ Inſtauratio per Græcos ſtatuitur.

(a) Decacor. Cat.

XIV. Hæc, quæ in medium proferrem, de Catanæ Fundatione, & Origine, ejuſque primis Incolis habui; vetuſtiorem ex his, quæ fabulantur Poetæ, nec citra rationem, alii putaverint; Id tamen, ſubticentibus antiquis Hiſtoricis, conjeſtare quidem, ſed certocertiùs affirmare non auſim.

CA-

II.

CATANÆ ETYMON.

I. LOcis ferme omnibus, vetustate aliqua, aut quovis etiam levi titulo, ubique gentium celebratis ex Hebraicæ linguæ radice, cui Phœnicius sermo prorsus affinis, nomen obvenisse, multis, firmisque argumentis, ac conjecturis in suo præclaro opere conatur ostendere vir summus, nullique linguarum peritiâ secundus, Samuel Bochartus jam superiùs laudatus. Nostræ hinc Urbis Etymon pari ratione interpretatur, scribens (*a*)*Catana*, Catna *Parvam sonat, nempe Catana erat Oppidulum, antequam Naxii illud auxissent*. Verùm, &si Naxios auxisse Catanam non inficior, è Phœnicia tamen dialecto ejus fluxisse nomen, facile negaverim; quū ex eodem fonte reliquas deductas voces Siculas, in dubium revocent Eruditi. Marianus enim Valguarnerius in suo celebri Opusculo *de Panormi Origine*, ex Græco Æolico eruit, quæ Bochartus ex Hebraico, seu Phœnicio deducit Idiomate. Hinc, ut observat Carusius (*b*) verosimile potius, quàm verum uterque Author est consectatus. Opidulum ergo ante Naxiorū Coloniam fuisse Catanam, levi prorsus fundamento asseritur, quin ab exordio frequentia celebrem illam satis arguunt, cum agri ubertas, Cæli temperies, Situs opportunus, Portusque securitas, tum commoda ad vitam, quibus nostra præ cæteris abundat regio, nisi alia suppeterent, quæ superius prægresso Capite enumeravi.

(*a*) *Geogr. sac. lib. p. cap. 28.*

(*b*) *Hist. Sicul. lib. p. tom. p.*

II. Matthæus Silvagius Catanensis Civis ab scientia notissimus, in suo *Trium Peregrinorum Colloquio*, hæc de Catana scribit: *Plinius lib. 4 cap.*

D *6. de*

6. *de Arcadia* : *Oppida ejus Panopolis , Mantinea ... Catina , Bocalium . Ex hac Catina Arcadiæ nonnulli testantur , quod originem duxit Theocles Coloniæ Ductor Chalcidentium in Siciliam, & ex ejus Patriȩ nomine Siculæ Catinæ Civitati , quæ nostra est Patria , nomen indidit , ut etiam testatur Hermolaus* . Sed ex Arcadia , ejusque Urbe Catina oriundum Theoclem , uno excepto Silvagio, alius dixit nemo. An id scripserit Hermolaus Barbarus suis in Pliniū eumdem Commentariis satis celebris , quem consulere non licuit , exploratum non habeo . Sanè Marcianus Heracleensis in sua *Periegesi* seu Orbis descriptione clarissimis eum verbis *Atheniensem* appellat .

Post hæc Græcas
Habuit Urbes , ut ferunt , post bella Trojana ,
Quinta decima ætate , Theocle classem
A Chalcidensibus accipiente ; Erat autē hic genere
Atheniensis.

Strabo, Theoclem *ab suis Atheniensibus* frustra homines , ut secum in Siciliā transmitterent , petiisse, ad Chalcidenses porro conversum , eosdem facilè impetrasse refert (*a*) Marciano autem , ac Straboni Hermolaus longè recentior neutiquam præferendus . Denique Petrus Carrera (*b*) Catinam Arcadiæ accepisse potius ab hac nostra , quam illi dedisse nomen , opinatur .

III. Ab. Evarchi Calcidensis Uxore *Catana* Josephus Carnevalius appellari Urbem Catanā vulgavit; (*c*) id tamen figmenti unde eruerit, nō video. Fazellus a Grȩcis se accepisse tradit : (*d*) Catanā dici *a Catano* Calcidensium Duce ; Sed Thucydidi Dux Chalcidensiū Theocles, Coloniæ Catanensis Ductor Evarchus . Christophorus, Scanellus *in Chronico Siciliæ* ex Thucydide, Polibio, Strabo-

(*a*) *De situ Orbis lib. 6.*

(*b*) *Tom. p.lib.p. cap. 52.*

(*c*) *Sic.Hist. lib.p.*

(*d*) *Dec. 1. lib.3. cap. p.*

bone, Diodoro, & Ptolomęo Chalcidensibus Hechatæũ fuisse Ducem, ab eoque Catanam Hechatæam nuncupatã dicit; id autẽ in laudatis Authoribus desideratur. Stephani quidem Byzantini *Epitomator* Hechatæi meminit, quem Catanæ conditorem adstruit, sed aliunde Urbis nostræ Etymon deducit, dicens: *Catana Urbs Siciliæ, authore Hechatæo, in Europa, dicta autem ab eo, Quod Theoclis Chalcidensis navis in* (*) *Amelianũ Flumen ascendit. Nam Dorienses reliquorũ Græcorum Nayn sine y dicunt Nau.*

IV. Ex Genticis quidem Scriptoribus laudatus refert Carrera, Catanam quasi *Kat Ætnam*, idest *sub Ætna positam* appellari; Græcis enim *Kata Sub* sonat. *Ætnapolis* quoque nomine olim insignitam quamdam Urbis regionem ex Blundo colligit. Catanam sanè Hiero Rex circa Olympiadem LXXVI. Ætnam dictam voluit, ut Diodorus, Straboque testantur; verùm id posterioribus longè sæculis factum, mortuoque Hierone priscum assumpsit Urbs nostra nomen, ut passim tradunt Historici.

V. In eamdem Carreræ sententiam pedibus ultro ire videtur Gervasius Tornaceus (a) Catanæ nomen ab *Kata* & *Ano* idest *Sub Alto* deducens. Urbs enim Catana sub altissimo totius Insulæ, imo & Italiæ monte, sita jacet. Quũ enim à primis Siciliæ Incolis conditã Catanã, satis in superioribus sit demonstratum, sivè Æolici illi fuerint, ut Valguarnerio arridet, sive Pelasgi, ut Carusius tradit, è Græca dialecto ejus fluxisse nomen, evidens omnino erit. Hinc Humbertus Goltzius varias referens

(a) *Præf. ad Hug. Falcan.*

(*) *Amelianum perperam appellat Stephanus Amenanum, qui mediam interfluens Urbem, hodie* Judicello *corruptè, & Amasenus a Catanensibus Scriptoribus dicitur, ut Cluverius optimè observat.*

ferens de Catanæ Etymo opiniones. *Rationem nominis Catanæ*,ait, *nonnulli ad Catanum Coloniæ conditorem referunt; variant tamen alii, qui nominis originem ex vocibus* KatAno *confusis sumunt, deducta ex situ Urbis vocabuli caussa, eoquod Catana ab Ætna digredientibus in proclivi planitie sita est. Sunt etqui nomen ejus inde factum opinentur, quod Catana eò loci condita sit, ubi Theocles ad Amenam flumen, quum condendæ Urbi sedem quæreret, navem appulisset, quasi* Katà Nan, *hoc est juxta Navem esset condita*. Mitto hìc quorundam opinionem, qui ex Catano Saturni, & Zanclot fratre, Chami, & Senæ filio nomen inditum Urbi Catanæ dixerunt cum Orophone; hæc enim prorsus fabulis accensenda.

VI. Cæterum vulgò *Katane* ab iisdem Græcis dicitur, usurpaturque etiam ab Latinis Poetis, ut in Silio:

Tum Catane nimium ardenti vicina Typhœo.

Vitandus hinc Jo:Bap. Guarnerius, (*a*) ex hoc Silii carmine Urbem nostram Tetrapolim adstruens, quasi plurium numero *Catanæ* fuerit à Silio appellata; *Catanæ* enim adjunctum *Vicinæ* responderet, essetque carmen vitio obnoxium, quod Author Sicil. in Prosp. advertit. (*b*) Apud Historicos,& Oratores, Catana dicitur, & Catina, maximè Ciceroni; Cathinia apud Eusebium, unde & Cathinienses Justino, quem malè idcirco sugillat Cluverius. Urbs denique Cataniensis passim in diplomatis, ac ævi medii Scriptoribus audit.

(*a*) Gleb: Hist. nar. p.

(*b*) Tom.2 fol.202.

CA-

III.

CATANÆ SITUS,

AMPLITUDO, CELEBRITAS.

I. AD radices Ætnæ celeberrimi totius Orbis, nedum Siciliæ, Montis, Jonio mari abluta sedet Catana: *Ad Jonium Mare*, inquit Mela, (*a*) *Illustris Catana surgit*; quà Insula hybernum respicit ortum, sub quinto Cœli clymate, ut Silvagius scribit (*b*) ad longitudinis gradum nonum atque tricesimum, latitudinis vero tricesimum septimum cum quadraginta pene minutis. Eximia hinc, ac singulari gaudet aeris, atque aquarum salubritate, frugum abundantia, agrique perenni fœcunditate, ut ne dum Civibus, quos acri ingenio præstantes gignit, usque ad delicias, sed et finitimis, ac toti pene insulæ, exterisque etiam, ac remotis vitę commoda largissimè suppeditet; meritoque ab Alphonso Rege (*c*) *Ejus Cœlo vix ullum in Sicilia purius, ejus agro nihil uberius, ejus situ nil esse gratius*, asseritur.

II. Tetrapolim fuisse olim, idest Urbes quatuor, seu verius Regiones, quarum quælibet par urbi, complexam, cum Petro Blundo *De Admirabilibus Siciliæ* Archangelus, Grossus, Carrera, aliique ex nostris adstruunt, singulisque proprium fuisse nomen tradunt: *Ætnapolis* ad Aquilonem sita, quæ potius suburbium mœnibus vallatum, pedibusque ferme xx. à secunda regione distabat. Huic nomen *Dimitiraja*, seu ut accuratius observat Author Siciliæ in Prosp. (*d*) *Demeterea*, à Cerere sic dicta, quam Græci *Demetir* seu Terræ Matrem appellant. Templum enim totâ Siciliâ insigne regioni insidebat,

(*a*) *De Situ.Orbis.*

(*b*) *Colloq.Trium Peregr.*

(*c*) *In Diplomate anni* 1445.

(*d*) *Tom.* 2. *f.* 203.

bat, quam ad occasum, & Septentrionem sese extendisse ex ejusdem templi, aliorumque ædificiorum ruderibus eruunt. Tertia subsequebatur à foro & Templo *Lunæ* nuncupata, & tandem quarta mari proxima ad Meridiem *Catana* appellata, unde reliquis postea nomenclatura. Hactenus illi. Ego ex ruderibus passim in recenti Urbis molitione post anni MDCXCIII. Terræmotum detectis, atque ex Ethnicorum sepulchris id colligo: Catanam ab austro fuisse mari conterminam; Naumachiæ enim atque Hippodromi, prope *Ursinam* Arcem, extra *Decimæ* portam, vestigia, quæ anno MDCLXIX. ignis Ætnæi lapidibus obruta, olim vero patebant, ut post Carreram fatetur in Animadversionibus (a) Cajetanus, id citra dubium omne satis evincunt. Extendebatur ad Aquilonem ultra collem, ubi nunc S. Dominici Cænobium, ad villam usque deliciarum a *Biscari* hodie appellatam; quà enim eadem villa occiduum respicit Solem, ingentia pene spectantur ædificiorũ vestigia Urbis forte mœnibus substructa; ad jactum vero lapidis novissimè anno MDCCXXX. innumeri cum vasculis, ac lucernis loculi, ac variæ sepulchrales inscriptiones inventæ. Succedunt Saracenorum delubra vulgo *Moschee* prope Minorum, quos Reformatos appellant, Cænobium, extra Urbem dubio procul sita. Cereris denique Templum pomerio conclusum statuo, quamvis apertè Carrera adversetur, cujus alibi opinionem expendo.

(a) Tom. 2. Ss. Sic. in vita s. Leon. magn. Cat. Ep.

III. Lapidum congeries anno MDCLXIX. ex Ætnæ visceribus egesta, nobis sanè reliqua eripuit monumentorum rudera, quorum indicio occidentalis lateris fines describere quam facillimum; Ex tot nihilominus, tantisque dirutis molibus, stratis marmoreis opere tessellato, & columnarum fragmentis, atque aquæductibus in regione *Cursus* olim Bo-

Bolani tempore, ut ipsemet apud Carrerã testatur, detectis, quæque nostris etiam diebus in *Cypriana* regione, ac viciniis passim effodiuntur, id verissimum judico: Urbem nostram fuisse hac in ora præ cæteris quondam structuris refertissimam, ac magnificentissimis instructam operibus; Quæ fusiori stylo de Ruderibus differens suo loco persequar.

IV. In area denique novi Valetudinarii seu Acensis portę, olim a Stesichori sepulchro *Stesichoreæ* appellatæ Amphitheatrum surrexisse constat, ad jactum verò balistæ è conspectu antiquissimæ ædis S. Mariæ de Bethlehem, & Carmelitarum Cœnobii, cunctis obvia sepulchrorum vestigia, atque inscripti lapides sese produnt, ac loculos etiam in ampla, & regia via, quę ad suburbium ducit, frequentissimos offendes; Hinc meritò non ultra ex hac parte Urbem productam autumamus. Cum præterea extra Portam *Lanceam* ad Ortum, ac juxta Monialium S. Agathæ Claustra, proximumque S. Catharinæ Senensis Cœnobiũ,& in ipsa Episcopalis Palatii area lapides sepulchrales, loculos plumbeos, vasa cinerum, urnasque fictiles, ac lucernas eflossas hac nostra ætate, ex civibus nemo est, qui ignoret, firmissimè opinamur: partem Urbis, quæ a Principe Templo ad Orientem protenditur, omnino ejusdem ævi opus non esse, idque antiquissimæ pomerii moles etiam evincunt, nuper hoc ipso, quò scribimus, anno detectæ, dum fundamenta domus Oratii Paternionii S. Juliani Dynastæ effoderentur.

V. Hîc porro in describendis Catanæ Situ, atque Amplitudine id veluti inconcussum me assumpsisse cunctis est palam: Sepulchra nempe veterum extra urbis pomerium, ipsisque sub mœnibus, ac secus vias, quæ ad portas ducebant, fuisse

ut

ut plurimum sita. S. Joan. Chrysostomus *de fide, & lege naturæ*: Ideo, ait, *omnis Civitas, omne Castellum ante ingressum sepulchra habet, ut contendens intrare in civitatem, quæ imperat, & floret divitiis, aliisque dignitatibus, priusquam videat quid secum concipit, videat primum quid sit*. Cui Varronis effatum respondet: *Secundum viam exponebant, quo pretereuntes moneant, & se fuisse, & illos esse mortales.* Ovidius verò habet: (a)

(a) Metam lib. 13.

Urbs erat, & septem posses ostendere portas.
Hæ pro nomine erant, & quæ foret illa docebant;
Ante Urbem exequiæ, tumulique, ignesque, rogiq;

(b) Lib. 5. Tuscul. quæst.

Denique Tullius (b) de sepulchro Archimedis Syracusis a se invento loquens: *Esse ad portas Agragianas magna frequentia sepulchrorum.* Sedenim sepultos intra mœnia nonnullos legimus, *quos virtus legibus solvisset*, ut idem loquitur Tullius (c) quorumdam producens exemplum; communis tamen locus extra Urbem cum Romanis post leges x. Virales, tum Græcis; modo excipias Lacedemones, quibus intra Urbem secus Deorum ædes sepelire licebat, ut observat Gualterius *in antiquis Siciliæ Tabulis*, ubi allatis utitur testimoniis (d) quæ & Orsatus etiam in suis Marmor: Erudit. usurpavit.

(c) Lib. 2. de legib.

(d) Animad. fog. 98. Edit. Messan.

VI. Jam verò ad Catanæ Situm redeo, quem ad Cibalis regionem, atque ad Ulyssis portum, seu Ongiæ stationem extendunt ex nostris bene multi, *Joan. Bapt. Guarnerii* freti conjecturis, qui Catanæ vestigium ad ficti *Orophonis* mentem, Urbem triplici muro circumdatā exhibens exactissimè delineavit, edidítque etiam inter alias Siciliæ Civitates Joannes Andreas Massa Societatis Jesu, sed exibilari meritò hic possem, nugas hujusmodi, atque id genus fabulas expendens, complura nihilominus ædificiorum rudera, quæ aduc supersunt, sub-

Suburbiũ aliquod olim haud procul mœnibus, ad portum usque, & ad Aquilonẽ sese extendisse, innuunt.

VII. Alii Urbis medium, ubi olim S. Mariæ de Bethleem Ecclesia, nunc verò Carmelitarum ædes exurgit, constituunt, illudque ad hanc eorum firmandam opinionem, suppetias ferre credunt, quod in S. Leonis Magni Catanensis Pontificis legitur Actis: Heliodorum magicis præstigiis celebrem ab eodem Sancto Episcopo extra Ecclesiæ fores, ubi solemne sacrum peragebat, combustum. Alibi verò in aliis Actis ad Magum concremandum media in Urbe ignem fuisse excitatum, refertur. Constat (subdunt) traditione ab antiquis deducta, Ecclesiam, ubi hæc gesta, eodem in loco constitisse, quem recens S. Mariæ de Annunciata, seu vetus S. Mariæ de Bethleem occupabat. Sed hanc vulgi opinionem eruditissimè confixit Cajetanus *in Animadversionibus*, ubi hæc profert. (a) *Tradunt Menea divum Leonem in Urbe media pyram adornari jussisse, qua* Heliodorus *combustus est, membranæ M. S. Syracusanæ haud procul Ecclesiæ foribus fieri fossam præcepisse, lignorumque struem in eam congestam succensamque*. mox subdit; *Ex his famam corrigas Catanæ in vulgus jactam, quæ Heliodorum ait, in area Virginis Annunciatæ extra Urbem crematum, arguas ut minimè veram; nam contra scriptorum fidem. Sed enim Menea in Urbe media* (*et loco nomen Achelles ex Encomiaste Catanensi*) *Heliodorum combustum affirmant; Codex Syracusanus haud procul ab Ecclesiæ foribus. Igitur ea Basilica D. Mariæ, S. Leonis ævo, in Urbis medio sita erat, neque hæc, idest Catana, ea tempestate ad aream illam protendebatur. Probandæ rei prompserim duo præcipua argumenta: alterum est, quod Heroum sepulcra extra Urbem erant, & monumenta sepulchri Stesichori adhuc* ex-

(a) *Ad vitam S. Leonis tom. I. 11. sic.*

extant ad ædem, quam vocant Bethleem, quæ non procul ab area Virginis Annunciatæ. Alterum est: intra Cœnobium B. Virginis Annunciatæ vetus est Ecclesia S. *Leonis, quod Oratorium ab eodem* S. *Leone constructum, fama est apud* Catanenses, *& conjecturæ neque illæ spernendæ. At membranæ* Syracusanæ *habent D. Leonem Oratorium non longè à mari extra Urbem extruxisse. Igitur si locus is extra Urbem erat, ævo* S. *Leonis, & Heliodorus in medio Urbis fuit crematus, cremari in hac area non potuit, in qua* S: *Leo Oratorium struxit.* Hactenus Cajetanus.

VIII Situm, atque amplitudinem Urbis nostræ omni ferme ævo, æquavit populi frequentia. Hanc ex Colonis ab Hierone Tyranno in eam deductis, quos, teste Diodoro, fuisse non minus, quam millia decem scimus, laudatus Carrera satis appositè colligit; (*a*) proditque etiam eorumdem Colonorum facta ab civibus post Hieronis obitum expulsio, audaxq. facinus, dirutum nempe ab iisdem Tyranni sepulchrum, ac detrectatum Diomenis filii imperium. Hinc nedum a Sapientia, Opibus, & Equestri militia; verùm a florentis quoque populi frequentia Catanã extollit Pindarus (*b*) Quin & Tullio parum fuit, Catanenses locupletissimos, Populique Romani amicissimos, Catanã verò locupletem, honestamque vocare, nisi & copiosam itidem prædicaret. Frequentiorem præ Messanensi celebri emporio Catanam vocat Strabo, (*c*) ex Cluverii interpretatione illis verbis: *Messana satis frequens, frequentior tamen Catana, quæ colonos accepit Romanos, minus utraque frequentatur Tauromenium*. Quamvis autem Guarinus Veronensis hunc Strabonis textum reddat: *Messana frequentiores habet aceolas, quam Catana, nam habitatores admisit* Romanos *plurimos, pauciores tamen quam*

(*a*) Lib. 1. tom. 1. cap. 2.

(*b*) In nemeis ode 9.

(*c*) De situ Orbis lib. 1.

quam utraque habet Tauromenium; Cluverii nihilominus lectio ipsi Placido Reinæ (*a*) probatur, & Authoris menti magis videtur congruere. Colonos quippe accepisse Romanos sub Augusto Cæsare Catanam, nunquam verò Messanã explorata res est, ex Plinio, aliisque, ut quid autem ad majorem Urbis Catanæ frequentiam præ Messanensi adstruendam, illud subderet Strabo: *Quæ Colonos accepit Romanos*, sive ut vertit Veronensis: *Nam habitatores admisit Romanos plurimos* Ineptè quidem velut argumentum inferioris populi multitudinis, id videretur adjectum.

(*a*) *Not. gisc. mess. lib.* I.

IX. Ceterum, post hujusmodi verba ex Strabone recitata, subinfert Cluverius. (*b*) *Posterioribus quoque temporibus Catanam fuisse maxime celebrem patet ex Ausonii Carmine, quod de nobilioribus Imperii Romani Urbibus composuit, ubi unas duas in Sicilia memorat: Catanam & Syracusas: Quis Catanam sileat, quis quadruplices Syracusas? Sed eadem celebritas patet ex duobus Itinerariis Romanis; uam in eo, quod Antonini nomini adscribitur, itinera eò terminantur ad Thuscum mare a Thermis, ad Lybicum ab Agrigento; In tabula verò nomen quidem Catanæ interiit, signum tamen illustrioris Urbis extat cum numero* XLIIII. *millium passuum; quæ inde Syracusas usque numerantur*. Concludit demũ *Urbs ipsa Catana inter tres totius insulæ celeberrima censetur. Reliquæ duæ sunt Panormus, & Messana* Hæc, ipsis Cluverii verbis, referre placuit, ut clarior inde, vel externi hominis testimonio, Catanæ gloria fieret. Hinc facile quisque colliget, quã nimio Patrię amore ductus Eruditus quidam novissimè scripserit: Catanam magnam olim fuisse Urbem, ac nunc esse, nusquam verò Panormo comparandam. Vel enim, solo Ausonio teste, Urbs

(*b*) *Sicil. Antig. lib.* I *cap.* 8.

nostra

noſtra adeò celebris, ut una per inſulam universā Syracuſis æquari meruerit. Quis verò, nedum populi multitudine, ac gloria, ſed & aliis præclariſſimis titulis, in toto terrarum Orbe olim vix ulli ſecundas Syracuſas neſciat?

X. Illud non reticendum, Apoſtolorum Principem Catanam adeò ſuſpexiſſe, ut illam, veluti inter primas Siciliæ, Pontificali dignitate donatam, voluerit; unde in proximas terras Evangelium derivaret. Id quippe, ut ſuo recenſeam loco, cum primis attendiſſe Apoſtolum, in Pontificiis conſtituendis ſedibus, Agiographi obſervant, quatenus majori facilitate in reliquas minoris frequentiæ, obſcurique nominis Urbes Fidei ſeſe lumen effunderet. Neque Eccleſiaſticæ ſolùm, ſed ſæcularis etiā politiæ prerogativâ clariſſimam prodit Catanam longā in eà, ac diuturna Romani Præſidis inhabitatio; Hinc Pirrus (a) Catanam *Romanorum Præſidum Sedem* appellat. Quanam quippe populi frequentia, diviriarum copia, Magiſtratuum amplitudine effloruiſſe opinandum, Vrbem totius Provinciæ Caput ſupremæ Poteſtatis incolatu conſtitutam, ubi univerſæ Inſulæ agi negotia, in quam ex omnibus ferme locis, ad jus efflagitandum, oportuit convenire.

(a) Not. Eccl. Cat

XI. Pulſis poſtrema ætate Saracenis, quos uni amplificandæ Panormo incubuiſſe, conſtat, in priſtinum ſplendorem Catana reſtituta, adeo excrevit, ut ipſiſmet Panormo, ac Meſſanæ frequentiſſimis profecto, nullique Italiæ Vrbi, ſi unam, aut alteram demas, forte ſecundis, æquari, earumque Socia paſſim, ac *Tertia Regni Soror* meruerit appellari, quod extremis verbis innuit ſupralatus Cluverius; dignamque Aragonenſes *Reges* Siciliæ *Principes*, quam ſibi in Regium adſciſcerent Do-

mi-

micilium, putaverint. Quocirca haud immerito, Michaelis de Platia non infimæ notæ Historici testimonio, in perantiquo ms. Chronico, *Siciliæ Caput, atque Regni Sedes* audit. Ejus denique magnificentiæ, nobili scientiarum omnium Academia, Alphonsus Rex, cognomento *Magnanimus*, consuluit, cujus frequentandæ gratia, ex universo confluunt Regno, quotquot lauream assequi cupiunt magistralem.

XII. Hodie è terræmotus anni MDCXCIII. ruinis, velut è cinere rediviva Phœnix, in amplissimã exurgit Civitatem, quadraginta ferme stadiorũ ambitu, suburbiis exceptis, quibus undequaq; vallatur, ac magnificentissimis ædificiorũ molibus sacris, profanisque, quà publicis, quà privatis, necnon validis ad oram vel maximè maritimam propugnaculis decoratur; præcipuum illi ornamentum regię viæ, amplissimæque areæ, ac frequentes, quæ miro insternuntur ordine, superaddunt, ut jure meritò, fore, ut primas habeat per Siciliam, ominentur, quotquot enascentis demirantur exordia.

F

CATA-

IV

CATANÆ AGER, EJUSQVE OPIDA, AC FLUMINA.

I. Vetusti Catanensis Agri fines decernere operosa res est; variant enim Scriptores. Pausanias (a) a Meridie ad Megarensem Hyblam extendit, quæ & Gereatis, seu Geleatin olim, hodie *Myrillæ vulgo dicitur. *Fuere*, ait, *Hyblæ Siciliæ Civitates duæ: cognomine Gereatis una, altera, ut erat, ita etiam vocabatur Major. Retinent hac etiamnum ætate prisca nomina; & earum quidem altera in agro Catanensi plane deserta est; altera Gereatis in iisdem finibus ad vici formam redacta*. Sugillat, nescio, an jure, Pausaniam Cluverius, (b) quod Geleatin inscitè Catanensium vicum sua ætate dixerit, quum Syracusanorum fuerit; quasi non possent pro temporum varietate agri etiam fines variari. Hos porro ad Symethum usque contrahere videtur Thucydidès; (c) de Syracusanis quippe, eorumque sociis loquens, qui a Nicia decepti ad invadendam Catanam properabant: *Profecti*, ait, *Catanam versus, castra posuerunt ad Symethum flumen in agro Leontino.* Hinc Tucydidi meridionale Symethi littus Ager Leontinensis occupabat. Idem fortasse terminus ad occiduum hyemale Solstitium, Leontino enim succedebat Palicensis Ager, quum Palica ad Naphtiæ lacum perstaret. Quam porro Tullius cum in actionibus contra Verrem, tum in Philippicis Agri Leontinensis feracitatem celebrat, de patenti undique cam-

(a) In Eliac. P. lib. 5.

(b) Sic. ant. lib. 2. cap. 8.

(c) Belli. Pelop. lib. 6.

*Hyblam hanc fuisse Megaram contendunt alii ad Alabi fluminis ripam in patenti regione sitam. Myrillas verò Saracenicum Opidum credunt.

Campo vulgari nōeclatura Catanæ *Piana* appellato intelligi, rectè opinatur Carrera; quamvis non minor profectò esset Agri citra Symethum fœcunditas, qui ad Catanenses spectabat.

II. Hyblam subinde Majorem, velut alii volunt, Secundam, ad occidentem Solem, Inessamque, seu Ætnam Opida non ignobilia Catanæ Ager claudebat. Thomas Fazellus (*a*) quo loco illa steterit, et quæ ejus essent vestigia, incompertum se habere fatetur; *nisi forte*, inquit, *Judica Urbs non procul inde in monte sita, & a Rogerio ævi processu funditus deleta haberi queat*; In regione tamen *Aquæ rubræ*, & *Aquæ ferri* p. m. circiter novem ab urbe Catana prope Paternionis opidum sitam dicit laudatus Carrera (*b*) ubi etiam Inessam, de Monte Ætna scribens, statuerat(*c*) Verùm Cluverius, ac novissimè Franciscus Honoratus Colūna in suo eruditissimo opere de Paternionis Urbe firmis rationibus, conjecturisque non paucis Agri Catanensis Hyblam eodem loci, ubi nunc Paternio, stetisse ostendunt

(*a*) *Dec. p. lib.* 10 *cap.* 2.

(*b*) *His. Cat. lib.* 2. *cap.* 8.

(*c*) *lib. p. cap.* 2.

III. Major de Inessæ seu Ætnæ opidi situ controversia; Fazellus enim (*d*) Catana XII. fere p.m. ad Orientem dissitam credit, subditque, *quod ad Mascalim, ubi Urbis veteris jacentis plura circū arcem cernuntur monumenta, plerique, sola opinione ac conjectura ducti, fuisse eam referunt*. Alibi verò horum sententiam improbans, (*e*) prope Centuripem, peculiari loco minime indicato, statuit. *Ab ea* id est Centuripe *non procul etiam discedebat Inessa vetustum oppidum, ut ex superioribus Thucydidis verbis inferimus, quibus astipulatur & Strabo, qui eam Invessam appellat, & Diodorus, qui Ætnosiam cognominat, qui simul omnes in iis agris sitam eam fuisse convenīūt; quorum equidem authoritas eo-*

(*d*) *Dec. lib.* 3. *cap. p.*

(*e*) *lib.* 10 *cap.* 2.

rum

rum opinione, qui ad Mascalim eam fuisse arbitrantur, certior haberi debet: Ut mirari subeat, scripsisse Cluverium, quod a recta via hic aberraverit Fazellus, Inessamque apud Mascalim statuerit. Cluverius ipse Inessæ, seu Ætnæ situm vocari hodie *S: Nicolai de Arenis Cœnobium* contendit, opidumque consequenter sub ipso monte ad meridiem millibus circiter duodecim a Catana dissitum locat. At neque id Cœnobium Centuripæ propinquum, ut Thucydides de Ætna testatur, ac cum eo etiam Strabo, & Diodorus; nec illius campi segetum feraces habentur, uti Inessenses; quin ingenti arenę vi obducti, hybernoque tempore nive rigente, vinetis vix apti, nonnisi colonorum industriæ fructus reddunt. Non inficior ex eo passim ad Ætnæ montis verticem iter Viatoribus patere, quod de Inessa affirmat Diodorus. Sed ex aliis etiam Opidis montem hodie conscendi, apertissima res est

(a) Tom.1.lib.2. Cap.8.

IV. Carrera *in Memor: Hist:* (a) triginta circiter stadiis ab Opido Paternionis salebroso in loco, Ætnęisque lapidibus repleto, cui vulgari vocabulo nomen *Civita*, Ætnam stetisse opinatur. Verùm Servilis belli tempore, locum hunc tumultuario opere a rebellibus munitum alibi dicam. Pomerium enim e nigro soluto lapide summo quidem labore, nec minori artificio constructum Opidulo vallando omnino impar, vix quatuor patet stadiis; quamvis murus cubitis circiter duodecim latus, altusque ad viginti hodie alicubi videatur; ædium verò vestigia intra vallum, æqualis omnino structuræ, Opidi faciē exhibent nullam. Post Adranum quoque ad Symethi littora opus non absimile undique munitum occurrit, quod Servorum etiam propugnaculum creditur.

V. Jam verò, quum ex Diodoro constet, Ser-

Servos Ætnensi opido occupato, diu sese in eo contra Romanos exercitus, velut in arce tutissima, defendisse, non longè ab hujusmodi propugnaculis illud statuendum putaverim; & conjecturis agendo, eò loci, ubi S. Mariæ de Licodia sedet hodie Cœnobium Ætnam stetisse opinaverim. Moveor primò, quia contra Centuripem, nec longè ab ea, juxta Diodorum, aliosque id opidum surgebat, ejusque campi Hyblensibus contermini. Hyblam aliunde mediā inter Ætnam, Urbemque Catanam locāt veteres; tum duodecim circiter pass. millibus à Catana distabat, præruptoque, atque adeo a natura munitissimo in loco esse oportuit. Quæ sane omnia Licodiano colli optimè congruunt; quamvis enim hodie XVI. circiter p. m. numerent a Catana Licodiam, recto tamen itinere vix XII. inter sese absunt. Accedit, quum sæpissime ædificiorum rudera fossoribus, arationemque exercentibus ibidem occurrere, quin & sepulchra pluribi Ego ipse per collis declive detexi. Ex hoc denique perquam facilis ad Montis verticem ascensus. *Hinc enim Mons incipit in altum sese attollere*, ut de Ætnæ, sive Inessæ situ Strabo testatur lib. VI. De Hybla, Inessaque seu Ætna, passim in Annalibus. Ex earum porro situ colligimus: omnem Ætnæ Montis regionem austrum spectantem Agri Cataneusis partem fuisse.

VI. An fuerit olim hæc tot fructtis dives, tantisque ad vitæ subsidium, imo ad delicias, referta commodis, nec non pagis, vicis, ruralibusque domibus undique occupata, ac veluti exculta, satis compertum non habeo. Celebrant Veteres Ætnæ regiones a fœcunditate, vinetis, frugibus, amœnitate, pascuis, nemoribus, aliisque id genus dotibus; sed ingēs hodie huic nostræ meridionali

 sci-

ſcilicet ornamentum accedit a viginti & amplius opidulis, quorum aliquot ædificiis, atque incolarum multitudine non ignobilia. *Acis* hinc ejuſque Pagi ad Orientem velut Agri Catanenſis pars, & *Xiphonia* olim ad ejuſdem nomenclaturæ promontorium ſita, cenſebãtur; Portus ſubinde Vlyſſis, ubi Italium caſtellum, cujus meminit Diodorus (*a*) *In Catanæ regione caſtellum erat nomine Italium, quod Barcas Carthaginenſis oppugnatum* ... A Caſaubono (*b*) *Longonis* appellatum, quaſi illud idem eſſet, quod ab *Ongia* hodie dicitur, ut obſervat Carrera. Etſi potius *Italium* vetus Acis arcem, *Ongiæ* caſtello celebriorem, fuiſſe putaverim.

(a) lib. 14. Bib. Hiſt.

(b) Com. in lib. p. Polibii.

VII. Limnam Nonnius in Dionyſiacis (*c*) prope Catanã ſtatuit: *Et qui Catanam apud Limnam Vicinam* Sirenibus *Vrbem habitabant*. Sed an locus fuerit ejusdem nominis, aut opidum, prorſus incertum. Apolloniam in Agro Catanenſi, ex cujus reliquiis Apollonia altera, quę nũc Pollina, juxta Cephalædem condita, memorat Maurolycus in Catalago Urbium; ſed Cluverio teſte (*d*) nonniſi una Apollonia extitit olim, Aluntio proxima, in hac Siciliæ Inſula. Engium denique Fazellus *an eo in loco, qui prius Ongia, nunc Lognina dicitur, & a veteribus Portus Ulyſſis*, fuerit, ſubdubitat; quãvis prope Leontinenſe emporium *Agniuni* vulgo appellatum rectius ſtatuat. (*e*)

(c) Lib. 13.

(d) Sic. Ant. lib. 10 cap. 2.

(e) Dec. p. lib. 3. Cap. 2.

VIII. Ad Catanæ, ejuſque Agri flumina venio. *Amenanus* mediam Urbem interfluens Amenas Pindaro in Pythiis dicitur; de Hierone enim loquens, qui ut vidimus, novis inductis colonis, Catanam Urbem Ætnam appellari voluit, Ode prima ſcribit:

O Jupiter effice autem ſemper talem fortunam
Amenæ ad aquam Civibus, & Regibus,
Ut dijudicent veram famam hominum.

Amenam hinc vocant Goltzius, aliique ex Recentioribus cum Bocharto, qui ex Phœnicio vocabulo *Mana*, quod latinè *coercere* est, & *cohibere*, ejus deducit nomen: *videtur*, ait, *occulta vi per intervalla cohiberi Amenanus*; *quominus fluat*. Subditque: *Græci posteriores ex Amena fecere Doricè Amenanon, quasi a debilitate sic diceretur*; *Quod tamen hujus amnis naturam non exprimit*. Amasenus & Anisenus ab Ovidio (*a*) Amelianus apud Stephanum Bizantinum, vulgo Judicello; ab Archangelo demum & Carrera (*b*) Chamasenus, quasi a Cham Noe filio, & Chamasena urbe nomen sortitus. Fulvius tamen Ursinus a Cluverio laudatus numum profert, ubi *Amenanos* Græcis characteribus legitur. Hinc in Ovidii exẽplaria, Stephanique Epitomatorem mendum irrepsisse optimè idem Cluverius advertit (*c*) rectumque nomen *Amenanus* esse tradit. Celebratur autem Amenanus nedum iisdem Pindaro, Stephano, & Ovidio, sed Straboni etiam, Ptolomæo, & Claudiano. Ubi enim hic Naiades enumerat Proserpinæ sodales, Amenani etiam Nymphę meminit, quãvis aliqui aliter legant, ut Joannes Andreas Massa observat. (*d*)

(*a*) *Metam. lib.15. fast. lib.4.*

(*b*) *lib. 2. cap. p.*

(*c*) *Sic. Antiq. lib. p.cap.9.*

(*d*) *Sic. in prof. tom. p.*

IX. Fluminis hujus fontes occulti, ut & cursus etiam, hac nostra ætate; erumpit enim sub ipsis Catanæ mœnibus ad meridiem non longe a littore, quum per meatus, ductusque inferiores Urbis regiones interfluat; superiori autem ævo pleno alveo excurrebat, interdumque evanescens rursus erumpere videbatur, ut mox dicendum. Oritur nihilominus e radicibus Ætnæ Montis, atque ut Archangelo apud Carreram, & Maurolyco arridet, e Gurridæ lacu juxta Randacium. *Gurrida*, inquit hic (*e*) *Fluvius est in agro Randacii*, *qui ibi absor-*

(*e*) *Rerum Sican. lib. p.*

 tus

tus in Catanensi Urbe subterlabitur. Postquam enim in ejusdem nominis lacum IX. circiter stadiorum ambitu patentem sese fluvius hic exonerat, æstivo tempore, lacus pene evanescit; quumque ejusdē aquæ ingēti pluviæ copia exuberant, Amenanus ruptis venis exundat, quod novissimè anno MDCCXXXVIII. observatum; quum enim hic e ductibus egressus publica iam compita occupasset, datis ad Randacienses literis, Gurridam solitò majoribus aquis excrevisse, accepi. Fucini lacus exemplo rem confirmat Strabo(a) *Ferunt*, ait, *hunc lacum aliquando ad montana usque impleri, rursumque subsidere, ita ut palude obducta, loca rursum detegantur, & cultui apta sint. Sive scaturigines aquarū, quæ sunt in imo, sparsim locis aliis scaturiant, rursumque in unum confluant; sive prorsus deficiant fontes, ac rursum exprimantur; quod Amenano evenire fluvio, perhibent, Catanā perfluenti, qui per aliquot annos destitutis aquis, deinde iterum fluit.* Hinc Ovidius in Metamor. canit.

(a) De situ orbis lib. 5.

Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret.

Concinunt Cluverius, ac Fazellus, (b) quorum hic: *Oritur autem*, scribit, *ex radicibus Ætnæ mōtis, cujus cum fons nondum pervestigari potuerit, in media tamen Urbe, longo tractu, pleno fluit alveo. Aliquando verò obturatis venis totus per aliquot annos evanescit, rursusque postmodum subitò erumpens, excurrit. Ita alternis vicibus, perpetuò ignotis naturæ causis, itque, reditque; tantam quandoque Catanæ Urbi calamitatem afferens, ut inundationem, aut cladem inferat; nam cum excurrit, crassior Urbis aer redditur, ac insalubris, & pestilens Catanensibus efficitur*. Verum, ætate mea nunquam omnino, aut totus evanuit, quod adnotare libuit, ne ulla in re

(b) Dec. p. lib. 3. cap. 1.

le-

lectori videar imponere. Cæterum ejus aquæ limpidissimæ, ac salutares passim civibus usui sunt, molasque per Urbem, ac prope littus, & bene multas convolvunt, olim vero Thermas, quarum extant rudera in vico S. Pantaleonis, alluebant.

X. *Symethus* longe ab Urbe p. m. ferme decem excurrit, maximusque inter totius Insulæ censetur amnis, cum si aquarum copiam spectes, tum si decursus tractum. Magnus hinc vulgo appellatur, atque a Catana, cujus alluit agrum, nomenclaturam sortitur, sæpiusque a Scapha, qua traiicitur, Siculâ linguâ *Jarretta* nuncupata, eo illum vocabulo dicunt. Symethi Insulæ olim Regis meminit Servius (*a*) cujus filius Acis alteri Catanensis agri flumini nomen dedit. Celebris est Symethus apud omnesferme veteres rerum Sicularum Scriptores, quorum congerit authoritates Cluverius; Poetisque etiam memoratur. Caput habet in media ferme Sicilia triplex, *quorum quodlibet ingentem facit Fluvium* ut Fazellus testatur (*b*) Ad montem Capitii opidi primum oritur, fluensque Trahynam, ac Cisarum opidulum sinistrorsum relinquens, Maniacis agros rigat, ubi Broli, & vicinorum collium receptis fluviolis augetur; nec procul, falcato fluxu dilapsus Ætnæ radices alluit, subindeque Rayhalbuti amnem ad dexteram, Adrani aquas ad sinistram excipit, ac denique Paternionis opidi, cujus induit nomen, agrum excurrit, ubi scaphæ usum habens, per Catanensium fines dilabitur. Alterum porro caput supra Assorum est ad Montem Artisinum, quà Orientem respicit; unde dilapsæ aquæ, paulo inferiùs fontis maximi, qui ex Tavi monte & ortum & denominationem habet, influxu augentur, ac Tavi etiam amnis vocabulum sortiuntur. Hic ergo sub Enna alium excipit flu-

(*a*) Com. in Virgilii Æneid. lib. 9.

(*b*) Dec. p. lib. 3. cap. 2.

fluviolum, amissoque priori nomine, Chrysas a Veteribus, Dictainus hodie appellatur, fluensque longo tractu, Symetho unitur. Jam tertium caput ad montem Aydonis initium sumit; hinc Cannæ hospitium, cujus ibi nomen induit, præterlabitur, Gabellamque hospitium aliud, longo atque obliquo cursu, excurrens, agrum irrigat Catanensem, postque Dictainum in Symethum illabitur.

XI. Sed quem hucusque descripsimus fluvium, Fazellus, Maurolycus, Bonfilius, Philotheus, Arctius, aliique ex Siculis scriptoribus Teriam appellant, fretique Maronis authoritate, qui lib. Æneidos ix. crevisse Arcentem scribit:

Symethia circum
Flumina, pinguis ubi, ac placabilis ara Palici

Symethum S. Pauli flumen credunt. *Cum Teriam trajeceris ad quatuor p. m. Symethi fluvii ostium occurrit*, inquit Fazellus (a) *Appellatur hodie is a* S. *Paulo. Quinque fontibus non longe a Mena Urbe exurgit. Eorum hæc sunt nomina, Macubus, Pipinus, Ochula, Canalis Calcagnus & Fons Ferratus... Hic idem ille est fluvius apud Authores celeberrimus, quod ad ejus verticem, qui a faucibus p. m. ferme* xxx. *recedit Thaliam Nympham a Jove compressam duos peperisse gemellos Poëtarum fabulis traditum est, quos cum illa metu Junonis optaret a terra absorberi, paruit quidem terra Nymphæ optatis, attamen eos paulo post in lucem edidit; unde Palici dicti, quasi ex terra renati, & pro Diis a veteribus Siculis sunt habiti; quibus & Lacum ac Templum ad verticem hujus fluvii astantia ac miranda plura consecravit Antiquitas*. Authores hosce nihilominus longè a verò aberrasse efficaciter Cluverius ostendit, ac post illum Carrera (b) qui toti sunt, ut evincant, Symethi nomine Catanę fluvium venire; Teriam vero

Leon-

(a) Dec. p. lib. 3. cap. 2.

(b) lib. 2. cap. 5.

Leontinensem esse amnem *a S. Leonardo, Reinamque* aliter appellatum, ad cujus ostia bis Atheniensium Classem Thucydides lib. v. appulisse testatur. Strabo enim (a) *Sita sunt*, ait, *Centuripa supra Catanam Ætnæos montes attingentia & Symethū flumen, quod in Catanensium agrum defluit*. Plinius Symethi ostium Teriæ præponit (b) *Colonia Catana, flumina Symethum, Terias, intus Læstrygonii campi, oppida Leontini, Megaris*, Ovidius (c) Symethi aquas in mare illabi tradit, quod de S. Pauli flumine intelligi profectò nequit, quippe Catanæ amni circa Symethi campum unitur. Campus hic, ubi olim opidulum ejusdem nominis, ad australem fluminis oram situs.

(a) *De Situ Orbis lib. 6.*

(b) *Hist. nat. lib. 3. cap. 8.*

(c) *Fast. lib. 4.*

XII. Denique Virgilius prope Symethum aram esse Palicorum poeticè scribit, celebrior enim amnis eo in agro non effluebat Symetho, quin & Palicii lacus aquas in Symethum illabi fortasse noverat: Quid quòd Palicos Crateres verè ad Symethum in agro Paternionis extitisse non inani conjectura inferius dicemus? Sed Sole clariora hæc sunt, ut in iis immorari, non levis esset temporis jactura. Cæterum Ptolomæus ex errore inter Catanam & Tauromenium Symethum locat: *Catana colonia, Symethi fluminis ostium, Tauromenium colonia*: Perperam quoque Scylax in Periplo post Leontinos Symethum statuit: *Urbes a Peloriade Grecæ sunt istæ Messana cum portu, Tauromenium, Naxus, Catana, Leontini, Symethus amnis & Urbs Megaris*. Videsis laudatos Cluverium, ac Carrerā.

XIII. *Acis Fluvius apud Catanam*, inquit Hesychius; e monte Ætna in mare decurrit juxta Vibium in Catalago Fluminum, nomenque sortitur ab aquarum celeritate. *Acis Fluvius celeriter fluens, & ipse a sagittaria cuspide nomen accepit*.

Scri-

Scribit Euſtathius in Homerũ (a) Et Theocriti ſcholiaſtes: *Acis fluvius Siciliæ ſic dictus, quia fluenta ejus ſagittæ ſunt ſimilia*. (b) Illum cum Aceſine in agro Tauromenitano malè confundit Fazellus. Aquam eſſe, quæ *ad Regitanam* effluit, opinatur Cluverius; ſed verior illorum ſententia, qui cum Carrera & Blanditio (c) ſub excelſa rupe, cui Acis opidum hodie inſidet, in Jonium mare illabi putãt, ubi *Aquæ Grandes* ab opidanis appellatæ, ingenti copia, ac rapiditate erumpunt. de eo alibi.

(a) Ad Iliad. lib. 16.

(b) Iliad. p.

(c) m. s. opusc. De Patria S. Ag.

V

CATANÆ PORTUS

I. AB Ulyssis appulsu denominatum Catanæ Portum, olim ad duo circiter millia passuum ab ea recedentem, testatur Plinius, qui orientale Siciliæ latus describens, (a) *Colonia*, inquit, *Tauromenium, quæ antea Naxos, Flumen Asines, Mons Ætna nocturnis mirus incendiis... Scopuli tres Cyclopum, Portus Ulyssis, Colonia Catana*. Homerus quippe Ulyssem suum ad Ætnæ littora deduxit, ubi Cyclopum terra, ac Polyphemi antrum, ut infra contra Cluverium probabimus; Quò etiam & Virgilius Trojanā classem, duce Ænea, appulisse docet. Uterque autem Portus meminit, & ille quidem *in Odyssea* lib. IX.

In ea Portus opportunus, ut non opus funibus sit,
Neque anchoras ejicere, neque rudentes alligare,
Sed qui appulerint, manere aliquādiu, donec nautarū
Animus voluerit, & aspirarent venti.

Virgilius vero *Æneidum* lib. III.

Interea fessos ventus cum Sole reliquit,
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis.

II. Non inficior, alibi ad Erycem montē in Drepanensi littore Portum ab Ulysse appellatum etiam extare; eò enim, per Insulæ oras aberrans appulit quoque Ulysses, ut ad Pachinum; at Polyphemum hìc sub Ætna lumine orbatum decepit. Hinc Vibius Sequester *in Catalago fluminum* de Acis amne non longe a Portu fluente loquens: *Acis*, ait, *ex monte Ætna in mare decurrens, ex cujus ripis Polyphemus saxa in Ulyssem egisse dicitur*. Inde etiā

(a) lib. 3. cap. 8.

Scopuli ipsi a Cyclopibus appellati, Acisque cum Polyphemo ob Galatheæ amores inimicitiæ eodem in littore a Poetis finguntur. Non ergo ab Euripide, aliisque vetustis Homeri Commentatoribus, accepere Virgilius ac Plinius, ut tradit Cluverius, (a) quod hìc steterit Ulyssis Portus; Ille enim Siciliam, Ætnæque oram vidit, ac diu in ea versatus est, ut in ejusdem vita Donatus testatur, & Georgic: lib. I. ipse scribit:

(a) Sicil. ant. lib. p. cap. 9.

Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa.

Plinius verò pauca, quæ de Sicilia edidit, ex probatis excerpsit Authoribus; nec Insulæ littora, Romæ diu versatus, publicisque perfunctus officiis, ac Classi aliquando præpositus, ignorare potuit, ut aliud pro alio vocabulum obtruderet. Denique Strabo ter Ulyssem in Siciliam appulsum refert; Ætnæo igitur seu Catanensi, Drepanitano, & Pachino Portui potuit ab eo nomen appingi.

III. Jam verò Atheniensium Classem bis centum triginta Navium sub Nicia, Lamacho, & Alcibiade hunc aliquando tenuisse Portum ex Thucydide *de Bello Pelopon.* & Plutarcho *in Niciā* colligimus, atque in eo non semel hyemasse Græcos, indeque ad Syracusas obsidendas profectos Scriptores tradunt. Navalis autem apud Plutarchum mentionem fieri credit Carrera, atque ex illis Historici verbis deducit: *Atheniensibus plerumque in Urbe Catana commorantibus, statuisse amicos Syracusanorum, cum hos advenire cernerent, simul & portas occupare, & Navale incendere*. Sed ubi legitur *Navale* juxta Carreræ editionem, alibi, & rectius, habetur *Classem incendere*, ut suo loco adnotabimus. Tresdecim nihilominus turribus instructum Navale

eo

eò loci extitisse scribit Archangelus, & ex eo tradunt Carrera, & Grossus. Occurrit porro etiam penes alios ævi posterioris Authores ejusdem Portus mentio, ut apud Christianum Arabem *in Siciliæ descriptione*, quod passim per Annales, atque in Historiæ decursu Lector advertet.

IV. Quonam verò tempore Ætnæ incendiis nobis ereptus, incompertum me habere profiteor. Petrus Bembus, qui diu Messanæ versatus, ut Lascarim audiret, Montē conscendit, ejusdem describens ignes: (*a*) *Inter maxima*, ait, *profluvia longe memorabile illud est, quod paulo ante nostram ætatem, usque intra Catanam decurrens, non parvam Urbis partem incendio populavit; quin etiam Portum eum, de quo ait Virgilius:*

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis.

ita implevere fluenta Ætnæa, ut jam errasse Virgilium putes, quòd Portum ibi esse ingentem dixerit, qui pene nullus est. Audivit Bembus in Sicilia Lascarim circa finem seculi XIV. Fazellus & ipse prorsus similia habet (*b*) *Inter memorabilia Ætnæ profluvia longe illud est præcipuum, quod ætate Patrum nostrorum decurrens per* XXVIII. *ferme passuū millia usque ad mare Loguinæ pervasit, atque ingentem Portum, cujus Homerus, Virgilius, & Plinius meminerunt, ita implevit, ut hallucinatos Poetas plerique sint arbitrati, cùm nulla prorsus vel Statio ibi hodie appareat.* Scribebat Fazellus circa annum MDXXX.

V. Carrera ævo longè superiori id accidisse in Ætnæ descriptione tradit, Sæculo nempe a Christo nato tertio (*c*) loquens enim de Incendio, quod post Virginis Agathæ Martyrium anno CCLIV. Catanæ fines invasit. *Tam terribile*, inquit, *hoc fuit*

(*a*) Dialogo de Ætna

(*b*) Dec. p. lib. 2. cap. 4.

(*c*) Lib. 2. cap. 11.

fuit Incendium, ut quum igne peritura crederetur Catana, per duo ferme milliaria discesserint Cives. Unde rustici accurrentes ad Sepulchrum S. *Agathæ, ejusdem rapuere Velum, quod quum igneis oppofuissent torrentibus, quà rectà versus Urbem pergebant, coegere easdem flammas ad lævam flectere manum; ita ut iter Portum versus intẽderint, illumque compleverint universum, amplam ibidem relinquentes copiam montanorum, & aridorum, quæ ibi hodieque visuntur, saxorum.* Hactenus Carrera ex Avercampi latina versione, qui Bembum consequenter, ac Fazellum falsitatis arguit. Verum in Historicis Catanæ memoriis, (*a*) re maturius considerata, aliud fuisse incendium scribit, quo maritima ora, Portusque devastatus, post Rogerium nempe hujus nominis primum, ante Alphonsi Aragoniæ & Siciliæ Regis ætatem, qui primus extruendi Molem, Catanensibus facultatem fecit. Hinc Grossus in annum MCCCCVIII. exitium hoc incidisse opinatur; Id tamen, quum vix historiæ congruere animadverterem, in Annalibus improbavi; conjecturisque agendo, Incendium, quo Portus lapidea Ætnensi materie completum, anno MCCCLXXXI. statui; Anceps animo nihilominus sum, an acu, ut dici assolet, rem tetigerim.

(*a*) *lib.* 2. *cap.* 2. *Num.* 13. *& cap.* 4.

VI. Illud hic non omittam, quod suo etiam loco adnotandum censui, malè a Bembo vulgari, Ætnæo Incendio non parvam Urbis partem absorptam; nusquam enim ante annum MDCLXIX. Catanam, ejusque mœnia ignis impetiit, profluviumque, quod Ongiæ Portum diripuit, ad mille circiter passus ab Urbe septentrionalem primò regionem, subinde Portum, ejusque fines invasit, ut intuentibus manifestum. Quod nulla porro Navium Statio appareat, ubi olim Portus, ut scri-

scribit Fazellus, ubi ipsa experientia falsum evincitur; satis quippe commoda, & secura quantumvis angusta hodie sub Ongiæ turri seu specula existit, sinusque relictus vetusti Portus non obscurum præbet indicium. Cæterum Cluverius perperam ad meridionale Xiphonii (*) Promontorii latus Portum statuit. *Ulyssis Portus in eo fuit sinu ad meridionale Promontorii latus, in quo nunc Turris seu Specula vulgari vocabulo dicitur Lognina.* Post promontorium enim Insula, ac tres Cyclopum Scopuli, juxta quos Statio lingua vernacula *Trizza*. Subinde ingens eminet moles undique prærupta, naturæ profecto opus, cui Acis Arx insidet, succeditque ad orientalem oram Statio *Ongiæ*, ubi olim Portus.

VII. Hic porro ad Leucotheæ fines, ubi hodie vicus *Canalichio*, sinu quidem amplissimo, in mediterranea diffundebatur, qui & fluvium excipiebat ab eadem Leucothea appellatum. Hujus aquæ hodie sub Fasani, & Leucotheæ collibus ingenti quidem copia emanant, atque in Urbem deducuntur; alveus verò nedum in patenti proxima regione, sed prope *Trimisteri* Opidulum, ubi Ætnæorum lapidum congerie occupatur, evidentissime dignoscitur. Portus fauces ab Ongia, ad Gaytum extendebantur bis mille passuum spatio; in ipsis verò Insula erat, quæ Portum ab omni ventorum impetu immotam, tutissimumque reddebat, de qua & Homerus locis laudatis.

In-

(*) *Xiphonium Promontorium cum Siculis Historicis appello Caput Malendinorum hodie vulgo nuncupatum, quamvis Cluverius Xiphonium, ad S. Crucis caput statuat, ubi* Taurum *nostri, & rectius, collocant.*

Insula deinde brevis a Portu obtenditur
Terræ Cyclopum non prope, neque remota,
Sylvosa. In ea vero capræ infinitæ nascuntur
Sylvestres; neque enim frequentatio hominũ prohibet

Hæc bis mille etiam passibus ambitu patebat, unde duplex ad Portum aditus navibus erat, ad cujus initium juxta eumdem Homerum fluebat limpida aqua e fonte sub specu, circumque Alni nascebantur. Fons hic juxta Carreram hodie prope Gaytum frigidas ac lucidas emittit aquas.

De Idalio Castello prope Portum sito, cujus Diodorus meminit, superius dixi; de Ongiæ Templo ac Sepulchro alibi differendum. Quod de annulo ferreo demum ac vetustissimo muro sub Leucotheæ colle vulgus enarrat, traditione majorum accepimus; sed ejus hodie vestigium extat nullum.

VI.

ÆTNA MONS.

I. QVum nihil Sicilia Ætnâ mirabilius in se contineat, totique Insulę atq; ab una ipsa ingens celebritas, decusque obveniat, eò congruentius illius descriptio hoc in Apparatu expeti videbatur, quò non modicam exinde Urbs nostra gloriam nancisceretur, quæ ad ejusdem radices jacens, ipsius non immeritò sibi vindicat decora, suaque vicissim cum illo ita communicat, ut unius notitia alterius censeri possit Historia. Verùmenimverò actum me agere animadvertens, postquam tam multi, magnique nominis Scriptores spartam hanc exornaverint, horum dumtaxat texere Indicem mihi proposui; præsertim quòd ab eorum singulis adeo pro merito susceptæ provinciæ sit desudatum, ut vastum hoc argumentum penè exhaurire videantur; nec si genio etiam meo in Patriam propensissimo vellem liberius indulgere, aliquid, quod de novo hoc loci promerem, suppeteret.

II. Celebratur igitur Ætna cum Philosophis, rerumque naturalium Scriptoribus, tum Historicis, Oratoribus, Poetisque ferme omnibus Græcis, Latinisque, maximè autem Cornelio Severo, qui *de Ætna* præclarissimum edidit *Poema.* *Cornelii Severi Poema.* Scripsit subinde circa sæculi XVI. initium *de Ætna Dialogum* Petrus Bembus dignitate, ac scientia Orbi notissimus, ubi quæ ipse vidit, Montis cacumen ascendens, literis consignavit. *Ætnæ Topographiā* *Philothei Topographia.* Antonius Philotheus de Homedeis Siculus mox publici juris fecit, nec minùs eruditè, quàm accuratè illius faciem exibuit, atque anni MDXXXVI. Incendium

cendium

cendium, quod Catanæ ſtudiorum gratia degens aſpexit, Verticem, Craterem, quos ante trienniū, iterumque poſt eructationem præſens agnoverat, adamuſſim deſcripſit. Ejus autem Opuſculum Italicè vertit Leonardus Orlandinus, rerumque varia acceſſione auxit. Nec diu poſt Thomas Fazellus in eximio ſuo opere de *Rebus Siculis* Decadis Primæ Libro II. *De Monte Ætna, & ejus ignibus* plura congeſſit, ſummumque etiam verticem, ac illius Regiones, quas diligenti ſtudio luſtraverat, poſteris pernoſcendas reliquit.

Fazelli de Ætna, & ejus ignibus.

Cluverii de Ætna.

III. Sæculo decimo ſeptimo ineunte, Philippus Cluverius vir Gallus, ſummo conatu, univerſam Siciliam docta peregrinatione obivit, ſingulaque ejuſdem loca, improbo labore, pede emenſus, Ætnam quoque Montem ex imo ad ſupremum tumulum inviſit; Hinc in ſua *Sicilia Antiqua* ſedulam, dignamque ingenio ſuo Ætnæ Montis imaginem inſeruit; Incendiorum hiſtoriam, cauſſaſque Libro primo cap. VIII. cumulatè, atque eruditè expoſuit. Complura etiam ad id ſpectantia Humbertus Goltzius, & Leander Albertus, ille de Sicilia, hic de univerſa Italia, ejuſque Inſulis diſſerens, ſub idem tempus ſcriptis mandarunt. Tribus ſubinde libris Petrus Carrera anno MDCXXXV. Ætnæ deſcriptionē adornavit, in qua præter varias res memorabiles, Incendiorum continetur Hiſtoria, ac in eorum cauſſas inquiritur; mira denique thaumaturgi Veli Catanenſis Virginis Agathæ virtute patrata enarrantur. Præclarum hoc Opuſculum latinè redditum a Sigeberto Avercampo habes inter Siculos Hiſtoricos ſumptibus Petri Vander Aa Lugduni Batavorum recuſos. Idem Carrera Tomo primo Memor. Hiſt. Urbis Catanæ libro II. rurſus Ætnæ ideam optimè expreſſam dedit, ut vix aliud optare

Goltzii, & Alberti de Ætna.

Carreræ Ætnæ deſcriptio.

optare queas.

IV. Jam vero memorabilis Incendii, quod anno MDCLXIX. erupit, occasione, nonnulli prodiere libri illius Historiam vulgantes, veluti Thomæ Tedeschii Notitia, Caroli Mancini Enarratio, Ætneus Cataclysmus Francisci Monaco. Eminet autem præ cæteris Joannis Alphonsi Borelli Primarii in Messanensi olim Academia Artis Medicæ, ac Philosophiæ Professoris Meteorologica Historia, de qua inferius. Novissimè Joannis Andreæ Massa Societatis Jesu *Mons Ætna in prospectu* anno MDCCIX. lucem aspexit, quo doctissimus Author, ac de sua Catana meritissimus, aliis, qui de hac re scripserunt, longe antecelluit, omniumque conatus superavit, ut nec postremus in eorum numero, nec ab aliis relictus videri possit. Lusere demum phalerisque poeticis Ætnam exornarunt nedum laudatus Carrera, sed et Henricus Scipio Ode Italica, quæ inter ejus opera legitur, ac Joseph Mazara lepidissimo Poemate, ut Vigintimillius de Siculis Poetis testatur.

Incendii de anno 1669. Hist.

Borelli meteorolog. Hist.

Massæ Ætna in prospect.

Poetę recentiores

V. Quum porro in igne illo perpetuo, quē intra viscera mons gignit, alitque, felicibus ingeniis stadium velut quoddam, in quo quisque pro virili decurreret, disposuisse Natura videatur; hinc præter huc usque enumeratos Fazellum, Cluverium, Carreram, alii & bene plures sunt, qui Philosophicè Ætnam perscrutantes suum de illa judicium variis lucubrationibus tulere. Et ut Veteres hic omittam, quorum præcipuas authoritates Cluverius fusè expendit; nec non Laurentii Bolani ejusdem argumenti opusculum, quod periisse dolemus, illosque prætercam cursim de Ætnęis ignibus agentes, Athanasium Kircherium cum primis recenseam, qui *in Mundo subterraneo* Tomo

Bolani de Igne Ætnæo

Kircherii de Incendiis Ætnæ primo lib. IV. multa de illis congerit, testisque ocularis Ætnænsis Crateris anno MDCXXXVIII. latissimè de concepto in iis cavernis incendio disseruit.

Schotti de Ætnæ Ignibus Gaspar subinde Schot in *Magia universali* Parte Prima lib. I. qui & ipse non semel ad igneos rimandos effectus Catanam venit, complura etiam ingeniosè, solidèq. in id argumentum disputavit. Jam tertius ejusdem Societatis Joannes Baptista *Masculi opus* Masculus, dum Vesuviani Incendii eruditè explorat naturam, Ætnænsis etiam velut ex instituto rimatur caussas. *Portii Physiologia* Scipio Portius Catanensis duodenis lustris in Patrio Gymnasio Philosophiæ Interpres, mox in opere Physiologico Quęsito secundo *de Ignibus Ætnæ, eorumque caussis* scripsit. Dominicus Botonus Siculus Leontinensis hinc integrum Librum tertium *Pyrologiæ* edisserendis ejusdem In- *Bottoni Pyrologia* cendii mirabilibus, quæ cum Baucinæ Duce coram inspexit, sedulo adhibuit; Post quem Alphonsus Borellus jam laudatus librum dedit, cui titulum fecit: *Historia, & Meteorologia Ætnænsis Incen- Borelli Opusculum dii anni* MDCLXIX. Demũ Vir summus, Siculusque Philosophus jure optimo appellandus, Thomas Campaillus Muticensis Patricius dissertationem in *Campaillæ dissertatio* hãc rem nuper edidit, in qua Borelli de Voraginis profunditate errores ostendit, refellitque, ac magno rationum pondere, eximioque ingenio de Ignis Materie, Accensione, & Multiplicatione differit.

VI. Ex horum itaque scriptis velut e limpidissimis fontibus haurire poterit, quisquis absolutissimam Ætnæ imaginem, intimamque cupit assequi notitiam. Nos interim ad alia properamus,

CATANÆ



CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER PRIMUS

CAP. I.

ÆVUM POETICUM, SEU FABULÆ CATANAM, EJUSQ. FINES SPECTANTES.

DEorum Ætas Græcis Poetis celeberrima, qua decurrente frugum messibus annos computabant; adeout Auream etiam illam nuncupatā plerique velint a frumento, quod vere mundi Aurum; Deorum Ævo apud Ægyptios, si Vico (*a*) credimus, respondet, atque in Orbis conditi Seculum nonum supra decimum incidit, quod post Diluvium sæculum creditur secundum. Eodē plane tēpore Idololatriæ Epocam statuit Bianchinius (*b*) & Mythicam seu fabulosam Theologiam a Varrone & Augustino memoratam (*c*) incrementa accepisse, credunt Eruditi. Ab hac ætate Gentium Historia sumpsit exordia; quotquot enim fabulæ olim a Poetis inventæ, deducta traditione, circumferuntur, nonnisi Urbium, ac Populorum facinora repræsentant, atque Gentium Fundatores eorumque gesta, quodam veluti arcano velo obducta exprimunt. Poetas enim, qui primi Gentium Sapientes merito appellati, non omni-

(*a*) *Tabul. Chron.*

(*b*) *Decad. 2. cap. 19.*

(*c*) *Lib. 6. Civit Dei cap. 5.*

omnino mentiri solitos, sed figuris obscurasse, quę dicebant, Lactantius advertit. (a) Et Eusebius *Primam Ægyptiorum Thæologiam veram fuisse Historiam fabulis interpolatam* perspicuè tradit. Hinc Censorinus (b) apud Bianchinium, libros, qui prophanos Deorum ritus cōplectebantur, Historię monumenta a Mystis servata appellat, & Evelmerus a *S.* Augustino ibidem commendatus: *Omnes Deos non fabulosa garrulitate, sed historica diligentia homines fuisse, mortalesque*, fatetur; Ipse demum Augustinus: *fabulas confictas*, ait, *ex occasione Historiarum, quæ res veraciter gestas continent.* (c) Non inficior sub his ipsis fabulis universa etiam Philosophiæ præcepta veluti sub quibusdam integumentis latere, atque arcana dogmata ad mores rectè informandos, vitamque honestè instituendā Veteres comprehendisse. Hinc illud Eusebii (d) *Non ignoro esse nonnullas fabulas apud Græcos hominibus utiles.* A deont illas edisserendo, quæ ad Patriam nostram ejusque fines pertinent, mei instituti partes esse duxerim, cum Historiæ veritatem tum mysticas fabularum significationes quàmbrevissimè exponere. Ex his vero nonnullas, ut ingenuè loquar, quæ rebus nostris accensentur, vix congruere, resque alibi gestas quoquomodo confundere, tam evidenter constat, ut Ego, exscriptis Authorum verbis, qui fabulas hujusmodi Patriæ adjudicant, mox subdere, quomodo res sese habuerint, minime dubitaverim.

(a) *Divin. Instit. lib. 2. cap. 11.*

(b) *de die Nat. cap. 5.*

(c) *lib. 18. Civit. cap. 13.*

(d) *de Præp. Evan. c. 10.*

I. CATACLYSMUS.

Universale Diluvium, quod Cataclysmū Æthnici appellant, nedum Philologicis rationibus, quas congerit Martinus Scoochius, aut Astrologicis Petri Alliaci, ac Joannis Pici Mirandulani, quæ prorsus incertæ, sed Phisicis etiam ex prophana

Historia fabulisque petitis demonstrari Vicus (a) & Bianchinius (b) rectissimè censent. Ipsum Varro Romanorum disertissimus *Ogigis* appellavit, atque ab alio solius Ægypti, quod Faraonis ejusque exercitus in Mari rubro submersio passim creditur, distinxit. Græci universæ terræ Cataclysmum a *Deucalione* dixerunt, ac tertium in Attica induxere, cujus in Historiis mentio nulla; adeout confictum omnino passim velint Authores, meritoque suspicantur Deucalionem ex Ægypto, aut ex Asia in Atticam delatum circa mundi sæculum quintum atque vicesimum, facta unius aut alterius diluvii enarratione, Græcis Poetis, ut tertium obtruderent, a se etiam nuncupatum in Attica, ansam dedisse, ut advertit Bianchinius. Sed jam de Deucalione, quæ ad nos spectantia circumferuntur, ex Hygino audiamus. (c)

(a) *In Assiom. novæ Scientiæ*

(b) *Dec. 2. cap. 17*

II. *DEUCALION & PYRRHA.*

Cataclysmus, quod nos Diluvium vel Irrigationem dicimus, cum factum est, omne genus humanum interiit, præter Pyrrham & Deucalionem, qui in montem Ætnam, qui altissimus in Sicilia esse dicitur, fugerunt. Hi propter solitudinem, cum vivere non possent, petierunt ab Jove, ut aut homines daret, aut eos pari calamitate afficeret. Tum Jovis jussit eos lapides post se jactare. Quos Deucalion jactavit, viros esse jussit; quos Pyrrha, mulieres. Ob eam rem Laos dictus. Laos enim græcè lapis dicitur. Hucusque Hyginus. Cujus narrationi notas aliquot subdere placet a Thoma Munchero adornatas, quæ ad rē nostram pertinent. (*Deucalion*) *Promethei & Pandoræ filius fuisse traditur ab Hesiodo, & Apollonio lib.* 3. v. 1085. *ad quem versum consule* Scholia, *& Lucianum de Dea Syria. Unde disces, Deucalioni, quæ tribuuntur, ea maximam partem convenire Noa-*

(c) *In fabulis cap. 153.*

cho

cho: Triclinius in Pindar: Olymp: 9. Matrem Deucalionis Clymenem facit. (In Ætnam Montem) Servius ad Eclog. 6. 41. in monte Atho servatos eos prodit. Ovid. p. met. 317. in Monte Parnasso ... Nihil tamen hic mutandum. Audi scholiastem Germanici: Aquario: Nigidius Hydrochon sive Aquarium existimat esse Deucalionem Tessalum, qui maximo Cataclysmo sit relictus cum uxore Pyrrha in Monte Ætna, qui est altissimus in Sicilia. Hęc Mũcherus (*a*)

(*a*) *Mythol. latin. tom. p. fol. 223.* Quę porro de Pyrrha & Deucalione tradũtur, Noe prorsus convenientia, quod Muncherus advertit, Natalis Comes in sua Mythologia ex variis cum Poetis, tum Historicis congerit (*b*) In quadam nempe

(*b*) *lib. 8. cap. 17.* arca, rebus necessariis eò comportatis, servatos fuisse, quumque terra multos dies sub aquis latuisset, ut experirentur, an aquæ decrevissent, columbam quamdam, quam secum habebant, emisisse; hanc, quia non invenisset ubi consisteret, cito ad arcam evolasse, quumque demum emissa amplius non rediisset, siccum jam alicubi, nec longe, terræ solum illos intellexisse; egressosque Themidis oraculum, quæ tunc in monte altissimo responsa dabat, adiisse, ut, quo pacto posset humanum genus reparari, sciscitarentur. Hæc & alia fabulis quidem intermixta, historicæ nihilominus veritati sunt consona; Re enim vera Deucalion vitæ integritate, ac erga Deos immortales reverentiâ cæteris præstans hominibus, Universalis Diluvii historiam ab Ægyptiis edoctus, cum Grecis communicavit, quos rudes, ac velutilapideos, omnisque religionis expertes, moribus, Deorumque cultu informavit, atque ad humanitatis studia

(*c*) *In Ætna cap. 12.* revocatos veluti in homines convertit. Subdit clarissimus Joan. Andreas Massa (*c*) Deucalionis fabulâ Poetas innuisse, ab hominibus non longe

post

post Diluvium in Ætna monte ejusque finibus sedes fuisse locatas; Et sane Deucalionem omnium primum Urbes condidisse Diisque templa exædificasset auhor est Apollonius.

Condidit hic primus Urbes, & templa Deorum

Quod vero lapides cum uxore Pyrrha jactando, illos in homines converteret, videtur plane significare, quod e petrarum caveis, ac montium speluncis, ubi primi post Diluvium homines inhabitarunt, gradatim ad plana colenda loca ab ipsis fuerit genus humanum revocatum.

Effloruit Deucalion Sæculo quinto supra vicesimum ut Bianchinius ostendit (*a*) quod a Diluvio septimū. At cum Noe characterem exprimat, atque hinc a nonnullis optimæ notæ authoribus cum eo confundatur, jure merito Ævi hujus primum occupat locum, nec incongruè ab Eruditissimo Vico Ætati Deorum præponitur, inque sæculum decimum septimum rejicitur. Videsis Cluverium *German: Antiq.* lib. p, cap. XXXII. Joannē Ravisium *in Offic.* Brietium lib. v. cap. XI. ac Bocacium lib. IV. cap. XLVII. qui tamen ad Parnasum Deucalionem delatum, cum Ovidio, ac Theodontio scribit; quamvis illum Promethei filium indubiè adstruens nobis quodamodo favere videatur; Pausanias enim Ætnæum Prometheo genitum dicit, qui nomen fortasse Monti indidit, aut ab illo accepit.

(*a*) Decad. 3. cap. 25.

III. GIGANTES SUB ÆTNA DAMNATI

Jovi bellum inferre ausi Gigantes, Deosque cælo pellere conati, dignis affecti pœnis, hàc illac detrusi sub altis montibus dicuntur. De Typhone Hyginus (*b*) *Tartarus ex Terra procreavit Typhonem immani magnitudine, specieque portentosa, cui centum capita Draconum ex humeris enata erant. Hic Jovem provocavit, si vellet secum de regno certare*

(*b*) Fab. cap. 152.

Jovis

Jovis fulmine ardenti pectus ejus percussit; cui, cum flagraret, Montem Ætnam, qui est in Sicilia, super eum imposuit, qui ex eo ardere dicitur.

Typhon (alii Typhœum appellant, ac Titanis filium faciunt) tanta corporis magnitudine fuisse fertur, ut quum tota Sicilia tribus constet promontoriis, supra ejus corpus injecta, seu posita a Poetis fingatur; quumque ex uno in aliud latus volvitur onusque detrectat, insula e fundamentis excutiatur. Ovidius (*a*)

(*a*) *Fast. lib.* 4 & *met. l.* 5.

Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætna.
Cujus anhelantis ignibus ardet humus.

Et alibi Fusius

Vasta Gigantæis injecta est insula membris
Trinacris & magnis subjectum molibus urget,
Æthereos ausum spectare Typhoea sedes.
Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe:
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,
Leva Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur.
Degravat Ætna caput, sub qua resupinus arenas
Eiectat, flammamque fero vovit ore Typhœus;
Sæpe remoliri luctatur pondere terræ,
Oppidaque, & magnos devolvere corpore montes;
Inde tremit tellus.

(*b*) *Pythior. Ode p.*

Eadem habent inter Græcos Pindarus (*b*) aliique, quamvis Virgilius, Lucanusque Typhœum alibi damnatum sub Inarine Campaniæ monte fabulentur. Virgilius:

Tum sonitu Prochita alta tremit, durūque cubile
Inarine Jovis imperiis imposta Typhæo.

Lucanus verò:

Undat apex Campana fremens, cui saxa vaporat
Conditus Inarines æterna mole Typhœus.

Sed hæc fortasse ad exprimendum ignem ab Inarine etiam monte ejectum; Typhœum enim ex Papia

pia penes Boccacium (a) *Flammas Ejaculantem* significare discimus. (a) Geonol. Deor. cap. 22. lib. 4.
Quintus Smyrnæus rebellem Gigantem sub Ætna damnatum Enceladum appellat. Enceladum etiam dixere ex Græcis Orpheus in Argonauticis, Callimacus, Oppianus, atque ex Latinis Seneca, Cornelius Severus in Poemate de Ætna, Sydonius, ac ipse Virgilius (b) (b) Æneid. lib. 3.

Fama est Enceladi semjustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare caverinis;
Et fessum quotiens mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & Cælum subtexere fumo.

Virgilio accinit Claudianus (c) (c) De Raptu Proser. lib. p.

Ætna Giganteos numquam tacitura triumphos,
Enceladi bustum, qui saucia membra revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore fulgur;
Et quoties detrectat onus cervice rebelli,
In destrum lævumque latus, tunc insula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus Urbes.

Et sanè non alium a Typhœo Enceladum esse dixerim, nisi illos diversos Horatius ostenderet (d) (d) lib. 3. ode 4.
ut Boccacius advertit; inquit enim Poeta:

Sed quid Typhœus & validus Minas,
Aut quid minaci Porphyrion statu;
Quid Rhecus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax
Contra sonantem Palladis Ægida
Possent ruentes?

Hinc Philostrati, quem sequitur Cluverius, sententia in Vita Apollonii minimè arridet (e) ubi (e) lib. 5. cap. 6.
scribit: *Ajunt Typhœum quemdam, seu Enceladum sub Ætna monte ligatum, montique obluctantem hunc ignem anhelando emittere.* Nam & Porphyrionem quoque, ut ex Divo Hieronymo discimus,

& Rhecum sub Ætna damnatos Veteres affirmant; Hinc Lucanus (a)

(a) Phar. lib. 6.

Teque sub Ætnæo torquentem vertice vulsas,
Rhœceferox, quamvis Boreas inverteret Ornos

(b) de Raptu Proser. lib. 4.

Denique Claudianus (b) Gigantum spolia atque exuvias per Ætnæum nemus dependere fabulatur, atque ab jis cuique arbori nomen appictum scribit.

Lucus erat prope flavū Acim, quē candida prefert
Sepe mari, pulchroque secat Galathea natatu,
Densus, & innexis Ætnæa cacumina ramis
Quelibet usque tegens; illic posuisse cruentam
Ægida, captivamque Patrem post prælia prædam
Advexisse datur. Phlegræis sylva superbit
Exuviis, totumque nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus, hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ facies truncis, immaniaque ossa
Serpentum passim tumulis exanguibus albent
Et rigidæ multo suspirant fulmine pelles;
Nullaque non magni jactat se nominis arbor.

Hæc mythicè de Typhœo & aliis: *Nunc abscondita corticibus*, ut verbis utar Boccacii, *eviscerandа sunt. Typhœum igitur istum Titanis, ob elatum ejus spiritū, filium dixere, & Terræ ob potentiam; Cum dicat Theodontius: eum antiquissimum Ciliciæ fuisse Regem.* (Siciliæ legit Becussius Italicus Boccacii interpres, & fortè rectiùs) *Et Osirim fratrē superasse bello, atque discerpsisse membratim; & bellum adversus primum Jovem movisse; sed ab eo superatum atque occisum. Verum fictionibus, quibus hæc historia dedisse causam, satis apparet, erit explicatio ista: Videntur enim in his naturam, & causam terremotuum satis convenienter, latenter tamen, ostendere, qui finxerunt. Dicit enim Papias: Typhonem seu Typhœum idem sonare, quod flāmas ejicientem, ut per hoc satis videre possimus, eos* pri-

primò exhalantem in visceribus terræ clausum ignem ostendere voluisse; in quantum illi superimpositos mõtes a Jove, idest a natura rerum, ajunt; Inquantū autem Typhœum se erigere conantem dicunt, terræmotuum causam ostendunt. Est autem terra, ut plurimùm cavernosa, in quibus cavernis, ut aer interclusus sit, aliquando necesse est, & ibidem nonnumquam contingit per subterraneos meatus aquam etiam penetrare, cujus qualicumque motu oportet, ut aer etiam moveatur, qui motu suo, & ab obicibus hinc inde percussus, & in vehementiorem motum excitatus calefit. Eo autem calefacto, tanta potentiæ efficitur motus ejus, ut circūadjacentia cuncta concutiat, & moveri faciat; & si bituminosa, atque sulphurea terra loco tali propinquior sit, ut accendatur confestim necesse est; nec extinguitur unquam tali materie perdurante; Et cū nequeat ignis teneri clausus, & eo ardente multum augeatur aeris, nec tanti sit capax locus, fit non solum concussio grandis terræ adjacentis, sed etiam aperiri cogitur, & exitum præstare accenso igni, qui evaporans Typhonem id est ejicientem flammas locum facit; Et cum Sicilia & Inarines hujusmodi naturæ sint, ideo Typhoni superimpositos finxere Prudentes. Hæc ex Boccacio fusiùs exscripsimus; nostra quippe regio præ cæteris hisce malis subjecta, quorum proinde caussas noscere non injucundum. Jam vero Jovi indictum a Gigantibus bellum impios hominum conatus in Campo Sennaar designare Agiographi pene omnes, quos laudat Augustinus Calmetius (*a*) tenent. Quid enim aliud, vel supra altissimos montes illos conscendisse, ac saxa ingentia in Deos ejaculasse, vel montes supra montes ad vim cælo inferendā imposuisse, significat, quam Turris illius, cujus altitudo cælum contingeret, impudētissimā constructionē, ut in Genesi vulgatū?

(*a*) *Differ. ad Hist. vet. & novi testamen.*

Gen-

Gentium dispersionem tunc factam, Gigantum per varias Orbis partes debellatio, Herculis ope, a Diis patrata innuit. Protrusi denique in ignem Typhœus, Enceladus, Rhæcus, aliique, Satanam, sociosque Angelos Deo omnium conditori ac Domino rebellantes, infernis ignibus addictos indicant, vel Ethicè scelestos homines, ac superbiâ tumentes, a Deo gravissimo flagitiorum vindice profligatos, acerbisque suppliciis affectos; ut Boccacius in Encelado & Natalis Comes (*a*) scribunt. Vicus (*b*) elapsis post Diluvium biscentum circiter annis, Mundi vicesimo sæculo, fulmina e cœlo primum descendisse tradit, ingenti quippe aquarū vi, quę diu terras occupaverant, ignitas exhalationes impediente, ea concipi ante id tempus potuisse, vix credibile. Hinc in Gigantibus ab Jove protrusis historiam recognoscit de illapsis e Cælo primis tonitribus super mōtiū cacumina, a Gigantibus, primisque illis hominibus, ob diluvii metum diu inhabitata; quos metu perterritos ad plana incolenda loca compulsos proinde credit. Hæc, si vera essent, antiquissimam Urbis Catanæ originem non levi conjectura firmarent.

(a) *Myth. lib. 6. cap. 21.*

(b) *In Assiomat. nove Scientia*

IV. CERES.

De Deorum natura differens Tullius eos & esse, & in Cælo esse, nec otiosos contra Epicurum probat: (*c*) Unde autem tot in mundum Deorum nomina emerserint, disputans: *Multæ autem*, ait, *aliæ naturæ Deorum ex magnis beneficiis eorum, non sine caussa & a Græciæ* Sapientibus *& a Majoribus nostris constitutæ nominatæque sunt. Quidquid enim magnā utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate fieri erga homines arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus, vinum*

(c) *lib. 3.*

autem

aut Liberum ; tum autem res ipsa , in qua vis inest major aliqua, sic appellatur , & ea ipsa vis nominatur Deus , ut Fides & Mens. Et paulopost : *Suscepit autem vita hominum , consuetudoque communis , ut beneficiis excellentes viros in Cælum famâ, ac voluntate tollerent . Hinc Hercules , hinc Castor, & Pollux, hinc Æsculapius &c. Alia quoque ex ratione & quidem physica magna fluxit multitudo Deorum ; qui induti specie humana fabulas Poetis suppeditaverunt; hominum autem vitam superstitione omni referserunt.* Hæc ex Tullio præfari de Cerere verba facturū oportuit ; tot enim, tamque diversa de illa vulgantur , ut, aut multas fuisse Cereres , aut sæculis quāplurimis illam vixisse , aut denique , quod veriùs, uni , eidemque sub varia acceptione varia item facinora homines appinxisse autumandum.

Diodorus de Diis secundum Ægyptios loquens: *Duos esse Deos* , ait , (a) *& eos æternos arbitrati sunt, Solem videlicet,& Lunam, & hunc quidem Osiridem , hanc Isidem certa nominis ratione appellarunt* . Mox subdit : *deinceps Saturnum , qui Sororem Rheam ceperit uxorem, ajunt , extitisse , genuisseque secundum quosdam Osiridem , & Isidem . Plures genuisse Jovem , & Junonem tradunt , qui propter virtutem universo Orbi imperarunt . Hos quinque genuisse Deos Osiridem , Isidem , Typhona , Apollinem , & Venerem ; et Osiridem interpretatum Dionysium , Isidem verò Cererem . Hæc Osiris in uxorem supta , regnoque suscepto, multa contulit ad usum vitæ communis . Ejus enim virtute, mutuâ cibi gratiâ, cædes hominum cessarunt . Invento enim ab Iside primùm tritico, & hordeo , quæ priùs incognita hominibus , casū inter cæteras herbas oriebantur , ab Osiride verò eorū fructuum cibi utilitate animadversa , omnes eo nutrimenti genere esse usos* . Leges quoque Isidem sta-

(a) Bibliot. Hist.lib. 1.

L tu

tuisse ferunt quibus Justitia æquè omnibus servaretur, vi, atque injuria, timore pœnæ sublatis.

Hac de caussa prisci Græci Isidem Legiferã appellarunt. Jamvero quum liquidò constet Osiridem Ammonis esse filium, qui communi aliunde Scriptorum calculo Chamus Noe filius creditur, Isidem idcirco Osiridis uxorem ejusdem Chami filiam credi, atque in seculum mundi vicesimum rejici oportet, interque ea numina ob impensa mortalibus beneficia famâ, & voluntate in Cælum, ut ait Tullius, elata adscriptam putamus. Cæterùm Porphyrio Ceres eadem est, ac Ops, seu Vesta. *Id, quod est in terrena vi Princeps, atque primarium, Vesta nominatur. Et Opem quidem lapidosi, ac montani; Cererem verò plani, ejusdemque feracis soli vim appellarunt. Nam Ceres, cum cætera planè omnia cum Ope communia habeat, tum hoc ab illa differt, quod ipsa Proserpinam ex Jove, hoc est recentem, & tenellum ex cremiorum, ac cæterorum hujusmodi virgultorum seminibus ramũ educit. Quę causa etiam est, quamobrem ipsius effigies spicis coronetur, ac papaveribus; quę magnæ fecunditatis symbola sunt, ambiatur*: Porphyrio adhæret Cicero, (*a*) expendens enim *in impias fabulas*, ut ait, *inclusam physicam rationem*, & Proserpinam frugum semen esse adstruens, subdit: *Mater autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam Geres*. Alibi verò (*b*) Chrysippi referens sententiam hæc habet: *Idem disputat, Æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent; quique aër per maria manaret, Neptunum, Terram, eam, quæ Ceres diceretur*.

Jam communis Mythologorum sensus nihil aliud esse Cererem, quam frumentum statuit; unde illud carmen a Natali Comite relatum (*c*)

Nim-

(*a*) Lib. 2. de nat: Deorum.

(*b*) Lib. 1.

(*c*) Myth. lib. 5. cap. 11.

Nymphæ Aqua sunt, frumenta Ceres, *Vulcanus at ignis*.

Proserpinam verò illius filiam herbarum radicem, quæ clam per humum serpit, ac meritò ex Jove, sive ex ætherea benignitate, & semine fingitur nata; alterutro enim deficiente frustra proventus frugum expectatur. Cereris porro Genitor Saturnus, Ops Mater: ille namque Tempus, hec Terra credebatur, eique propterea Siciliam fuisse consecratam, quoniam frumenti feracissima sit Insula.

Et sanè potiori jure ad nos spectare Cererem ex aliis, quæ de illa feruntur, eique Scriptores tribuunt, apertissimè constat. A Theodontio enim apud Boccacium (*a*) Prima Cæli, & Vestæ filia, Saturni soror, Sicani Trinacriæ Regis antiquissimi conjux dicitur, quæ Insulæ incolas frumenti usum docuit. Hinc apud eos festa Cerealia primò instituta, quod innuere videtur Cicero, (*b*) dum Cererem Siculam antiquissimam, & principem omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes, nationesque fiebant, adstruit; & clarissimè tradit Valerius Maximus (*c*) illis verbis *Quoniam sacra ejus*, Cereris Siculæ, *inde orta credebant*. Inter Deas indigenas meritò recenseri affirmat Cajetanus, (*d*) atque ex Julio Solino, Lactantio, Tullio, & Aristotele eruit Petrus Carrera (*e*) Solini verba sunt *Hìc primùm*, nempe in Sicilia, *inventa Comedia est*; *hìc & cavillatio mimica in scena stetit*; *hìc domus Archimedis, qui juxta syderum disciplinam machinarius commentor fuit*; *hìc Lais illa, quæ eligere Patriam meruit, quam fateri*. *Gentem Cyclopum vasti testantur specus, Lestrigonum sedes adhuc sic vocantur*. *Ceres inde magistra sationis frumentariæ*. (*f*) Lactã-

tius

(a) Geonol: Deor. lib: 8. cap: 4.

(b) Verr: 6.

(c) Lib: 4. cap: 1.

(d) Isagog: cap: 3.

(e) Cat: Hist: lib: 1. cap: 1. n. 8.

(f) Polyb hist: cap: 55.

tius verò ex Tullio in Verrem Actione 6. *Vnum ait*, (a) *libet commemorare de Cerere Catanensi, vel Ennensi, quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus secreta penetralia Viris nefas esset; alterius antiquitas tanta, ut omnes historiæ loquantur, ipsam Deam fruges in Ennæ solo primùm reperisse*. Cicero laudata Actione 6. in Verrem: *Vetus est opinio, Insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam. Hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum, atque innatum esse videatur. Nam & natas esse has in his locis Deas, & fruges in ea terra repertas arbitrantur*. Denique Aristoteles (b) *Siciliæ mons est Ætna nomine, in quo antrum quoddam inesse traditur, in cujus circuitu cæterorum florum ingentē copiam omnibus anni temporibus innatam esse asserunt .... Triticum quoque hoc in loco reperiri affirmant dissimile illi, quo Accolæ utuntur, nec non cætero adventitio, quamdam tamen peculiarissimam magnitudinem sortitur. Hoc enim adnotarunt primum triticeum fructum apud ipsos apparere; quocirca Cererem sibi vendicarunt apud se Deam hanc natam, educatamque fuisse*. Ubi nota: Cererem nedum Siculam dici ab Aristotele, sed natam, educatamque in Ætnæ solo. Hinc Claudianus in *Raptu Proserpinæ*, de quo mox dicam, Cereris describens domum; illam in Ætna meritò statuit illis verbis. (c)

Devenere locum, Cereris quà tecta nitebant
Cyclopum firmata manu; stant ardua ferro
Mœnia, ferrati postes, immensaque nectit
Claustra Chalybs, nullum tanto sudore Pyracmon,
Nec Steropes construxit opus.

Ubi enim Cyclopes nisi in Ætna, ut mox videbi-

(a) Divin: Instit: Lib: 2. cap: 1.

(b) De Admir: Aud: n: 80.

(c) Lib. I.

debimus ? Et alibi idem Poeta

Ætneæ Cereri proles optata virebat
Unica

Huc facit, quod Politianus in *Ambra* scribit Jovem inducens sic loquentem:

Utque Rhodos Solem, Venerē Paphos, atque Cythæra
Junonemque Saphos, Cereremque Typhojas Ætna
Sic me Creta colit.

Id demum in celebri illa Inscriptione a Gualtherio inter Siciliæ tabulas relata:

K

ΔΗΜΗΤΗΡΗ ΙΕΡ. . .

Ideſt *Catanęæ Cereri ſacrum*. (Ceres quippe *Dimitir* grecè appellatur.) quæ olim fornici ejusdem Cereris Templi insculpta videbatur, innuiſſe Catanenſes rectè obſervant Carrera, & Blanditius; idque Catanenſia numiſmata, ubi Ceres frequentiſſimè occurrit, ut ſuis locis expendam, ſatis clarè evincunt: *Et ecce* inquit Blanditius (a) *mihi illam multò antiquiſſimam obviam factam Reginam olim Ætneæ regionis, ac Legiferam Cererem, quam de nomine percontari non fuit opus; cum ſpicea corona, tridens in ſiniſtra manu prò ſceptro, & liber in deſtra apertus Cererem ipſiſſimam declarent, qualem in numiſmatibus Græcis Catanæis cuſam habemus. Legiferam, inquam, utpote quæ invento frumento in agro ſuo Catanenſi, prima quoque leges inveniſſe, et dediſſe mortalibus tradatur; ideoque Orpheus in Argonaut: Herodot: et Pauſanias in Boeot: Cererem Theſmophoram, ideſt Legiſlatricem compellent, Plinius verò ſic lib: 7. cap. 16. ſcribat: Invenit frumenta Ceres, cum antea glande veſcerentur, eadem molere, et conficere in Attica, Italia, et Sicilia; ob id Dea judicata: Eadem prima leges dedit. Atque his de cauſis cen-*

(a) De Pat: S. Agbat: lib: 1. m. ſ.

M ſe-

seo a primis Catanæis suæ Cereri ædificatum fuisse apud Catanam Templum, de quo sic Cicero Act: V. in Verr. loquitur: Sacrarium Cereris est apud Catinenses eadem religione, quà Romæ, quà in cæteris locis, quà in toto Orbe terrarum. *In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum &c. Cujus templi januę illa inerat Epigraphe, quæ adhuc viget in vestibulo Palatii Senatus Catan:* K. ΔΗΜΗΤΗΡΗ ΙΕΡ.. *idest Catanęæ Cereri Sacrum.*

Jāvero Cereris Siculæ fabula minime gratis cōficta; ferunt enim frumentum sua sponte natum fuisse in Sicilia, quod, quum a nemine colligeretur, in terram rursus recidebat. Id ut Cecrops Athenarum Rex a quopiam percepit, qui colligerēt, & ad se adsportarent, misit. Quumque Triptolemus prior cepisset, terram arasset, satoque frumento messem demum maturam succidisset, Commentarios de cultu agrorum scripsit, qui ad omnes mortales sunt pervagati. Hinc fabulæ locus a Cerere, quam hospitio exceperat, frumenti serendi artem Triptolemum edoctum, Orbem peragrasse universum. Ita ex variis Authoribus Natalis Comes (a)

(a) lib: 5. Myth. cap. 13.

Arūdelliani Lapides Cererē, ac Triptolemum in annum ante Christum natum MCCCCVIII reponunt, Regnante Athenis Ericthæo, qui annis prope CLX Cecropi posterior.

Cæterùm, quæ ad Cererem, ejusq: cultum apud nostros spectant, de Templis, prophanisque Aris, differendo, inferiùs expendam, complura etiam habes, ubi de antiquis Catanæ Numis, atque Inscriptionibus.

De

V. PROSERPINA.

De Proſerpina hæc habet Blanditius laudato Opuſculo m. s. *Apud Reginam Legiferam Catanæam Matrem aderat Proſerpina etiam ipſa Regina Catanæa, ac Legifera ſpicis coronata; ſic enim eam priſca numiſmata Catanæa promunt, ſic etiam ſub ſigno perantiquo docent ſubſcripta verba:* ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ ΒΑΣΙΛΙΣ ΚΑΤΑΝΑ∴ *A ideſt Proſerpina Regina Catanæa; ideoque Legiferam cum Matre appellat Ariſtophanes in Cerealibus: Bonum omen eſto, preces fundite legiferis Cereri, & Proſerpinæ. Cenſeo autem earum leges ſpectaſſe ad civilem vivendi rationem, ortumque tribuendum compertis frugibus in agro Catanenſi, Leontinoque contermino, ubi fruges ſponte naſcentes ſuâ, cum Mater, ac filia animadvertiſſent, docuerunt homines ferarum ritu viventes agricolationem, diviſerunt agros, ædificarunt oppida, concordia munierunt, beneque vivendi leges ſanxerunt.* Hæc ille.

VI. PROSERPINÆ RAPTUS.

Primus omnium Muſæus Eumolpi Pater ſæculi octavi, & viceſimi initio Proſerpinæ Raptum verſibus vulgavit, ut habent Tabulæ Arundellianæ. Ultimus verò ex Poetis elegantiſſimè tribus libris eumdem complexus eſt Claudianus, qui ſub Honorio Auguſto effloruit. Unde autem hic eruerit, neſcimus; Muſæi quippe opera periiſſe dolent meritò Eruditi. Id citra dubium: Raptum a Claudiano in Ætna monte, ejuſque finibus ſtatui, quidquid obtendat poſt Turnebum Cluverius (*a*) Claudianum emendans, raptamque Proſerpinam in Enna monte, qui Siciliæ Umbilicus appellatur, mordicus ſubſtinens. Illum profectò

(*a*) *Sicil. Antiq: lib. 2. cap. 7.*

fectò calamo cespitasse luculenter Carrera ostendit (a) singula Claudiani loca expendens, quæ quum aptari Ennæ nullimode queant, causâ excidisse suâ Cluverium abundè satis evincunt. Ab iis hic exscribendis, ne actum agere videar, consultò abstineo; aliquot tamen versus ex industria inferiùs proferam, ut sese dabit occasio, fabulam exarando. Id præterire omnino piaculum duxerim, quod idemmet Carrera appositè satis observat: Proserpinæ nempe Raptum Ennæ fundationem præcessisse annis circiter septincentis, si cum Eusebio Pamphilo (b) hunc ducentis annis ante Ilii ruinam contigisse dabimus; cujus calculo Arundelliani etiam lapides respondent. Ipso enim Cluverio teste XI Olympiadis anno secundo Enna Urbs a Syracusanis primò condita creditur, eique nomen inditum ab Enno Duce, ut tradit Fazellus. (c) At, inquies, Mons extabat, etsi Opidum Syracusanorum, ævique recentioris fuerit opus; uerùm fuisse Monti Ennæ nomenclaturam priscis illis temporibus, ante Ennum Ducem, ut hinc posset cum Ætna confundi, est omnino hariolari.

Non inficior, Tullium, Diodorum, Livium, aliosque Proserpinæ Raptum Ennæ adjudicare; id tamen populari voce inter Siculos vulgatum, ob Cereris in Enna celebre Templum, ab illis Authoribus sine delectu, literarum monimentis traditum, jure optimo adstruit laudatus Carrera. Tullio aliunde, Diodoro, ac Livio alios haud imparis notæ objicimus, qui pro Ætna militant; licet illos etiam emendare, seu ut verius dicam, corrumpere, Cluverius studuerit. Et primò Aristotelem (d) *Siciliæ Mons est Ætna, in quo Antrum quoddam inesse traditur, in cujus cir-*

(a) lib. 2. cap. 3.

(b) Prepar. Evang. lib. 10 cap. 3.

(c) Dec. 1. lib. 10.

(d) De Admir. aud. cap. 116.

circuitu æternorum florum ingentem copiam omnibus anni temporibus innatam esse asserunt; sed multò maximè locum aliquem immensum violarum repletum fuisse, quæ regionem proximam suaviolentia replerent. Quamobrem venatores, cum canes ab odore devicti fuerint, leporum vestigia insectari nequeunt. In hoc autem hiatu occultus est ingressus, quo Plutonem Proserpinam rapuisse fabulantur. Quæ sane de Ennensi monte dici nequeunt; *Est enim undique præruptus, omnium rerum per se indigus,* ut Blanditius ait: *& caliginosus, cui autumnalibus, hyemalibus, vernisque mensibus incubant densæ nebulæ sæpissimè, durantque nunc ad unam, nunc ad duas, tresque continuatas hebdomadas.*

Opponimus secundò Solinum (a) *Hic ibidem Campus Ætnensis, omnique vernus die, quem propter demersum est foramen, quo Ditem Patrem ad raptus Liberæ exeuntem fama est luce hac usum. Inter Catanam, ac Syracusas certamen est de Illustrium Fratrum memoria*: Ubi observa: post Ætnensem Campum descriptum statim subdere Solinum Piorum Fratrum facinus, cui Catanensem regionem dedisse caussã, omnibus est exploratum, quasi loci proximioris vellet Historicus celebritatem commendare.

(a) *Polybist. cap. 11.*

In Solini porro editione a Martino Antonio Delrio adornatam irrepsit etiam textus depravatio; sed in notis editor hæc scribit. (*Campus Ætnensis*) *Vet: Cod: Hennensis; lege Ennensis, quia Proserpina juxta Ennam rapta fuit.* Ut hinc intelligas, Solinum: *Ætnensem Campum* scripsisse, ac perperam a nonnullis, qui Tullio deferunt, emendatum. Jam tertio Plutarchus (b) *Itaque,* ait *apud Ætnam in Sicilia nemo canes ad venandum educit, quod ibi multum floreat, ac toto anno pullulet Origanum, loci-*

(b) *Quæst. natur. n. 23.*

loique assiduus odor bonus abripit ferarum vestigia. Fabula etiam fertur, Proserpinam ibi, cum flores legeret, raptam a Plutone fuisse, ideoque illum locum venerantes, tamquam asylum non insidiari pascentibus ibi animalibus. Huc facit vetus ac commune proloquium, cujus meminit Rhodiginus (a) *Venator Ætnæus* idest, qui casso labore Canes ad venandum educit.

(a) *Vari: Lect. lib.* 26. *c:* 20.

Sed Hyginum præstat audire, qui ex Antiquioribus fabulas excerpsit (b) *Pluton petit ab Jove Proserpinam filiam ejus, & Cereris, in conjugium daret. Jupiter negat Cererem passuram, ut filia sua in tartaro tenebricoso sit; sed jubet eum, rapere eam flores legentem in Monte Ætna, qui est in Sicilia. In quo Proserpina, dum flores cum Venere, & Diana, & Minerva legit, Pluton quadrigis venit, & eam rapuit.* Notat hinc Muncherus: *An in Ætna legebat flores, cum in Raptoris manus incideret Proserpina?* Et Scholiastis Pindari ad Nem: verba adfert, quæ de Ætna urbe intelligi possunt, subditque: *An potius scribendum in nemore Ennæ? Arnobius lib.* 5. *Consimiliter Henne nemus, & flores quid sunt?* Confer *Jul. Firm. in E. P. R. Ovid.* 4. *Fast.* 421. *Diodor. lib.* 5. *Cicer.* 6 *Verr.* Sed *mutare quidquam nos vetat luculentus locus Aristotelis lib. de Admir. Aud. cap.* 116. *quem videre operæ erit pretium. Lactan: ad Stat.* 5. *Theb: ver:* 357. *Ut Proserpinam circa cacumen Ætnæ flores legentem raperet. In Argum: lib:* 5. *Met. Ovid: fab:* 6. *Uti Proserpinam circa Ætnam flores legentem cum Minerva atque Diana raperet. Ad locum ergo, quo rapta est, respexit Seneca Her: Fur: ver:* 660. *cum de Proserpina diceret: Quam tota irrita quæsivit Ætna mater. Columella lib.* 10.

(b) *Fabul. cap.* 146.

H

Æquo-

Æquoris Ætnæi vernantia lilia carpsit,
Raptaque lethei conjux modo facta Tyranni

Allegatis a Munchero subdere possem Oppianum in Cynegetico lib. 3. Ausonium in Epist. ad Theonem, Statium in Achil: lib. 1. Silium Italicum lib: 14. quorum congerit textus laudatus Carrera, doletque illos a Cluverio injuriâ obelo confixos.

Nec negotium facessit, quod Tullius laudata Act: 6. in Ver: Ennā describens extare antrum adfirmet illis verbis: *Enna autem, ubi ea, quæ dico, gesta memorantur, est loco precelso, atque edito, quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes; tota verò omni aditu circumcisa, atque dirempta est. Quam circa lacus, lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni. Lacus ut ipse raptum illum virginis, quem jam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope est speluncа quędam conversa ad Aquilonem infinita altitudine, qua Ditem Patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco Virginem secum asportasse.* Nam ut omittam, falsa esse, quæ de loci amœnitate, perpetuisque floribus tradit, ut superiùs ex Blanditio vidimus; antrum quoque nostri designant prope collem Cereris, hodie S: Sophiæ, Aquilonem versus hians, quod a Plutone appellabant; unde in apertum hunc prodiisse cum quadrigis fabulantur. Nec luci, floresque perpetuò vernantes, nec lacus per omnem Montis Ætnæ ambitum desiderantur, ut meritò ejusdem exprimens faciem, clarissimus Petrus Bembus (a) hæc inter alia scribat: *Imi colles ac omnis radicum ambitus per oppida, & per vicos frequens incolitur, Baccho, Pallade, Cerere feraces terræ*

(a) *Dialog. de Ætna*

ræ armentorum omnis generis, supra quam credas, feracissime. Hic amenissima loca circumquaque, hic fluvii personantes, hic obstrepentes rivi, hic gelidissimæ fontium perennitates, hic prata in floribus semper ac omni verna die, ut facile quilibet Puellam Proserpinam hinc fuisse raptam putet.

Jamvero sic apud Mythicos factum memoratur: viduas dudum transegisse noctes, ac steriles duxisse annos Pluto querebatur; petiit ideo ab Jove, ut sibi in conjugē Cereris filiam Proserpinam Virginem pulcherrimam deligeret. Annuit Deorum maximus, sed Cereris veritus repulsam, ut sibi puellam vi surriperet, Plutoni permisit. Claudianus poeticis usus phaleris Plutonem ab Jove, quà minis quà precibus conjugium per Cyllenium postulasse elegantissmè scribit, subditque: (a)

(a) *De Raptu Pros. r. lib. 1*

Audierat mandata Pater, secumque volutat
Diversos ducens animos; quæ tale sequatur
Conjugium, stygiosque velit pro sole recessus.
Certa requirenti tandem sententia sedit.
Ætneæ Cereri, proles optata virebat,
Unica, nec tribuit Sobolem Lucina secundam
Fessaq: post primos hæserunt viscera partus.

Prosequitur deinde: Proserpinam thoro maturam certatim a Procis expeti clarissimis, at Mater raptum timens

Commendat Siculis furtim sua pignora terris,
Infidis natam laribus committit alendam,
Æthera deseruit, Siculasque relegat in oras,
Ingenio confisa soli:

Subtexit totius pene insulæ Trinacriæ descriptionem, mox Ætnæ Montem veluti ob oculos ponit:

In medio scopulis se porrigit Ætna perustis;
Ætna Giganteos nunquam tacitura triumphos.

At

Atque ejusdem incendia, caussasque illorum expendens, concludit

Hic ubi servandum Mater fidissima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates.

Interim Jupiter vocata ad se Venere, illi consiliũ suum aperit, quæ cum Pallade sorore ad locum tendit

Cereris quà tecta nitebant
Cyclopum firmata manu.

Deas, ut sensit adesse, Proserpina, occurrit læta, noctemque cum illis exegit; Mox verò ut illuxit fidei oblita Parentis riguos saltus petit (*a*) (a) De Raptu Pros. lib. 2.

Ter cardine verso.
Præsagæ cecinere fores, ter conscia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Ætna.
Nullis illa tamen monstris; nulloque tenetur
Prodigio; Comites gressum junxere sorores,
Quas inter Cereris proles, tunc gloria Matris
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu.
Viderat herboso sacrum de vertice vulgus
Ætna parens florum, curvaque in valle sedentem
Compellat Zephyrum: Pater o gratissime Veris,
Qui mea lascivo regnas per prata volatu,
Semper, & assiduis irroras flatibus annum,
Respice Nympharum cœtus, & celsa Tonantis
Germina per nostros dignantia lucere campos.

Aderat enim, ut Claudianus præmiserat, Najadum cohors, atque Amenani (legunt alii Chrimnissi) Pantagiæ, Gelæ, Camarinæ, Arethusæ, aliorumque Siciliæ fontium Nymphæ euntes Deas comitabantur, quæ florum sponte enascentium manipulos colligentes calathos implent, atque inprimis Proserpina:

Sociat flores, seseque ignara coronat
Augurium fatale thori.

Hic amœnissimi lacus Pergusæ seu Pergi mentionem ingerit Poeta, quem non longe ab Enna designat Cluverius; & extare quidem ibi etiamnum hodie Lacum non inficior; suum tamen ostentant Scriptores nostri, & bene multi prope Urbs mœnia ad æstivum solstitium, ab anno MDCLXIX Ætnæis lapidibus obrutum ab *Anicito* appellatum. Quamvis putaverim *Pergi* lacum antiquis celebratum alibi circa montis radices in Leucotheæ Regione tribus ferè passuum millibus a Catana, ex illa ingenti aquarum copia, quæ inde eo loci emergit, olim efformatum contra Plutonii antri hiatum, de quo superiùs, fuisse situm; favetque vetus traditio, quæ Leuc otheæ fluminis meminit, cuius fortasse fontes in vallem aliquam priùs coeuntes, inde cursum sumebant, ac in Portum illabebantur; hinc ille:

Haud procul inde lacus Pergũ dixere Sicani.
Talia virgineo passim, dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres.
Pronaque vibratis radicibus oppida verti,
Causa latet; dubios agnovit sola tumultus,
Diva Paphi, mixtoque metu perterita gaudet.
Jamque per anfractus animarum Rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis.

Quumque nulla pateret via, prohibentibus undique rupibus oppositis, indignatus tenebrarum Rex.

Saxa ferit sceptro. Siculæ tonuere cavernæ,
Turbatur Lipare, stupuitfornace relicta
Mulciber, & trepidus dejecit fulmina Cyclops.

Erumpensque semianimem Virginem, Deasque frustra implorantem curru rapit. Diffugiunt Nymphæ Pallas, Venusque furorem simulant, in raptorem invehũtur.

Inte-

Interea volucri fertur Proserpina curru,
Cæsariem diffusa Noto planctuque lacertos
Verberat, & questus ad nubila fundit inanes.
Victusque fletu Pluto, lachrimas tergit,
Et placida mæstum solatur voce dolorem,
Illud subdens inter alia de Stygio Regno, quò properabat.

Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos non tua protulit Ætna.
Hæc fatus, ovantes
Exhortatur equos, & tartara mitior intrat.

Ferunt, viam sibi aperuisse Ditem prope Syracusas, lacumque eo in loco repente extitisse, ubi Syracusani festos dies annuos celeberrimo virorum mulierumque conventu agebant. Pausanias verò in Atticis ait: lacum fuisse apud Caphisum amnē, cui nomen: Caprifico; unde fama est cum rapta Proserpina Orcum ad infera descendisse, Orpheus denique in Argonauticis videtur, Proserpinam super mare latam innuere, cujus carmina apud Comitem habes (a)
Dum hæc agerentur, Cererem peracti

Terrebant simulacra mali, noctesque timorem
Ingeminant, omnique perit Proserpina somno.
Namque videbatur tenebroso (b) obtecta recessu
Carceris, & sævis Proserpina vincta catenis
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qualem roseis nuper convallibus Ætnæ
Suspexere Deæ ... Obriguit visis, prosiliensque

Cybelem matrem alloquitur.

Jam non ulteriùs Phrygia tellure morabor
Sancta Parens; revocat tandem custodia cari
Pignoris, & cunctis objecta fraudibus anni.
Nec mihi Cyclopum quamvis extructa caminis
Culmina fida satis; timeo ne fama latebras
Pro-

(a) Myth. lib. 3. cap. 16.

(b) De Rapt. Pros lib. 3.

Prodiderit, leviusque meum Trinacria colet
Depositum; terret nimirum vulgata locorum
Nobilitas; aliis sedes obscurior oris
Exquirenda mihi; gemitu, flammisque propinqui
Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri.

His prolatis Sicaniam petit, moxque ut neglecto cardine resupinas vidit aulæ suæ fores, vestes cōscidit, & *fractas cum gramine avellit aristas*; auditaque ab alumna raptus Proserpinæ historia, post varios questus, quum de predone esset incerta, de quærenda filia consilium capit:

Notæque jugis illabitur Ætnæ
Noctivago tædas inflammatura labori

Accensis tædis in Ætnæ vertice, quas sibi ipsa præferebat, orbem terrarum peragrasse universum refert Cicero, aliique (*a*) At quum nusquam filiam inveniret, didicit ab Arethusa Nympha raptam fuisse ab Orco, atque ad inferos deportatam.

(a) Verr. 6. Diodor. 6. Ovid. Fast. 4. & Met. 5. Stat. 12. Theb.

Quid actum deinceps, quidve denotet fabula apud Mythicos habes; id unum observa: Scriptum nempe a Theogene, & Apollodoro Cyreniaco (*b*) Jovem ad placandum Proserpinam, ipsi Siciliam donasse; quò sane collimare videtur Græca illa Epigraphes superiùs relata, *Proserpina Regina Catanæa*, cujus meminit etiam Gualtherius (*c*) Scribit Carrera in Orco ex Ætnæ latebris erumpente ejusdem montis ignes posse designari, qui in apertum exilientes vndique vastitatem terris inducunt, ac segetes, herbarumque radices, quæ per Proserpinam significantur, veluti abripiunt. Natalis Comes *Non defuerunt tamen*, ait, (*d*) *qui incredibilem annonæ penuriam fuisse, significari crediderint per eam fabulam, quod*

(b) Lib. p. de Diis.

(c) In Tabul. Sicul.

(d) lib. 5. Myth. cap. 14

quod Pluto Proserpinã rapuit sub terras, quia ita corruptæ sint sementes cęli vitio, & inclementia, ut pene extincta sint frumenti semina in Sicilia per id tempus. Facinus porro, quod fabulis hisce adumbratum Veteres voluere, de Ævo Sicanorum differens inferius aperiam.

VII.

SIRENÆ PROSERPINÆ SODALES

Sirenæ Proserpinam comitabantur, quum hæc ab Orco raperetur; de quibus Hyginus (*a*) *Sirenes*, inquit, *Achaloi fluvii, & Melpomenes Musæ filiæ Proserpinæ raptu aberrantes, ad Apollinis terram venerunt, ibique Cereris voluntate, quod Proserpinæ auxilium non tulerunt, volaticæ factæ sunt. His responsum erat tandiu eas victuras, quamdiu cantantes eas audiens nemo esset prætervectus. Quibus fatalis fuit Ulysses. Astutia enim suâ, cum prænavigasset scopulos, in quibus morabantur, præcipitarunt se in mare, a quibus locus Sirenides cognominatur, qui est inter Siciliam, & Italiam.* Ælianus verò (*b*) Sirenas ore puellari, ac virgineo, alis, pedibusque avium effingi scribit, quod quum essent Proserpinæ sodales, mox ut hæc rapta fuit, ut undique eam terra, marique perquirerent, alas a Diis postularunt, atque impetrarunt, in aves idcirco conversæ. Æliano accinit Ovidius (*c*)

Vobis, Achaloides, unde
Pluma, pedesque avium, cum Virginis ora geratis?
An quia cum legeret flores Proserpina vernos,
In comitum numero mistæ Sirenes eratis?
Quam postquam toto frustra quæsistis in Orbe

(*a*) *Fab.* 141.

(*b*) *de Animal. lib.* 17. *cap.* 23.

(*c*) *lib. Met.*

Protinus, ut vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesque Deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures
Tantaque dos oris, linguæ deperderet usum,
Virginei vultus, & vox humana remansit.

Sirenarum porro scopulos prope Pelorum fuisse nonnulli fabulantur; hinc oram Siciliæ a Peloro ad Acim fluvium a Sirenis appellatam testatur Strabo.

VIII.

VULCANUS, EJUSQUE MINISTRI CYCLOPES.

VUlcanum artes illas excogitasse, ex igne quotquot sunt, adeoque Deum ignis creditum, Mythicis omnibus notissima res est. *Vulcani autem complures*, ut ait Tullius (*a*) *Primus Cœlo natus, ex quo Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui Historici esse voluerunt. Secundus Nilo natus, Opus, ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægypti volunt. Tertius ex tertio Jove, & Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus Menalio natus, qui tenuit Insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur*. Hinc fabulandi occasio Antiquis data: Ætnæ montis cavernas, in quibus magna vis ignis subterranei exæstuat, Vulcani officinam esse, ubi ille Jovi fulmina, tela, atque arma Heroum Cyclopibus ministrantibus fabricaretur. Idem Tullius de div. 17. *Cyclopes Jovi fulmen fabricatos esse in Ætna putant*. Videntur autem intelligere inter Æolias, seu Vulcanias Insulas, Ætnamque meatus esse

(*a*) de nat. deor. lib. 3. n. 39.

pro-

profundiſſimos, unde illæ ignes inter ſeſe invicem cõmunicant; nam & Uulcanias etiam Specus ejuſdem Numinis domum appellant,ibique ipſius fuiſſe incudes affirmant. Famulis porro nomen *Brontes*, *Steropes*, ac *Pyracmon* ut Virgilius teſtatur (*a*) (*a*) *Æneid: lib.* 1

Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen fumantibus ardua ſaxis,
Quum ſubter ſpecus, *& Cyclopum exeſa Caminis*
Antra Etnæa ſonant, *validiſque incudibus ictus*
Auditi, *referunt gemitus*, *ſtriduntquæ cavernis*,
Stricturа Calybum,*& fornacibus ignis anhelat*
Vulcani domus, *& Vulcania nomina tellus.*
Huc tunc ignis potens cęlo deſcendit ab alto.
Terram exercebant vaſto Cyclopes in antro
Bronteſq: *Steropeſq*: *& nudus membra Pyracmon*

Et alibi De Ætna ſingilatim (*b*) (*b*) *Georg: lib:* 4

Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis,
Cum pręparant, *alii taurinis follibus auras*
Accipiunt, *redduntque*, *alii ſtridentia tingunt*
Æra lacu, *gemit impoſitis incudibus Ætna.*

Statius quoque Silvar: lib: 3. & Theb. lib: 5.

Non tam grande ſonat motis incudibus Ætna
Cum Brontes, *Steropeſque ferit* .. ..
...... *Ignifera feſſus reſpirat ab Ætna*
Mulciber ...

Prudentius & ipſe

Nec non regnare caminis
Fertur & Æoliæ ſummus faber eſſe, *vel Ætnæ*.

Claudianus denique (*c*) (*c*) *De Imd: Hon: Conſ:*3.

Vobis jam Mulciber arma
Præparat, *& Sicula Cyclops incude laborat*.

Inde Jovis fulmina Propertio *Eleg* 17. *lib.* 3. Ovidio *de Arte amandi lib* : 3 *& faſt* : *lib*: 1. ac

Senecæ

(a) De Rerum Inven: Senecæ in *Hippol: Ætnæa* appellata; quibus consonans novissimè Sabellicus (a) merito cecinit

Cyclopes mediâ positis incudibus Ætnâ
Humanum docuere genus sibi cudere ferrum.

(b) lib: 1. rerum Sic: A Bronte, Sterope, ac Pyracmone tria in Sicilia Opidula denominata testatur Maurolycus (b) quorum primum hodie, nec ignobile, sub Ætnæ jugo ad occidētem. Uulcano montē dicatum, vel, quòd intra ejus viscera suam ille officinam locarit, vel quod ignes perpetuò halat & non raro foras etiam eructet, celeberrimoque demum delubro, ac luco consecratum ab antiquis abunde constat.

Immo nonnullis, ac Pindaro cum primis Vulcanus *Ætnæus* memoratur. Cæterum Ætnam dici a Nympha cognomine, Oceani filia, Vulcani uxore, ex qua habuit hic Thaliam, Silenus vetustissimus Author literarum monumentis

(c) lib. 2. apud Steph. Epito. tradit (c) ut inde colligas non incongruè Vulcani domum Ætnæ montem appellari. Hinc illud etiam Euripidis (c)

In Ætnæam Vulcani
Oppositam Pheniciæ regionem
Siculorum Montium Matrem audio
Prædicari.

IX

Ætna, Thalia, Palici.

(d) Statur lib. 5 cap: 18. Palicorum fabulam Macrobius hoc pacto expressit (d) *In Sicilia Symethus fluvius est; juxta hunc Nympha Thalia compressu Jovis gravida, metu Junonis optavit, ut sibi terra dehisceret. Factum est; sed ubi venit tempus maturitatis in fantum, quos alvo illa gestabat, reclusa terra est, & duo infantes de alvo Thaliæ progressi emerserunt, appellatique sunt Palici; quoniam prius*

in

in terram mersi denuo inde reversi sunt. Prosequitur de Lacu, & Templo, Araque Palicorum, de quibus suo loco dicendum. Servius Virgilii Interpres paullo diversam refert (*a*) *Palicorum*, inquit, *talis est fabula: Ætnam Nympham, vel ut quidam volunt, Thaliam Jupiter cum vitiasset, & fecisset gravidã, timens Junonẽ, ipsam puellam terræ commendavit, & illic enixa est. Partus ejus, postea cum de terra erupisset, duo pueri Palici dicti sunt, quasi iterum venientes. Hi primo humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt, & eorum immutata sacrificia*. Denique apud Stephani Epitomatorem hæc habes. *Theophilus Descriptione Siciliæ lib.* XI. *Palicinum, ait, esse fontem, ac prope eum Templum Palicorum, qui duo sunt Genii, quos Æschylus in Ætna Tragedia filios facit, Jovis, & Thaliæ Vulcani filiæ, Silenus vero lib.* II. *Ætnæ Oceani filiæ, & Vulcani. Dictos autem Palicos, ajunt, quod cum mortui essent, rursus ad mortales redierint*.

(*a*) *In lib.* 8. *Æneid.*

Sed & alii de Ætnæ origine aliter sentiunt. Demetrius enim Calatianus (*b*) Briarei Gigantis prolem dicit; Alcimus Cælo, & Terra progenitam (*c*) voluit; Silenus denique ut vidimus Oceano natam, Thaliæ matrem effinxit. Nostri veterem Inscriptionem Phœniciis characteribus expressam proferunt, ubi Ætna cum Thalia confunditur; quæ latinæ reddita hæc habet: *Ætna Thalia Celi, & Terræ filia Jovi Deorum Deo Palicos, & necem mihi peperi Dios, ac æternum ignifluo Monti, & Urbi in littore nomen dedi. Non peritura his molibus condor*. Molem porro sepulchralem, cujus fit mentio in Epigraphe, prope summum Montis verticem pyramidis instar stetisse credunt, ejusque rudera esse lateritium

(*b*) *de Rebus Siculis*

(*c*) *de Asia, & Europa*

Q illud

illud adhuc extans, vulgò Philosophi Turris appellatum, tradunt, a Cluverio Templi Vulcani fragmentum perperam creditum, ab aliis vero Empedoclis sepulchrum, unde illi nomen. Inscriptio hæc nescio, an jure a Gualtherio apochriphis accenseatur, de qua suo loco.

(a) Lib. II. cap. 10. Palicorum allegoriam expendit ex Theodontio Boccacius (a) *Cur autem Jovis dicti sint filii Palici, & absorta sit mater, talem reddit rationem Theodontius: Dicit autem, non longe a Panormo* (*) *non ignobilem fuisse scrobem, loco, ubi dicebatur Thalia, in qua omnis aqua, quæ a plaga illa montis Ætnæi ob imbrem cadebat, mergebatur; & quidquid tunc fuisset in cavernam dejectum non multo post in lacus, seu fontes Palicorum ebulientes videbatur emergi; per quod apparebat imbrem, quem Jovis, idest aeris opere natum volunt, eo in loco sub terras condi, & demum apud lacum Palicorum iterum nasci: & sic a Jove nati Palici.*

De Galathea Aci, & PolyPhemo, sequenti Heroum ævo, dicemus.

CAPUT II.

(*) *Videtur Opidulum intelligere quatuor passuum millibus Catanæ dissitum, Galermus hodie appellatum, juxta quod Thaliæ scrobem statuit Blanditius in m. s. Opus: de patria S. Agathæ. Extat autem ibi Templum divo Joanni sacrum, sub quo adhuc hodie videtur scrobs hæc vulgo à S. Joanne nuncupata.*

CAPUT II.

HEROUM ÆTAS, ERRORESQVE CATANÆ FINES SPECTANTES.

SEptimo, ac vicesimo Orbis conditi sæculo Heroum penes Græcos Ætatem statuit Vicus (*a*) decadem verò tertiam, ac duo priora decadis quartæ sæcula Ævo Heroico assignat Bianchinius (*b*) ab anno scilicet mundi bis millesimo ad termillesimum biscentesimum. Quamvis enim Varro Mythicum id tempus dicat ab Ævo Deorum ad Olympiades elapsum, quòd historias ut plurimum Poetarum figmentis fabulisque intermixtas complectatur, neutiquam tamen rerum eo decurrente gestarum veritatem in dubium revocat; quandoquidem vixisse per hæc tempora celeberrimos homines, quos Greci Heroas appellant, egregiisque facinoribus reliquos in magnam sui admirationem adduxisse nullus ignorat. Ægyptii vero, apud quos sexto, & vicesimo Mundi sæculo, juxta Vicum, Heroum viguit Ætas, post Orum scilicet Osiridis, et Isidis, seù Cereris filium, qui ex Diis ultimus Regnum tenuit, suos induxere Pyromos, quos Author Barbaro-latinus apud Scaligerum (*c*) Semideos vocat. Hos post Deos regnasse refert etiam ex Manethone Bianchinius, eamque nomenclaturam fuisse sortitos, quod medii inter humanam, divinamque naturam, & quam sepissimè altero Parente Deo, altero homine nati crederentur.

(*a*) *Tab. Chron:*

(*b*) *Univ: Hist: Dec: 3.*

(*c*) *In Excerptis ex Jul. Afr. & Eusebio.*

Ex his complures Siciliam nostram edidisse, atque ex aliis mundi partibus advectos excepisse

ex

ex fabulis evidentissimè constat, & non obscurè ex Historiis colligitur. Præ cæteris autem totius Insulæ, Catana, ejusque regio Heroum gestis fœcundjor, cum ob ejus originis vetustatem, tum ob Ætnam Montem omni ævo celeberrimum, Poetisque memoratum.

I.
HERCULES

FOrtium virorum, ac bellica virtute insignium, imaginem, pene apud omnes, Herculem referre adeo certum est, ut suum habuisse quamlibet nationem, veluti exploratum inter Eruditos censeatur: cuique nempe, adhuc vel rudi populo neutiquam defuisse, qui morum præstantia, bellandi arte, rerumque agendarum prudentia inter cæteros emineret homines, ardua quæque pro Patria aggrederetur, atque amore gloriæ ultro sese periculis objiceret, Herculisq; nomine indigitaretur. Hinc Varro ad quadraginta circiter enumerat Hercules, quorum celebrior Ægyptius. Hunc Græci suo more sibi vendicarunt, cum alio confundentes Alcmenæ filio, ut Eusebius advertit (a) huic aliorum facinora, atque egregia gesta appingentes, duodecim exantlasse illum labores fabulantur; Tyrannos ubique gentium depressisse, humanas sustulisse hostias, ac impia sacra, atque in Siciliam per fretum mirè delatum Insulam peragrasse universam affirmant. Fazellus Herculis miranda cum religionis, tum fortitudinis exempla recensens ex Diodoro hæc subdit: (b) *Hecules confecto Siculæ collustrationis itinere, totaque sibi Insula subacta, Ætnæi ignis miracula demum cum inspexisset, trajecto rursus euripo in Italiam est reversus.* Eadem habet Maurolycus (c)

(a) Præpa. Ev. lib. 2. cap 1.

(b) Decad. lib. 1 cap 1.

(c) Sic: His: Comp. lib. 2.

Hercu-

Hercules libera regione circa Drepanum accolis concessa, ad Ætnam processit. Hinc cum ea accepisset, quæ de Proserpinæ raptu indigenæ prædicabant, rem ibi divinam fecisse traditur. Quamvis autem Diodorus (a) tantummodo memoret: Herculem Cereri, & Proserpinæ prope Syracusas, auditis, quæ de raptu Proserpinæ ferebantur, litasse, rursus Sacrificia in Ætna illum obtulisse, explorata res est. Ibi enim in Ciane fõte, veluti in loco, ubi Raptori ad inferna aditus patuit; hic ubi Raptus evenerat, tedasq; ad filiã quærendã Ceres accenderat, satis cõgruum Herculi visũ præsens veluti numẽ venerari.

(a) Biblio: lib: 5. cap: 2.

Jamvero ex ejusdem Herculis adventu in Leontinesium agrum, qui Catanensi dubioprocul conterminus, adstruunt nostri, lapides illum posuisse olim, atque aras hinc statuisse Catanenses cum Epigraphe; quod minime incongruum putaverim. Ea verò sic habebat: *Hercules non ultra ausus, hic stetit, & aras ejus imperii fines hoc Dearum monumento vallatos esse decrevimus.* At cum Ætnam usque Herculem progressum, ad ignis miracula contemplanda, ex Fazello & Maurolyco habeamus; aliud fortasse Inscriptio exprimebat, meritoque illam rejicit Gualtherius.

II.
ARISTÆUS.

HUnc ex Apolline, & Cyrene Penei filia genitum tradit Diodorus (b) alii verò Deucalionis Filium appellant. Post multa autem præclarè gesta in Siciliam trajecisse, ibique aliquãdiu commoratum, quum omni fructuum genere, armentisque Insulam refertissimam, deprehenderet, singulorum usum incolas edocuisse authoreſt idem Diodorus: *quo beneficio,* subdit, *Siculi, & ii præ-*

(b) Bibl: lib. 5. cap: 14.

cipuè, apud quos naſcuntur oleæ, pro Deo, ſummo bonore, coluerunt. Tullius in Verrem (*a*) *Ariſtæus*, inquit, *qui, ut Græci ferunt, Liberi filius, inventor oleæ eſſe dicitur*. Plinius Apis etiā et mellis uſum, laſtiſque coagulum illum tradidiſſe ſcribit. Polidorus denique (*b*) Vitis apud Ætnam inventorem ex Athenæo his omnino Verbis Ariſtæum prodit: *at Athenæus ait apud Ætnam Montem Siciliæ vitem inventam, quod cum Oreſtæus Deucalionis filius eò regnatum veniſſet, ejus canis ramum forte evellit, quem ille defodi juſſerat, & inde vitium germina nata, quæ a nomine Canis Œnon appellavit*.

(a) Aſt: 5.

(b) De Inven. Rer. lib. 3. cap. 3.

Illud hìc obſerva, apud Athenæum ex Natalis Comitis interpretatione anno circiter MDLVI adornata, rem aliter enarrari. Notat hinc Carrera mendoſo exemplari uſum Comitem, ac nedum in Ætnæ vocabulo, ut ait Fazellus (*c*) æquivocationem admiſiſſe, ſed in integra pene facti hiſtoria, ut Athenæi exemplaria a Comite edita legentibus patet. Cæterum in ea a Polidoro probata incidiſſe putandum Silvagium, & Chriſtopharum Ruffinum in Cron: tit: *Tempora ante Diluvium*, quibus ſe ſubſcribunt laudatus Carrera, & Auctor *Sicil. in proſp*: Subdit Groſſus ex Nonnio (*d*) perantiquo Scriptore. *Ariſtæum auxiliariis Siculorum copiis obſecundatum, Indos, in quos ſub Ariſtæi ducatu Bacchus bellum tranſmiſerat, facile debellaſſe*. Quæ ſanè Ariſtæum in Siciliam veniſſe certo certius evincunt. Quin immo Petrus Bembus in Dialogo de Ætna Poetarum figmenta explicans: *ab univerſa*, ait, *Ætnę fertilitate, ut opinor, fabula emanavit: Ariſtęum Giganta eo in monte ita ſalvum eſſe, atque vivere, ut neque ab Ætna prematur unquam, neque flammis cæleſtibus inuratur*. III

(c) Decad 2. lib. 2. cap. 14

(d) lib: 13. in Dionys

III.

SYMETHUS, ACIS, GALATHEA, POLYPHEMUS

PErvetuſtum Siciliæ Regem Symethum Servius illud Maronis exponens: *Symethia circum flumina*, inducit : *Symethus*, ſcribens, *fluvius eſt Siciliæ a Rege Symetho dictus haud procul ab Urbe Catinenſi*. Symetho filiam fuiſſe Symethidem tradunt, ex qua Faunus Acim ſuſcepit. Hinc Heroem Symethium Acim appellat Ovidius (*a*) Ejuſdem cum Galathea Nympha amores ſatis ſunt celebres; quos idem Poeta elegantiſſimè expreſſit, dum Galatheam Scyllę alloquentem hoc pacto inducit.

(*a*) *Metamorph. lib.* 13

Acis erat Fauno, Nymphaque Symetide cretus,
Magna quidem patrisque ſui, matriſque voluptas;
Noſtra tamen major; uam me ſibi junxerat uni,
Pulcher, et octenis iterum natalibus actis
Signarat teneras dubia lanugine malas.
Hunc Ego, me Cyclops nullo cum fine petebat.
Nec ſi quæſieris, odium Cyclopis, amorne
Acidis in nobis fuerit præſtantior, edam;
Par utrumque fuit.

Proſequitur amoris vim, et Polyphemi mores, queſtuſque, ac promiſſa enarrare, concluditque de Cyclope loquens

Talia nequidquam queſtus (nam cuncta videbã)
Surgit, & ut Taurus Vaccâ furibundus adempta
Stare nequit, ſilvâque, & notis ſaltibus errat.
Cum ferus ignaros, nec quidquam tale timentes
Me

Me videt, aque Acim: Videoque exclamat, & ista
Ultima sit faciam Veneris concordia vestrę.
Tantaque vox, quanta Cyclops iratus haberc
Debuit, illa fuit, clamore perhorruit Ætna
Ast ego vicino pave facta sub aquore mergor.
Terga fugæ dederat conversa Symethius heros,
Et fer opem Galathea, precor, mihi, ferte Parentes.
Dixerat, & vestris periturum admittite regnis.
Insequitur Cyclops, partemque a monte revulsā
Mittit, & extremus quamvis pervenit ad ipsū
Angulus e saxo, totum tamen obruit Acim.

Quommodo fuerit de inde in flumen sui nominis Acis conversus enarrans, subdit:

Puniceus de mole cruor manabat, et intra:
Temporis exiguum rubor evanescere cepit;
Fitque color primo turbati fulminis imbre
Purgaturque morā. Tum moles tacta dehiscit,
Vivaque per rimas, proceraque surgit Arundo;
Osque cavum saxi sonat exultantibus undis.
Miraque res subitò media tenus extitit alvo
Incinctus Iuvenis, flexis nova cornua cannis,
Qui nisi, quod major, quod toto cerulus ore est,
Acis erat, & sic quoque, erat tamen Acis, in amnem
Versus, & antiquum tenuerunt flumina nomen.

Hæc Ovidius, eademque habet Servius (a) Silius autem de Aci fluvio loquens scribit (b)

Quique per Ætneos Acis petit equora fines,
Et dulci gratam Nereida perluit unda.
Æmulus ille tuo quondam Polypheme calori;
Dum fugit agrestem violenti pectoris iram,
In tenues liquefactus aquas evasit, & hostem
Et tibi Victricem Galathea immiscuit undam

(a) *In Eclogas G. Virgil.*

(b) *lib. 13.*

Ga-

Galatheam Nerei & Doridis filiam a Polyphemo, qui Rex fuit Siciliæ, ut dicemus, adamatam refert Theocritus in Cyclope; ad cujus quidem amoris remedium & fistula, & musarum cantu usum fuisse Cyclopem, atque ex illa Galatum suscepisse testatur Bacchylides apud Comitem (*a*) Appianus (*b*) Illyrici Provinciam describens: *Aſſerunt*, ait, *ejus Provinciæ cognomen ab Illyrio Polyphemo ortum habuisse; Polyphemo quippe Cyclopi ac Galatheæ Celtum & Illyrium, & Gallum filios extitisse, eosque ex Sicilia progressos Celtis, Illyricis, & Galatis, ab ipsis cognomen assumentibus, imperitasse*. Quibus verbis, an Illyrico annuat Historicus Cyclopes Polyphemum, & Galatheam, ut novissimè scribit Ignatius Georgius (*c*) nemo non videt.

De Polyphemo fusius infra, ubi de Vlysse ejusque erroribus. Jamvero quod attinet, ad fabulæ significatum clarissimus Blanditius (*d*) de Ætnę incendiis differens hæc habet: *Liquet fabulantibus Acim Pastorem a Polyphemo Ætnæis saxis oppressum, quod a Nympha Galathea sibi illę preferretur: Nucleum e putamine eruamus: Acis quidam fluvius erat ita dictus, ut ait Eustathius, quod celeriter flueret, quare a sagittaria cuspide nomen accepit; dumque per Ætnæos lacus in mare procurrens, ad lacteum Galatheę fontem dilaberetur, contigit, ut Ætnæus mons magna fama, quod significat Polyphemi nomen, evomeret incendium, fluviumque Acis corriperet, ac ita opprimeret, ut solum ejus rivulos, sub magnis rupibus scopulisque juxta mare exilire permiserit, & antiquum Acis retinere nomen, suumque incendium ab Ætnęo incendio perpetratum testari.*

Theodontius itidem apud Boccacium (*e*) Historia hanc

(a) Myth. lib. 9. cap. 8.

(b) De Bell: Illyrico

(c) Inspect. Crit. de S. Pauli Naufrag. descripti:

(d) De Patria S. Agat. lib. 1. cap. 12.

(e) Geonol. Deori lib. 7. cap. 17

hanc latitare sub ea fictione asserens: *Polyphemum immanem fuisse Siciliæ Tyrannum*, dicit, *& cum Galatheam singularis pulchritudinis puellam amaret, eamque per vim obstupraffet, contigit, ut adverteret hanc cum Aci Siculo adolescente misceri; quam ob causam indignatus juvenem jussit occidi, & in fluvium deici, cujus nomen fluvio postea datum ab incolis est; Galatheæ autem, amore non permittente, nil egit*.. Boccacius vero allegoricè rem sic exponit: *Galathea Dea albedinis est, per quam albedinem undarum sese frangentium intelligo. Acim autē amat, idest fluvium suscipit, quia flumina omnia in mare volvūtur.* Extat hodie frequens Opidum ejusdem nominis, ac non ignobiles pagi, Arxque in abrupta undiq; rupe sita ab Aci etiam appellata, quorum veteres memorias nuper, Sebastianus Vastacirellus eruditè vulgavit.

Circumfertur denique hæc Inscriptio a Gualtherio inter Apocriphas, nescio, an jure, relata (a) ab aliis vero velut legitima ac vera recognita. *Diæ Ougiæ, Saturniæ, Ætnææ Deorum Matri, Filiæ, Uxori in Portu Sepulchrum, Templum, et Arcem, Acis Fauni filius, Pici Nepos, Saturni Pronepos, Latini Frater.*

(a) Tab. Sicil. num. 27. Editi mss.

Ex qua Acidis Geonologia elucet; Saturnum enim Picum genuisse, ex quo Faunus, Virgilius testatur (b)

(b) Æneid. lib. 7.

..... Fauno Picus Pater, isque Parentem Te Saturne refert.....

Ex Fauno porro et Nympha *Laurente Marica* Latinus, ut idem Poeta refert; idcirco Acis ex alia Uxore, Nympha scilicet *Symethide* Fauno natus; Latini Frater. Hic in Italia regnavit; Acis non immerito Siciliæ Rex a nonnullis dicitur, a Polyphemo ob zelotypiam occisus. Eo mortuo

Gala-

Galatheam Polyphemus, et ipse Rex, duxit uxorem, ex qua Galatum, Celtum Illyrium, Henetumque filios suscepit, ut Bacchylides apud Comitem (a) refert, unde Galati, Celtæ, Illyrii, ac Veneti. (a) Peolp. lib.9. cap,8.

IV CYCLOPES AC LÆSTRYGONES

De his fortasse, velut de Primis Siciliæ incolis, Urbisque Catanæ fundatoribus primùm in hac Historia nobis erat loquendum; Verùm quum multa, quæ de Cyclopibus a Poetis finguntur, Vlyssis atque Æneæ errores attingant, hùc opportunius illos rejecimus.

Incoluerunt Siciliā ab initio inquit Thucydides (b) *atque tenuerunt permultæ gentes, quarum feruntur antiquissimi in quadam dumtaxat Insulæ parte habitantes, Cyclopes atque Læstrygones, quorum Ego neque genus, neque unde venerint, neque quò abierint, dicere habeo; sufficiat, quod a Poetis memoratum est, & apud se quisque de illis agnoscit.* Verùm quod Thucydides sese in comperto non habere ingenuè profitetur, undenam scilicet Cyclopes atque Læstrygones ortum duxerint, nuperi Siculæ Historiæ Scriptores conjecturis agentes expiscare pertentant; quamvis, ut assolet in re incerta, in varias abeant opiniones. Complures enim cum Fazello Berosi Anniani libris innixi, ex Chamo Noe filio; alii, duce eruditissimo Valguarnerio, ex Elisa progenitos primos Siciliæ incolas vulgarunt, atque Æolicos seu Pelasgos appellantes, Cyclopum parentes habuerunt; Pelasgos etiam, sed ævi longe inferioris, qui ex abun- (b) Bel: Pelopo. lib. 6.

bundātia juventutis foris navigarunt, perque diversas Græciæ regiões, & extra Greciæ terminos Pelasgū nomē ubique gentium celeberrimum reddiderunt, primos Siciliæ incolas Carusius credit, ut alibi scripsisse memini, quorum filii Cyclopes ac Læstrygones a Poetis sunt appellati.

An hi vero staturâ nimis procerâ communem longe excedente, immanibusque viribus fuerint præditi eò majori contentione exagitatur, quò penes Eruditos acris illa controversia invaluit: an verè Gigantes olim in Orbe extiterint, quidve Gigantum nomine in sacris Paginis veniat. Et sane si Bolducum, qui totus fuit in extrudendis e terra Gigantibus in suo præclaro opere *de Ecclesia ante legem* (a) Theodorumque Richium audiamus, nimiæ credulitatis Fazellum, Valguarnerium, & Cluverium arguentem (b) Poetarum prosus figmenta Gigantes esse, Siculosque Cyclopas dicemus, eos verò, quos Scriptura Divina Gigantes appellat, homines fortitudine insignes, atque a sæculo potentes referre putabimus. Ast communi Scriptorum sensui adhærentes, et olim ante Diluvium, et post ipsum homines magnitudine corporis, cæteris longe præstantes terram protulisse propugnando, veteres, ac recentiores Siciliæ Historicos minime allucinatos, creduloſque credemus, Cyclopasque insulæ nostræ incolas perantiquos fuisse nullimode in dubium revocabimus.

(a) lib. 2. cap. 7. 8. et 9.

(b) Orat de Gigantibus

Non inficior, fabulam omnino sapere, quod fuerint monoculi, seu quod unum in fronte oculum habuerint, homines, hospitesque vel maximè voraverint; sedenim quid hisce voluerint figmentis Poetæ innuere, inferius videbimus de Polyphemo Cyclopum Principe loquentes; inte-

rim

rim in quadam insulæ parte sedem statuisse Cyclopas, atque Læstrygonas, vel ipso Thucydide teste, evidentissime constat, quamvis per universam regionem etiam se se effudisse tractu temporis non negaverim. At qualis hæc specialis eorum sedes? Veteres si consulimus, Ætnæ montem fuisse dubioprocul inveniemus, ac Leontinorum agrum. *Ætna* inquit Mela *Cyclopas tulit.* (*a*) Et Eustathius in Odysseam Homeri lib: IX *Ajunt autem Veteres Cyclopas ac Læstrygonas in Leontino agro, atque Ætna, ut Æolus principatum obtinuit in Liparæis Insulis*. Hinc Strabo de Homeri poesi loquens: *principia suæ Poeseos*, scribit, (*b*) *ex Historia sumit, cum affirmat Æolū Insulis Liparæ adjacentibus imperasse, ac circa Ætnam Cyclopas incoluisse*. Ubi Historicus affirmare videtur, figmentum prorsus non esse, quod Homerus tradit de Cyclopum in Ætna monte incolatu. Euripides etiam

Quæ est hæc Terra, et quinam eam habitant. (*c*)
Ætnæus est tumulus, Siciliæ altissimus:
Cyclopes antra habentes, tecta domorum.

Virgilius *Ætnæos fratres* eosdem appellat Æneidum lib. 3. Ovidius Polyphemum loquentem inducens (*d*)

Sunt mihi pars montis, vivo pendentia saxo
Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu.

Et Tibullus Neptuni filium eundem Polyphemum appellans (*e*) ait.

Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis.

Ejusdem mentis fuere Valerius Flaccus, Statius, Plinius, Vibius, aliique, quorum, quum opportunitas sese offeret, sententias expendam. Hinc Bisciola (*f*) *Cyclopes Siciliæ populos, ad Ætnam montem Virgilius, Naso, Valerius Flaccus, Strabo, Plinius,*

(*a*) lib: 2. cap: 5.

(*b*) de situ Orbis lib. 1.

(*c*) in Cyclope

(*d*) Metam. lib. 3.

(*e*) lib. 4. eleg. 1.

(*f*) tom. 1. Hor. subcis: lib. 7. cap. 11.

nius, innumerabilesque alii literarum monimentis tradiderunt; quamobrem Ætnæi, Siculique dicuntur.

Hisce adactus testimoniis Philippus Cluverius qui apud Erycem, ac prope Drepanum Polyphemi sedem statuit, non inficiatur, Ætnam quoque tulisse Cyclopas, seu Gigantes Ætnæ incolas Cyclopas etiam fuisse appellatos, ut Læstrygones agri Leontinensis cultores, Lotophagi Camarinenses a nonnullis sunt dicti; quamvis non nisi ob vitæ, morumque similitudinem Leontinenses, Ætnæique Gigantes id nomen fuerint sortiti, ac alii omnino ab Homericis sint dicendi; sed enim peculiari examine hæc digna censentur, nec cursim pertractanda. Subdam: ab Hesiodo Cyclopas Cæli & Terræ Filios appellari in Theogonia.

Hæc eadam peperit Cyclopes deinde superbos,
Argen magnanimum pariter Brontem, (Steropemque,
Qui fulmen, tonitrumque Jovi, gravia arma (parabant.
Cetera dissimiles fuerant, sed fronte rotundum
Lumen gestabant mediâ: hinc sunt nomen adepti.

V. PORTUS ULYSSIS SUB ÆTNA.

Postquam Siciliæ Cultores, ex vetustissimis Scriptoribus, Cyclopas fuisse, multis laudatus Cluverius (a) demonstrasset, de Læstrygonibus differens eos nedum e Leontinensibus agris, sed e Sicilia etiam ablegavit, atque in Formiano Littore, haud procul a Circæo monte in Italia ex Homeri, ut ait, mente constituit. Cyclopas mox omne fere Orientale Insulæ latus ad Pachynum usque

(a) Sic: Ant: lib.2.cap.17.

usque Promontorium, sive ad Camarinensium fines tenuisse, veterum authoritate adactus firmans, universam insulam genus tulisse quondam Gigantum, qui in diversos populos sive familiarum corpora fuere divisi, ex quibus memorantur Cyclopes ac Phæaces, ultro ex illorum ossibus ubique per Siciliam repertis asseruit. Verùm non ad Ætnam, Leontinosque, sed ad Drepanum, atque Erycem Ulyssē, ejusdem enarrans iter, appulsum conatur ostēdere; hinc Polyphemū e nostris protrudens finibus in Erycinis statuit hæc scribens. *Illi Poetę* idest Homeri *Interpretes licet antiquissimi, immēsū errarūt, qui Ulyssem e Lotophagorum terra navigantē ad Ætnā mōtem appulisse tradiderunt. Primùm enim non observarunt, quod Poeta quoties Ulyssem suū tranquillo mari, et procul tempestatum abreptionibus facit navigantem, ut e Lotophagorum terra in Caprarum insulam, hinc in Æoliam, inde ad Læstrygonas, ac tandem ad Circen ubique utitur illis verbis* hinc ultra, *sive* prorsus navigavimus. *Illi enim sive in Meninge insula, sive in Agrigentino agro, seu denique in Camarinensi circa Pachynum ponant Lotophagos, tamen hinc non prorsus, sed retrorsus ad Ætnam, atque hinc rursus retro circum Pachynum, & majorem insulæ partem ad Æolias insulas deducunt, quod plane ab Homeri mente abhorret. Secundo non observarunt ante Ætnæ littora, imo ante hoc omne Orientale latus insulam ejusmodi esse nullam, qualem Caprariam insulam Poeta describit.* Quibus sane argumentis rem cōfecisse sibi persuasit eruditissimus Author, pergitque Hesiodum refellere, qui primus Ulyssem ad Ætnam deduxit, atque ad Ortygiam Cyclopas locavit.

sed

Sed ut Hesiodum jure erroris arguit Ortygiam insulam pro Capraria, Cyclopesque Syracusani agri incolas obtrudentem, ita et immerito Ulyssem Ætænis oris exturbare contendit. Quandoquidem Homerus e Malea Peloponensi promontorio in Lotophagorum terram seu Meningem insulam, aut Camarinensem in Sicilia agrum, prope Pachynum vi tempestatis abreptum Ulyssem suum describens, ut recto in Italam, ad quam ille tendebat, cursu eundem deduceret, non ad Erycem, portumque Drepanitanum, atque inde ad Æolias, & ex Æolicis rursus in patriæ conspectū tranquillo mari pervectum promeret; Hinc enim non *prorsus, sed retrosus* Italam versus Ulysses tenderet, *quod ab Homeri mente abhorreret*. Contra eunti a Meninge, aut Pachyno in Itacam, quæ Cephaloniæ proxima Jonio Mari abluitur, in Ætnensi littore statio omnino congruit. Iter igitur per Æolias a Meninge in Itacam naviganti omnino impervium. Non sum equidem nescius plerosque ex Ætna per fretum Mamertinum ad Æoliam Ulyssem deducendo ab hac Cluverii difficultate sese expedire; sed forte bis fretum trajecisse quispiam negabit, atque in eumdem scopulum impingamus oportet; quippe in Itacam tranquillo mari enavigans in Æoli Insulas nullimode incurrit, ut sæpius dictum. Homerus itaque falsa veris intermiscens, quod Strabo observat, ut celebri illi fabulæ de Ventis in utre conclusis, quo Ulyssem ab Æolo donatum confinxit, locum daret, ad Æolias illum ex Ætna advectum vulgavit.

Jam vero, ut ad aliud Cluverii argumentum convellendum accedam, illud primùm mirari subit: Oculatissimum alioqui Scriptorem non adverti-

vertisse, subjectum Ætnæ littus, ex ejusdem montis incendiis innumeras, ut sic dicamus, quotidie facies induere, quodque arenosum olim tutam prebebat stationem, mox scopulis inaccessum, nautas incertos reddere, an illud idem, an aliud sit, quod olim, quod hodie eorum oculis objicitur. Sane Cluverio eidem Sinus Catanensis orientalis plaga longe alia sese spectandam preberet, ac dudum Sæculi exacti initio, coram ipse eamdem prospexerat; Ursinamque arcem, quam proximi maris undis ablutam vidit, arentibus nunc lapidibus obrutam vix agnosceret. Eadem igitur facilitate ante Ætnæ littora, immo ante omne orientale Siciliæ latus insulam extitisse nullam concludit, quod nulla hodie appareat, qua quisque affirmaret, Urbem Catanam scopulis undique nigrisque lapidibus a meridie olim fuisse vallatam, quod nostris hisce diebus ex novissima ignium Ætnæorum incursione ab anno MDCLXIX talis sese omnino prodat.

Sed Portum, ac tutissimum Ætnæam oram habuisse, nedum Virgilius, ac Plinius affirmant ab Ulysse nuncupatum, sed Siculi etiam Annales, ac publica documenta, Fazellus, Bembusque, nuperi Scriptores tradunt, Montisque incendiis vastatum testantur. Dignus præ aliis Petrus Bembus externus homo testisque oculatus videtur, cujus hic verba repetamus ab ipsomet Cluverio relata; (a) de profluviis enim igneis loquens in suo dialogo de Ætna hæc ait: *Inter maxima profluvia, longe memorabile illud est, quod paulo ante nostram ætatem usque intra Catanam excurrens non parvam Urbis partem incendio depopulavit, quin etiam portum eum, de quo Virgilius Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens Ipse*

(a) lib. p. cap. 9.

Ipse sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis ita implevere fluenta Ætnæa, ut jam erraſſe Virgilium putes, quod portum ibi eſſe ingentem dixerit, qui pene nullus ſit. Similia prorſus habet Fazellus (a) Portus ſecuritatem parva inſula, quæ ejuſdem ori obtendebatur, augebat. Hanc eamdem eſſe, de qua Poeta loquitur, noſtri mordicus ſubſtinent; illius enim ambitus bis mille paſſus vix excedens Homeri verbis congruit, qui parvam ſeu brevem appellavit; Situs nec longe, nec prope Cyclopum terras, eam eſſe evincit, unde eorumdem murmur, ac fumus, ovium caprarumque voces poſſent peraudiri: Capras habuiſſe ſilveſtres, arboribuſque fuiſſe illam undique refertam ſubdit Homerus, quæ etiam optimè poſſunt noſtræ inſulæ aptari. Quæ ſane omnia Eguſæ Inſulæ, ſive Caprariæ ante Erycem montem, ac Drepani portum minime congruunt, ut meritò contendit Carrera. Hæc enim XVIII. millibus circiter per circuitum abſolvitur, ac per decem paſſus millia a continenti diſſidens ſilvis atque arboribus caret; hinc exiguam Homerus impropriè appellaret, quodque ex ea murmur, voceſque audiri in oppoſita ora a quoquam poſſent, incongruè nimis diceretur.

(a) lib. 2. decad. p. cap. 4.

Fateor, nec omnia prorſus ab Homero memorata, poſſe etiam noſtræ Inſulæ congruere; verùm quis prohibet, quin figuris nonnulla amplificando, uſum fuiſſe Poetam dicamus? Euſtathius ejuſdem perantiquus Commentator de Æolicis loquens Inſulis tradit: *Homerum unius tantum meminiſſe inſulæ, quam quidam extra loca nobis cognita a Poeta fictam eſſe volunt, quemadmodum, & Phæacum inſulam, & Calypſus, item Lotophagos, & Cyclopas.* Ut igitur potuit hæc

juxta

juxta Eustathium effingere, cur non & Insulam Cyclopum terris objectam modo poetico describere, eique nonnulla verosimilia appingere? Cæterum Homeri Interpretes, aliosque, Ulyssis errores ex Homeri mente describentes, non adeo Geographiæ expertes putaverim, ut crasso errore Cyclopum sedes in Ætnæ littore locare maluerint, quum terris hisce aliunde neutiquam illa congruere adverterent, quæ Homerus enumerat. Quum igitur consensu veluti unanimi id omnes statuant, paucis exceptis, qui neque ex nomine laudantur, ut ipse fatetur Cluverius; nè tot tantosque viros in re non parvi momenti in errorem prolapsos dicamus, fatendum, Ætnensem portum adjacentem habuisse insulam, quò suum deducit Ulyssem Homerus.

Hic a congerendis Interpretum Scriptorumve authoritatibus, quas passim apud Cluverium habes, consultò abstineo, nonnullas enim de Ulysse atque Ænea verba facturus expendam. Illud subjiciam: Cyclopum sedes a Vibio Sequestro non incongrue prope Acim fluvium statui (a): *Acis ex Ætna in mare decurrit, ex cujus ripis saxa in Ulyssem Polyphemus egisse dicitur*. Neque idcirco in sinistro Ætnæi Promotorii, quod Xiphonium dicunt, latere Portus locandus, ut male Cluverius colligit; Scopuli enim, quos in Ulyssem adnavigantem Cyclops intorsit, medii inter Acim, & Portum siti, clarè indicant Ulyssem fuga elapsum ad suos in insulam revertendo, solvisse quidem ex Acis ripis, appulisse autem ad dexterum promontorii latus viginti ferme stadiis ab Catana dissitum, ubi portum, & insulam nostri collocant, ab Ulysse appellatos. Hæc porro Plinii verbis prorsus cohærent, qui

(a) *In Catalogo fluminum*

lib.

lib. 18. cap. VIII. scribit, *Flumen Asines, Mons Ætna, Scopuli tres Cyclopum, Portus Ulyssis, Catana Colonia*. Cyclopum mores inferiùs ex Homero delineabimus.

VI. ULYSSES AD ÆTNAM APPULSUS.

ILium a Græcis duce Menelao post decennale bellum flammis consumptum vetustissimo Poetarum Homero authore, qui inter Ethnicos meritò primus censetur Scriptor, jam inde ab annis ferme bismille quingentis Orbis accepit universus. At ex recentioribus complures Homeri Iliadem, atque Odysseam, quibus Trojæ excidium, erroresq; Græcorum describuntur, poëticum prorsus existimant figmentum; nullibi Trojam extitisse, nusquam a Græcis bellum fuisse Dardanis illatum. Hinc Iliade, ubi Achillis fortitudinem, atque insignem animi vigorem Homerus extollit, cujusque laudi ac gloriæ velificatur, non nisi hominis bellandi virtute præditi imaginem effingere. Odyssea verò virum a prudentia, consilio, atque intellectus acumine commendatum sub Ulyssis charactere exprimere Poetam opinantur. Homerum alii omnino negant, paucisque ab hinc annis Joannes Baptista Vicus verum detexisse Homerum in suo de Principiis novæ scientiæ eruditissimo Opusculo (a) multis ostendit, ex variis nempe a Cyclicis Poetis vario tempore vulgatis, inque unum corpus collectis carminibus cum Iliadem, tum Odysseam coaluisse concludens; Herodotum consequenter, Plutarchum, Svidam, Politianum, Camerarium, aliosque sexcentos, qui Homeri vitam literis commendarunt, deceptos; Ditem Cretensem Phrygiumq: Daretem, qui Trojani excidii historiam con-

(a) lib. 3. per totū

conſcripſere Apochriphis accenſendos colligit.

Non deſunt denique, qui Trojæ bellum extitiſſe quidem, ſed re infecta Græcos ad propria remeaſſe contendunt (a). Verum quidquid rigidi aliquot ſentiant Critici recentiores, convenit inter Scriptores pene omnes præſertim veteres decennale ad Ilium bellum Græcos aliquando commiſiſſe, ac poſt Urbis excidium circa Siciliam, atque Italiam illorum aliquot erraſſe. Non inficior quidem Erathoſtenem, eiuſque ſectatorem Apollodorum, ac Philoſtratum: *An Ulyſſes, et ubi erraverit*, in dubium olim revocaſſe; ſed ſatis longa, docta, exqueſitaque Poetam diſputatione Strabo vindicavit (b) atque argumenta, quibus contra Homerum Erathoſtenes uſus eſt, complura confutavit, illud præcipuè ex Polybio repetens: *Omnia nempè confingere neque conſentaneum eſſe, neque Homericum*.

(a) Bianchinius Hiſt. univ. cap. 29.

(b) lib. 2. de situ Orbis

Utquumque fit, Homerus libro IX. Odyſſeæ Ulyſſem introducens apud Alcinoum in Phæacum inſula errores ſuos enarrantem, exponit, ut ab Ilio profectus primum ad Cicones delatus ſit, utque illinc, expugnata Iſmaro Civitate, multiſque amiſſis ſociis, fugatus abſceſſerit, atque Maleam Laconiæ promontorium circum legerit, ac ad Lotophagos deinde dira tempeſtate jactatus venerit; unde ad Cyclopum inſulam navigavit, atque ad dexterum Ætnæi ſive Xiphonii promontorii latus adpulit, ubi hodie commoda ſatis Nautarum ſtatio, ab *Ongia* appellata; olim vero Portus, & inſula extabant. Hinc Tibullus (c) Ulyſſis errores per compendium deſcribens ait:

Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua Maris extremis tellus includitur undis;
Nam Ciconumque manus adverſis repulit armis;

(c) lib. 4. carm. 1.

Non valuit Cyclops cæptos avertere cursus;
Cessit & Ætnæ Neptunius incola rupis,
Victa Maronæo fedatus lumine Baccho.

Euripides vero in fabula, quæ Cyclops, inscribitur:

Jam prope Maleam navigantes
Subsolanus ventus adspirans ad navim
Impulit nos ad hanc Ætnæam rupem:
Ubi Monoculi filii marini Dei
Cyclopes habitant antra vasta homicidę;

(a) lib. 6. Statius quoque in Tebaid: (a)

Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Ætna
Lucis egente manu tamen in vestigia puppis
Auditæ, juxtaque inimicum exegit Ulyssem.

(b) Æneid. lib. 2. Virgilius Achamenidem unum ex Ulyssis sociis ad Ætnam montē a fugientibus relictum Æneæ in navi stanti e littore adloquentem inducens (b) ait.

Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in atro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat.
Centum alii curva hæc habitant ad littora (vulgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.

Et paulo post

At genus e sylvis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus & littora complent.
Cernimus adstantes nec quid quam lumine torvo
Ætnæos fratres cælo capita alta ferentes.

(c) De situ Orbis lib. 1. Strabo denique (c) *Accepit ergo Homerus principia suæ poesеos ex historia, nam & Æolum Liparæis insulis imperasse, atque loca circa Ætnam, & Leontinum agrum tenuisse Cyclopas, & Læstrygonas homines inhospitales tradit.* Sed hæc fusiori calamo alibi enarrata. Effingit autem laudatus Euripides ante Ulyssem in eamdem Siciliæ oram vi tempestatis adactum Silenum quemdam, quum ex Ilio redux in patriam navigaret, appulisse

pulisse, captivumque Polyphemi servitio deputatum, hujusmodi colloquium cum eodem Ulysse ad littus appellente instituisse.

Ulys. Quæ est hæc terra, & quinam eam habitant?
Sil: *Ætnæus est tumulus Siciliæ altissimus.*
Ulys. Mœnia verò ubi sunt, & Urbis turres?
Sil: Nullæ sũt; tũuli isti sine hominibus sunt, hospes.
Ulys. Quinam verò hanc habitant terram? Est ne aliquid genus ferarum?
Sil: *Cyclopes antra habentes, non tecta domorum.*
Ulys. Cui parent? An populare est imperium?
Sil: *Vagi sunt Pastores; nec ullus ulla in re (alteri paret.*
Ulys. Seminant ne spicas Cereris? aut unde vivunt?
Sil: *Lacte, et caseis, et pecudum esu.*
Ulys. Bacchi ne potum habent ex fluxu vitis?
Sil: Minime: ingratam enim ei habitant terram.
Ulys. Sunt ne hospitales, ac pii in hospites?
Sil: *Dulcissimas, dicunt, carnes hospites ferre.*
Ulys. Quid ais? delectantur ne voratione cæsorum hominum?
Sil. *Nemo venit huc, qui non interfectus sit.*

Eosdem omnino attribuit mores Cyclopibus Homerus, sed de soli feracitate aliter sensit. En ejus ex ore Vlyssis verba:

Cyclopum autem ad terram superborum exlegum
Venimus, qui sanè Diis freti immortalibus,
Neque plantant manibus plantam, neque arant;
Sed hæc inseminata, & inarata omnia proveniũt;
Triticum, & Ordeum, atque vites, quæ quidem ferũt
Vinum ex magnis uvis; & ipsis Jovis imber incrementum dat.
His verò neque conciones consiliariæ sunt, ne-(que jura,
Sed ipsi celsorum montium inhabitant cacumina,
In

In speluncis cavis; Jus autem dat unusquisque
Liberis, atque uxoribus, neque se invicem curăt.
Insula deinde brevis a portu obtenditur
Terræ Cyclopum non prope, neque remota;

In quam trāsmittere Cyclopibus neutiquam datum, subdit, *non enim Cyclopibus naves adsunt, neque viri insunt navium fabri.*

Prosequitur deinde enarrationem suam Vlysses, memoratque, quomodo Deo duce insulam tenuit, collectisque velis, cum sociis egressus, somno in maris littore indulgens auroram expectavit. Qua apparente, per insulam obambulans, capras silvestres, quibus insula scatebat, insectatus, decentemque sortitus venationem prædam singulis navibus attribuit, refectisque viribus integram ibi consumpsit diem. Mane altero concione habita, exploraturus homines, quinam essent, cum sua navi transmittens in propinquam pervenit oram; ubi in extrema parte speluncam vidit excelsam, laurisque densam, ac multa in ea pecora, ovesque, et capras quiescentes; juxta autem aula ædificata erat sublimis excisis lapidibus, longisque pinis et quercubus intexta. Hanc vir habitabat ingens, monstrum sane horrendum cacumini silvoso excelsorum montium similis. Porro eligens socios duodecim optimos, aliis, ut navem custodirent, relictis, utremque caprinum nigri vini suavissimi, quod a Marone Evanthi filio Apollinis Sacerdote acceperat, secum deferens, antrum adiit, ut a viro hospitalia acciperet. Cyclops autem pascendis gregibus vacabat; tum igne accenso Vlysses, et caseos sumens comedit, expectavitque redeuntem.

Ferebat ille ingens pondus ligni aridi ad opus cœnæ, quod ante antrū dejiciens strepitum edidit adeo in-

ingentē, ut perterriti hoſpites in antri receſſum repente ſeſe proriperent. Actis interim in latā ſpeluncam pecoribus, ingentique ſaxo ejuſdem aditu occluſo, oves capraſque Cyclops mulſit, lactiſque dimidium coagulans, textilibus in calathis conſtructum repoſuit, reliquum verò in vaſis conſtituit, ut ei ad cœnam ſufficeret; Expeditis operibus, igneque accenſo, ut hoſpites aſpexit, quinam eſſēt, & unde navigarēt interrogavit; cui quū Ulyſſes ſe Græcos eſſe a Troja aberrantes, ac milites Agamēnonis reſpondiſſet, atque hoſpitale munus ſupplex per Jovem *Xenium*, qui Deus eſt hoſpitum, ac tutelaris, poſtulaſſet; *Stultus es*, repoſuit ſævo animo Cyclops, *o Hoſpes, qui me Deos jubes ſive timere, ſive obſervare; non enim Cyclopes Jovem a capra nutritum curant*. Moxque de navi, an alicubi in extremis locis, an prope eſſet, ſubdolè interrogavit; cui doloſis etiam verbis uſus Ulyſſes: *Fregit Neptunus*, ait, *terræ quaſſator ad ſcopulos conjectans*. Quibus auditis, irruens ille duos ex ſociis correptos, quemadmodum catulos ad terram alliſit, ac membratim reſecans cœnam apparavit, impletoque ventre jacuit inter pecora extenſus.

Tunc propius accedens Ulyſſes, atque acutū ſtringens gladium vulnerare ad pectus dormientem cogitabat; ſaniori tamen conſilio abſtinuit, doliſq; rem tentare, quàm vi aperta conſtituit; non enim ab janua excelſa, Polyphemo interfecto, grave ſaxum manibus movere potuiſſet, ſævaque morte ibi concluſus, cum ſociis perire oportebat. Auroram igitur expectavit, qua apparente, duos alios ex ſuis a barbaro homine occiſos indoluit, quos ille pro jentaculo ſibi appoſuit, actiſque ex antro pecoribus, ut ad paſcua educeret, ingentem lapidem leviter dimotum, rurſus, ne prędā efugeret, oſtio admovit.

Interea mala profunde cogitans Ulysses, si quo pacto ulcisci posset, voto Palladi nuncupato, Cyclopis ingentem clavam, quam ex olea exciderat, ut ferret arefactam, corripiens, ope suorum, quantum ulna est, ex ea exsecuit, frustrumque politum ac levigatum circa summitatem acuit, abscondensque sub stercore, quod per speluncam fusum erat multum, socios elegit quatuor ad opus, quibuscum consilium suum communicavit. Jam vero vespertinus quum rediret Cyclops, ac pecora omnia intra profundam conclusisset cavam, repaculo admoto, denuo duos hospites corripiens cœnam ex illorum carnibus instruxit. Tum Ulysses nigri vini poculum offerens: *Cyclops accipe*, ait, *bibe vinum, postquam comedisti humanas carnes*. Quo hausto: *da mihi adhuc benignus*, ait ille, *& tuum nomen aperi, ut hospitale tibi munus præbeam*. Quumque rursus ac tertio propinasset; *Cyclops*, subdit Ulysses, *interrogas me nomen inclytum. Utis mihi nomen est; Utim autem me vocant Pater, & Mater, omnesque alii socii*. (Utis idem Latine sonat ac nullus) At ille: *Utim ego extremum comedam post suos socios; hoc tibi hospitale munus erit*. Dixit, & recumbens cecidit supinus. Tum Ulysses vectem jam ante levigatum, sub cinere demisit multo, ut calefieret, verbisque ac nutis socios confirmans, ut candentem oculo Cyclopis infigerent, jussit, ipseque inferne innixus versavit, veluti quis terebrat vir navale lignum.

Expergefactus ille horrende ejulavit, insonuitque antrum, ac vectem eximens, infixum, multoque sanguine aspersum, Cyclopas socios alte vocavit. Hi circa ipsum habitabant in speluncis, accurrentesque ad antri ostium interrogabant: quid-

quidnam ipsum affligeret; quos alloquutus Polyphemus: *Amici*, ait, *Vtis me dolo interficit*. Illi vero respondentes: *Volatilia verba*, dixerunt: *Quod si certe jam quis tibi vim infert, cum solus sis, nullo modo licet Jovis magni effugere plagam*. Hisque prolatis, *Vtis* vocabulo, quod, ut innui, *Nullus* sonat, decepti, abierunt, risitque Vlysses, quod eo nomine Cyclopem, ipse vero etiam et suos elusisset. Hic porro magna voce ingemiscens, ac dolens, manibus palpabat, ut aliquem præhenderet, amotoque ab ostio lapide ad januam sedit, si aliquem fortassis inter oves foras exeuntem caperet. Tum quid facto optimum esset deliberans Græcus hospes, ut mortem evaderet, colligatis ovibus pinguioribus ternis ac ternis, sub ipsis singulos abscondit; Ipse tergum arietis omnium optimi arripiens villosum sub ventrem dilapsus pendebat, ac mane facto inter pecora immixtus ex antro prosiluit, cursuque propero, ad navem secum non parvam ovium manum deferens festinavit. Hinc, quando tantum aberat, quantum utique audiri posset, Cyclopem conviciis appetens: *Cyclops*, clamabat, *imbellis viri socios mandere in spelunca haud debebas. Te sane invadere mala facta congruum; justumque erat. Infelix, quoniam hospites non verebaris, tua in domo absumere, te Jupiter ultus est*. Sic dicebat; ille autem ira percitus, verticem magni montis abrumpens misit, dejecitque ante navem, ut parum abfuerit, quin perirent; istumque geminavit.

Verum Ulysses ab exprobanda feri hominis immanitate nequicquam se compescens, e navi, elata adhuc voce, ajebat: *Cyclops, si quis te inter mortales homines oculi interrogaverit indecentem cæcitatem, dic: Ulyssem Vrbium eversorem evulsisse*. Quibus auditis ejulans ille respondit: *Papæ, quam sci-*

scilicet mihi prisca vaticinia accidunt. Erat quidam hic vates vir bonus, magnusque Telemus Eurymedes, qui vaticiniis superabat, & vaticinans consenuit inter Cyclopas; qui mihi dicebat, ex manibus Ulyssis privatum iri visu, sed quemdam semper virum ingentem & pulchrum existimabam huc venturum esse, magna præditum virtute; nunc autem me parvus, & imbellis oculo privavit, postquam domuit vino. Sed agè huc veni Ulysses, ut tibi hospitalia præbeam, deductionemque solicitem dare inclytum Neptunum. Hujus ego sum filius, Pater autem meus gloriatur esse. Quumque Ulysses ipsum increpans alloqueretur: *Utinam verò anima, & vita spoliatum te potuissem intra Plutonis domum mittere!* Continuò ille Neptuno Regi supplicans, manusque in Cælum extendens: *Audi Neptune,* ait, *terram concutiens nigra cæsarie, si utique tuus sum, Pater autem meus gloriaris esse, da, ut Ulysses in patriam non veniat. At si illi fatale est amicos videre, & pervenire domum, suamque in patriam terram, sera malè veniat, postquam perdiderit omnes suos, nave in aliena, inveniatque detrimentum domi.* Ulysses interim elapsus in parvam insulā pervenit, ubi aliæ naves stabant, lugentesque socii illum expectantes sedebant. Ut littus tenuit, deducta ex navi Cyclopis pecora aliis divisit, Arietem vero, cujus ope evaserat ex antro, Jovi maximo eodem in loco immolavit, atque altero sole conscensis navibus, corde tristatus, quod socios amiserit, lætus, quod mortem evaserit, in Æolias aut per fretum, ut non pauci sentiunt, aut per Pachynum, & Lilybæum promontorium navigavit.

Hæc ipsis ferme Homeri verbis referre placuit; cæterum complura omnino conficta, nonnulla vero similia putaverim. Quæ uti vera vulgantur

gantur, Servius antiquissimus Virgilii Interpres et Joannes Tzetzes literis tradiderunt; Polyphemū scilicet Siciliæ imperasse, ac circa Ætnam sedem statuisse, quumque eximia prudentia polleret, atque omnia solicitè providendo solerter ageret, oculum veluti in fronte illum habere Poetæ effinxerunt; cujus etiam ingentem in sibi subditos authoritatem, potentiāque in prægrandi statura adumbratam voluere. Huic prudentior Ulysses, quum in Siciliæ oram ex Ilio redux appelleret, dona detulit; quibus ejus immitem in hospites animum compescuit, dolisque, & artibus illius oculatam vicit prudentiam, atque incolumis cum suis evasit. Boccacius (a) Polyphemum Neptuni, et Thoesæ filium dicit; hanc vero Phorco Sardiniæ Rege progenitam. Matris autem ope in Siciliam illum transmisisse, *cujus cum occupasset partem, seu forte totam, incognitus*, Neptuni *filius fit dictus et tyrannus insulæ factus*. Servius vero (b) *Multi Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres, sed totum fabulosum est; nam vir hic prudentissimus fuit, et ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, idest juxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verum Ulysses eum prudentia superavit, ob quod eum cæcasse fingitur*. Tzetzes denique *Cyclopes*, ait, (c) *cum essent ignavi extruendi naves, occidebant hospites applicantes præ timore, ne forte ingressi, obtinerent regiones illorum*. Hinc vlterius de Polyphemo et Ulysse subdit: *Sic vero et Ulyssem ad hos cum appulisset, custodia coercuerunt, atque interfecerunt hujus socios. Quod appellarunt devorationem olim fabularum scriptores. Verum illa cum titione excæcatio Cyclopis, hujusmodi fuit: Ulyssis socii jam occidendi erant inclusi; pecunias autem dans Ulysses* Cy-

(a) *Geon. Deor. lib.10.cap.11.*

(b) *Æneid.lib.3.*

(c) *Chil.10.Hist. 360.num.921*

Cyclopem inebriat; videlicet ignavum facit ad occidendum hos. Sic verò pecuniarum ebrietate emollito, titione hunc conficientes, fugiunt ex insula; vel certè Elpen filiam, quam habuit vice oculi, cum rapuissent illi (Amauerat enim illa aliquem ex sociis Ulyssis) fugiunt omnes, cum illa carcerem aperuisset. Manifestum hoc autem fuit hominibus circum circa; quod Cyclopis rapuissent Elpen filiam; ut autem illi ad uicinos Læstrygonas venerunt, hos omnes occiderunt Læstrygones, preter nauem unam Ulyssis; abstulerunt autem & Elpen Cyclopis filiam, & Cyclopi dederunt. Hæc ille.

VI. ÆNEAS, ARCENS.

Æneæ fabulam ad Homerici Ulyssis imitationem confinxisse Virgilium, Macrobius multis ostendit, (a) utque Ulyssem suum ille ad Cyclopas sub Ætna, ita & Æneam ad eadem deduxit loca latinus Vates. Mirari profectò subit: Cluverium ac Bochartum Æneæ quoque appulsum ad Ætnæum littus negantes, Erycino ac Drepanitano annuere; ex ipsis quippe Maronis verbis, Æneidum Libro III, ubi ex persona Æneæ, eius describuntur errores, utrumque Scriptorem allucinari apertissimè constat. Non inficior Dionysium Alicarnasseum (b) Qui synchronus Virgilio fuit, Æneæ iter describendo, illum ad Siciliæ oras prope Erycem ac Drepanum advectum, expressis verbis tradere; sed & maritimam Ætnæ, totamque orientalem insulæ oram circumlegisse non obscure etiam innuit, dum per Italiæ littora ad Mamertinum fretum, hinc e freto per orientale ac meridionale latus ad Erycem deducit, quod ipse observat Cluverius

(a) Sat. lib. 5. Cap. 11.

(b) Hist. lib. 1.

verius (*a*) nec ex Virgilio aliud eſt Æneæ claſſis iter: hinc Servius: *Inde prætervectus* Æneas *maritima Græcię, apud Epirum ſuſceptus eſt Heleni hoſpitio; unde profectus Calabriam tenuit, & illinc ſtatim territus adventu Diamedis, abſceſſit, navigavitque uſque ad* Scyllam,*& Charybdim,quæ ſunt Ætnæ vicinæ*. Unde *vento pulſus, circumita maxima parte* Siciliæ, *Drepanum venit, ubi ſecundum Virgilium perdidit Patrem*. Jam ergo Æneam Didonem alloquentem audiamus.

Interea feſſos ventus cum ſole reliquit,
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens
Ipſe, ſed horrificis juxta ſonat Ætna ruinis.

Deſcriptoque monte ſubdit.

Noctem illam tecti Sylvis immania monſtra
Perferimus,nec,quæ ſonitum det cauſſa, videmus.
Nam neque erant aſtrorum ignes, nec lucidus (æthrâ
Sydereâ polus: obſcuro ſed nubila Cælo.
Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.
Poſtera jamque dies primo ſurgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum ſubito è ſylvis macie confecta ſuprema
Ignoti nova forma viri miſerandaque cultu
Procedit, ſupplexque manus ad littora tendit.
Reſpicimus. Dira illuvies, immiſſaque barba
Conſertum tegmen ſpinis, at cætera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam miſſus in armis.
Ipse ubi Dardanios habitus, & Troja vidit
Arma procul, paulum aſpectu conterritus hæſit,
Continuitque gradum,mox ſeſe ad littora preceps
Cum fletu, precibuſque tulit: Per ſydera teſtor
Per ſuperos, atque hoc Cæli ſpirabile lumen,
Tollite me Teucri, quaſcumque abducite terras:

Hoc

(*a*) *Sic. An.lib.*2. *cap*. 17.

Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum
Et bello Iliacos fateor petiisse penates,
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo manibus hominum, periisse juvabit.
Dixerat, & genua amplexus genibusque vo-(luntas.
Hærebat. Qui sit fari, quo sanguine cretus,
Hortamur, quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse Pater dextram Anchises haud multa (moratus
Dat juveni, atque animum præsenti pignore (firmat.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca comes infelicis Ulyssis
Nomine Achæmenides, Trojam Genitore (Adamasto
Paupere (mansissetque utinā fortuna) profectus,
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie, dapibusque cruentis
Intus opaca, ingens, ipse arduus, altaque (pulsat
Sydera (Dii talē terris avertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.

Prosequitur subinde Græcus miles enarrare Polyphemi in socios immanitatem, atque audax Ulyssis in eo excæcando facinus, tum subdit.

Sed fugite, o miseri, fugite, atque e littore Solvite. funem
Nam qualis quantusq; cavo Polyphemus in antro
Lanigenas claudit pecudes, atque ubera pressat.
Centū alii curva hęc habitant ad littora (vulgo

In-

Infandi Cyclopes, & altis montibus errant
Tertio jam Lunæ se cornua lumine complent
Cum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra, domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum, vocemq: tremisco.
Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ;
Omnia collustrans hanc primam ad littora classem
Conspexi venientem; huic me, quæcumque fuisset
Addixi; satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hāc potius quocumq: absumite letho.
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentē
Monstrum horrendum informe, ingens cui lumen ademptum.
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas
Solamenque mali, de collo fistula pendet.
Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu; graditurque per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus, et proni certantibus æquora remis.
Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Jonios fluctus æquare sequendo

Clamorem immensum tollit, quo pontus, & omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.
At genus, e silvis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & littora complent.
Cernimus astantes nequicquam lumine torvo
Ætneos fratres, celo capita alta ferentes,
Concilium horrendum, quales cum vertice celso
Aeriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterunt, silva alta Jovis, lucusque Dianæ
Precipites metus acer agit quocumque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela secundis.
Contra jussa monent Heleni Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam lethi discrimine parvo
Ni teneant cursus; certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta e sede Pelori
Missus adest; vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Tapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achamenides comes infelicis Ulyssis.

Quæ postrema verba omnino adnotanda, ex iis enim assequimur, Ulyssem, cujus fuerat comes Achamenides (*) Pantagiæ, Megaræ, & Tapsi littora circumlegisse, antequam ad Cyclopas perveniret; quis autem nescit oras hasce ut naviganti Drepanum prorsus impervias, ita ad Ætnam eunti passim occurrere? Ex mente itaque Virgilii nedum Æneas, sed et Ulysses ad Ætnæum littus delatus; *constat enim veteres (in his*

(*) *Pantagias flumen est, hodie Porcarius; in agro Leontino oritur, illabiturque in sinum Catanensem prope Engionem. Megara Opidum hodie dirutum, prope nunc est Augusta. Tapsus insula inter Syracusas, Megaramque sita plana ac pene fluctibus par, hodie Magnisi.*

bis Dionysium Halicarnas: Tibullum, Ovidium, & Virgilium) per eadem loca Æneam circumduxisse, per quæ Homerus Ulyssē suū ut Bocharti verbis utar(*a*)

Arcentis filium circa Symethum Catanæ flumen Martis luco eductum laudatus memorat Virgilius Æneidum libro IX, qui & ipse Arcens dicebatur. Hunc sibi socium Æneas adscivit, atque in Palantii obsidione fundæ ictu a Mezentio Turni milite occisum prodit idem Poeta.

Stabat in egregiis Arcentis filius armis
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera
Insignis facie, genitor, quem miserat Arcens,
Eductum Martis Luco Symethia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici;
Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adducta circum caput egit habena,
Et media adversi liquefacta tempora plumbo
Diffidit, multa porrectum extendit arena.

In quæ verba Servius, ait: *Qua recondita historia Arcentem istum induxerit, incertum; neque enim vel sine ratione lucus Martis appositus est; Et quid homo Siculus in hoc bello facit, quem nusquam dicit supra cum Ænea ad Italiam pervenisse*. De Symetho Catanæ fluvio, ac Martis luco hic a Virgilio celebratis, deque Palicorum placabili, ac pingui Ara alibi dicemus.

(*a*) Chāaan lib. I cap. 30.

VIII. DAPHNIS HERÆI MONTES.

SUnt *in* Sicilia, inquit Diodorus (*b*) *Heræi montes, quos amænitate, naturaq: & situ locorum peculiari ad recreationem, et voluptatem æstivam per quam opportunos esse dicunt. Multos enim fontes habent aquarum dulcedine præstantes*. Et post pau-

(*b*) Bib. Hist. lib. 5.

ca

ca: *In hac regione convallis quædam arborum, divinum habens decorem, & dicatus Nymphis lucus existit. Ibi Daphnim Mercurio, Nymphaque genitum esse produnt, cui laurorum illic multitudo, & densitas nomen peperit. Is a Nymphis educatus, cum multa bovum armenta possideret, magnam rei pastoritiæ curam gessit; qua de causa, Bubulci quoque nomen acquisivit; & quia excellens in homine ingenium ad musicam ferretur, Bucolicum carmen, & melos, quod etiamnum apud Siculos in usu, & honore est, invenit. Communes etiam cum Diana venatus obiisse, Deæque gratiam obsequiis promeruisse, et fistulæ cantu, ac bucolica melodia eam mirificè oblectasse memoratur.* Hæc Diodorus; Parthenius vero in Erotica de Daphni habet: *Apud Siculos Daphnis Mercurii filius, fistulæ cantor navus, atque industrius, et ad aspectum venustus. Nullum illi erat cum hominibus commercium, sed circa Ætnam tum hyeme tum æstate, diu noctuque pervigilans, boves pascebat. Narrant Echenaidem Nympham, cum illius amore capta fuisset, imperasse, ne cum muliere consuesceret; idque si non obtemperasset, luminum orbitate sciret se esse puniendum. Ille itaque ad breve tempus fortiter resistebat, quamvis pleræque ejus amore insanirent. Postmodum una e Siciliæ Reginis multo eum vino infectum in sui consuetudinem illexit, cumque ea commixtus est; atque ita ex eo tempore, uti Thrax Tamyris, ob stultitiam, oculorum lumine viduatur.* Sic ex Leonis Allatii interpretatione exscribit Vigintimillius (a) Parthenii textum; hic porro ex Timæo Tauromenitano rem profert. Sed eam Nympham Daphnis uxorem, quam Timæus Echenaidem, Theocritus Naiadem appellat in Idyllio VIII. *Ex illo tempore Daphnis inter pastores pri-*

(a) *De Poetis sic. Bucolic. lib. I. cap. 7.*

primus habitus est, & valde adolescens adbuc Nympham Najadem uxorem duxit.
Sositheus verò Syracusanus *Thaliam* vocat, ut in ejusdem Theocriti scholiis adnotarunt Dinus, Eobanus, & Parrasius, ab laudato Vigintimillio fusè commendati. Thaliæ autem *Ætnæ* quoque fuisse nomen, atque ad nos pluribus ex titulis illam spectare jam supra vidimus. Quæ profectò, ut Daphnidem nostris hisce regionibus haud temere adjudicemus, efficiunt.

Non est hìc, quod velim sub Ætna Heræos colles statuere, ut post Archangelum mordicus substinet Carrera (a) cum in Historicis Catanæ Memoriis, tum in Responsione ad Marianum Perellum, ubi Parthenii, ac Timæi producta authoritate, Diodori textum corrigendum censet. Etsi enim singulas Naturæ dotes Heræis ab Diodoro attributas nostris etiam aptari posse, non inficior, ut ipse Vigintimillius (b) fatetur; Ex Timæo nihilominus, ac Parthenio, atque ex Thaliæ amoribus Daphnidem Ætnæ incolam fuisse evincitur, neutiquam verò ortum in ejus collibus habuisse. Scio Diodorum, ubi nam fuerint Heræi montes reticendo, quum amœnissimis aliunde tota pene Insula abundet, Siculis scriptoribus variè inter sese diffidendi de illorum situ, latam aperuisse viam. Hìnc Cluverius ab Armellino, cui Plutia nobile opidum insidet, ad Neptunium collem. prope Noariā, longissimo sanè tractu per xxx. circiter millia passuum Heræos extendit, Nebrodesq; inter eos comprææhendit. Fazellus, Cimarellus, aliique inter Troynam, et S. Philadelphum locant, eosque esse putant, qui nunc corruptè *Montisori* appellantur. Prope Ragusiam, quæ olim Hybla Heræa dicebatur, cū Bonanno (c) nonnulli statuunt, vo-

(a) *mem: his. Ca. tom. 1. lib. 4.*

(b) *Ibidem cap. 5. num. 6.*

(c) *Syr. Illustr. lib. 2. de Daphnide*

vocanturq: hodie *montes Lisiæ*; in Bidinensi regione novissimè Ignatius Notus, Bagolinus in colle Bonifacio prope Alcamum Heræos recognoscunt. Vibii Sequestri demum testimonio scribentis de Siciliæ fluminibus, *Chrysas ex monte Heræo*, Tavim & Artisinum juxta Assorum, unde Chrysas originem habet, Heræos colles ab Diodoro descriptos credit, nec immeritò Vigintimillius; Vibius enim etsi ætatis incertæ, ut Vossius advertit, (a) longè tamen post Diodorum vixit. Chrysas autem hodie Dictainus in agrum Catanensem effluit ac S. Pauli fluviolum excipit, moxque in Symethum illabitur. Ab emendando nihilominus Diodori loco, quasi hic non Heræos, sed Ætneos colles describēdos susceperit, omnino abstinere Archāgelus, & Carrera debebant; Historicus quippe & Siculus celeberrimum totâ Insulâ montem ab altitudine etiam, atque incendiis commēdasset. Cæterum de Daphnide fusè scribit laudatis in locis Vigintimillius.

(a) de Latin. hist. lib. 3.

Hæc aut penitus fabulosa, aut fabulis intermixta licet sint, ab historiæ studiosis non idcirco despicienda; horum enim temporum Scriptores, quum Poetæ fuissent, versibus res gestas celebrare assueti, fictionibus interpolarunt. Hìnc non immeritò, tempus, quod ante Olympiades computatur, myhticum seu fabulosum, ut ex Varrone superiùs adnotavimus, dicitur. *Id tempus* inquit Gerardus Vossius de Rat: Studiorum *ita vocatur, non quia omnia sint fabulosa, quæ illo tempore acciderunt, sed quia fabulis involuta sunt.*

CA-



CAP. III.

CATANA SUB SICANIS.

I.

SIcanos post Cyclopas Siciliam tenuisse satis communis penes Antiquos opinio. Thucydides: (a) *Post hos* Cyclopas *Sicani primi demonstrantur incoluisse, atque, ut ipsi prædicant, omnino primi; quippe cum sint illius terræ indigenę. Sed veritas arguit eos Iberos esse, oriundos a flumine* Sicano, *quod est in Iberia, ab Ligyis ejectos, & ab his tunc dictam* Sicaniam *insulam, prius Trinacriam nominatam, qui adhuc loca Insulę ad occasum vergentia incolunt*. Dionysius Halicarnassensis Sicanos *genus Hispanicum a Liguribus fugatum* libro primo appellat. Verùm Diodorus Siculus (b) *Sicilia*, ait, *antiquitus a figura Trinacria dicta est, postea a Sicanis cultoribus* Sicania... *De* Sicanis *primis incolis, cum* Scriptores *nonnulli sententiis varient, ut breviter aliquid differamus, necessum est*. Philistus *eos ex Iberia in Siciliam venisse affirmat, qui id nomen a Sicano Iberiæ flumine traxerunt. Timæus huius* Scriptoris *inscitiam arguens, Sicanos ait Sicilię indigenas esse, multa suæ antiquitatis argumenta afferens, quæ haud operæpretium est, recensere*. Diodoro videtur accinere Pausanias (c) *Siciliam hæ gentes incolunt Sicani, Siculi, Phryges, illi ex Italia, Phryges a* Scamandro *flumine, ac Troade profecti*. Sicanos enim ex Iberia in Siciliam appulsos Historicus minimè dissimulasset, ut Phryges a Troade, Siculos ex Italia profectos asseruit, si non indigenas illos censuisset.

(a) Initio lib. 6.

(b) Bibliot. hist. lib. 6. cap. 1. et 2.

(c) In Eliacis

II Alibi porro Diodorus scripserat: *Sicanos* ve-

vetustissimos Insulæ cultores indigenas esse, scriptorum tradunt probatissimi. Ut merito clariss: Cluverius compluribus, satisque firmis rationibus congestis concludat (*a*) *Potior itaque fortè fuerit Timæi Siculi etiam Scriptoris sententia, qui contra ignorantiam Philisti, liquidò, exactè, probèque, et multis argumentis ostendit*, *Indigenas fuisse, primosque Siciliæ incolas Sicanos*. Unde autem genus deduxerint suum Sicani, quærens subdit: *Ex Cyclopum eos genere prognatos voluit antiquus cum primis Scriptor Demetrius Calatianus, quasi vasta illa priscorum Cyclopū proceritas in iis defecerit*. Hinc Silius

(*b*) *Post dirū Anthiphatæ sceptrum, et Cyclopea regna,*
Vomere verterunt primum nova rura Sicani.

Videsis Bochartum, aliosque Recentiores, qui in Cluverii vestigia incurrentes, indigetas etiam Sicanos adstruunt.

III. At quid de nomine? Variant, & ipsi quidem Authores, qui e Thucydidis mente Sicanis Ibericam, sive Hispanicam fuisse originem affirmant; alii enim a Sicano Flumine, cujus tamen in Hispania nulla unquam vestigia fuerunt, ut Bochartus advertit (*c*) vel a Sicori, hodie *Segre* Cataloniæ amne a Pyrenæis defluente, & hujus etiam cum Sicanorum nomine nulla affinitas, vel a *Sicana* urbe uni Hecatæo nota, ut uni Stephano *Dera* Iberiæ regio, in qua Sicanus fluvius; alii vero a Sicano eorum Rege ac Coloniæ duce dictos voluere. Hinc Isidorus (*d*) *Sicilia a Sicano Rege Sicania denominata est; deinde a Siculo Itali fratre Sicilia*. Consonant Solinus cap. XI. & Capella lib. VI. a Sicano etiam Rege, longè ante Trojana bella, Insulam appellatam scribentes. Sed præferenda omnino Demetrii Calatiani opinio, qui teste Scholiaste Theocriti (*e*) tradit: *Briarei uni-*

(*a*) Sic. antiq. lib. I cap. 2.

(*b*) lib. 13.

(*c*) Chanaan. lib. I. cap. 30.

(*d*) Etymol. lib. 14. cap. 6.

(*e*) In Idylium I.

unius ex Cyclopibus liberos fuisse Sicanum atque Ætnam, a qua nomen monti

IV Sicanum porro Siciliæ Regem Theodontius a Boccacio (*a*) laudatus affirmat, cui uxor Ceres frugum inventrix Proserpinam peperit. Hanc venustissima forma præditam, quum Orcus Molossorum Rex deperiret, neque a Matre filiæ amantissima, ut sibi in conjugium daretur, obtineret, noctu Ætnæam oram navibus invadens, e Parentum domo, dolo ac vi puellam rapuit, classique impositam in patriam abduxit. Populi, ut Matris dolorem lenirent, Proserpinam a Plutone Inferorum Rege raptam, atque in Elysias regiones, Deo tenebrarum nupturam, translatam confinxerunt. Sunt, qui Orcum Cereris militibus insequentibus in lacum quemdam prope Syracusas sese præcipitem dedisse scribunt; sed præferendi, qui fuga elapsum super mare parentum elusisse industriam censent. Orpheus sive Onomacrytus (*b*) qui Hymnorum Orphei author creditur.

(*a*) *Geonol. Deor. lib. 3. cap. 4. et lib. 10. cap. 62.*

(*b*) *In Argonauticis*

Ut teneras olim carpens Proserpina flores,
Sic Patrui decepta dolo, exportata frequentes
Per sylvas, ut junxit equos sua sub juga Pluto
Terrificos, celeres; rapta ut Proserpina vasti est
Per dorsum portata maris, perque æquoris undas

Vbi sub fabulæ velamine veram prodit historiam Poeta.

V Atque hinc observa: Proserpinæ raptum nonnisi in Ætna perpetratum: Orcum enim ex ora maritima in proximum venisse montem, brevisque itineris tractu cum præda ad suos rediisse valde verosimile videtur. Contra, in mediam usque Insulam, ubi Enna, cum electa militum manu penetrasse, atque inde raptam vi, Regis

vetustissimos Insulæ cultores indigenas esse, scriptorum tradunt probatissimi. Ut merito clariss: Cluverius compluribus, satisque firmis rationibus congestis concludat (*a*) *Potior itaque forte fuerit Timæi Siculi etiam Scriptoris sententia, qui contra ignorantiam Philisti, liquidò, exactè, probèque, et multis argumentis ostendit, Indigenas fuisse, primosque Siciliæ incolas Sicanos*. Unde autem genus deduxerint suum Sicani, quærens subdit: *Ex Cyclopum eos genere prognatos voluit antiquus cum primis Scriptor Demetrius Calatianus, quasi vasta illa priscorum Cyclopũ proceritas in iis defecerit*. Hinc Silius

(*b*) *Post dirũ Anthiphatæ sceptrum, et Cyclopea regna,*
Vomere verterunt primum nova rura Sicani.

Videsis Bochartum, aliosque Recentiores, qui in Cluverii vestigia incurrentes, indigetas etiam Sicanos adstruunt.

III. At quid de nomine? Variant, & ipsi quidem Authores, qui e Thucydidis mente Sicanis Ibericam, sive Hispanicam fuisse originem affirmant; alii enim a Sicano Flumine, cujus tamen in Hispania nulla unquam vestigia fuerunt, ut Bochartus advertit (*c*) vel a Sicori, hodie *Segre* Cataloniæ amne a Pyrenæis defluente, & hujus etiam cum Sicanorum nomine nulla affinitas, vel a *Sicana* urbe uni Hecatæo nota, ut uni Stephano *Dera* Iberiæ regio, in qua Sicanus fluvius; alii vero a Sicano eorum Rege ac Coloniæ duce dictos voluere. Hinc Isidorus (*d*) *Sicilia a Sicano Rege Sicania denominata est; deinde a Siculo Itali fratre Sicilia*. Consonant Solinus cap. XI. & Capella lib. VI. a Sicano etiam Rege, longè ante Trojana bella, Insulam appellatam scribentes. Sed præferenda omnino Demetrii Calatiani opinio, qui teste Scholiaste Theocriti (*e*) tradit: *Briarei uni-*

(a) Sic. antiq. lib. 1 cap. 2.

(b) lib. 13.

(c) Chanaan. lib. 1. cap. 30.

(d) Etymol. lib. 14. cap. 6.

(e) In Idylium 1.

unius ex Cyclopibus liberos fuisse Sicanum atque Ætnam, a qua nomen monti

IV Sicanum porro Siciliæ Regem Theodontius a Boccacio (*a*) laudatus affirmat, cui uxor Ceres frugum inventrix Proserpinam peperit. Hanc venustissima forma præditam, quum Orcus Molossorum Rex deperiret, neque a Matre filiæ amantissima, ut sibi in conjugium daretur, obtineret, noctu Ætnæam oram navibus invadens, e Parentum domo, dolo ac vi puellam rapuit, classique impositam in patriam abduxit. Populi, ut Matris dolorem lenirent, Proserpinam a Plutone Inferorum Rege raptam, atque in Elysias regiones, Deo tenebrarum nupturam, translatam confinxerunt. Sunt, qui Orcum Cereris militibus insequentibus in lacum quemdam prope Syracusas sese præcipitem dedisse scribunt; sed præferendi, qui fuga elapsum super mare parentum elusisse industriam censent. Orpheus sive Onomacrytus (*b*) qui Hymnorum Orphei author creditur.

(*a*) Geonol. Deor. lib. 3. cap. 4. et lib. 10. cap. 62.

(*b*) In Argonauticis

Ut teneras olim carpens Proserpina flores,
Sic Patrui decepta dolo, exportata frequentes
Per sylvas, ut junxit equos sua sub juga Pluto
Terrificos, celeres; rapta ut Proserpina vasti est
Per dorsum portata maris, perque æquoris undas

Vbi sub fabulæ velamine veram prodit historiam Poeta.

V Atque hinc observa: Proserpinæ raptum nonnisi in Ætna perpetratum: Orcum enim ex ora maritima in proximum venisse montem, brevisque itineris tractu cum præda ad suos rediisse valde verosimile videtur. Contra, in mediam usque Insulam, ubi Enna, cum electa militum manu penetrasse, atque inde raptam vi, Regis

seu Reginæ filiam ad suos in littore reducem opperientes liberè adduxisse, facilè imponi vix potest. Hanc eamdem rationem multis urget Petrus Carrera, ubi de raptu Proserpinę (a)

(a) Hist. Cat. tom. I. lib. I. cap. 3.

II Sicanis Insulam incolentibus certa Urbis Catanæ initia superiùs ex Eusebii Chronico consignavimus; hic enim ad annum Orbis conditi ter millesimum, septincentesimum nonagesimum quintum ait: *Cathinia condita est, & Sisyde in Sicilia*. Sisydem urbem nullibi apud veteres Historicos memoratam invenies; hinc corruptum omnino vocabulum censeo. Hìc eadem repetere, quæ de Catanæ origine loquens, textumque Eusebii expendens scripsisse memini, non vacat. Id tamen observo, quod, conditam per hæc tempora, ex Eusebio, dum Catanam profero, ejusdem vetustati ulteriori quidquam detractum nolo. Extitisse hoc in littore, aut circa illud mortales complures, qui loci amœnitate, solique fertilitate allecti, suas ibi sedes statimac Insula incolis frequentari cœpit, statuerint, ut verum habeo. At sub Sicanis, mœnibus forte, ut ea ferebat ætas, extructis, crevisse Catanam in urbem non incongruè censeo.

(a) lib. 6. cap. 4.

VII Nec illud Diodori (a) *Sicanos*, scribentis, *vicatim habitasse in collibus ob latronum metum, pro ut quisque natura munitus esset*, aliquid negotii facessit, ut alibi ostendi; Nam, aut Sicani cum eodem historico Insulæ habitatores omnino primi censentur, & per vicos, immo & per familias ab initio, ut cæteri ubique terrarum mortales, incoluisse dicendum; id tamen, quod Urbes deinde temporis tractu condiderint, non prohibet. Vel si Gigantum filios eos credimus, e speluncis, ubi illi habitabant per familias passim, veluti incremen-

mento quodam ad vicatim incolendum progressos, ut Vicus observat (*a*) mox, ut noxiis obsisterent, qui nulla tenebatur lege, opida vallasse, demumque urbes condidisse certò certius putandum; nec colles aliunde circa Catanam deerant, ut alibi dixi, quos, contra nefarios, prædonesque Sicani munire poterant; quales Leucotheæ, Cereris, nunc S. Sophiæ, aliique, ubi etiam ædificiorum rudera ad hæc usque tempora spectamus. Cæterum sub Ætna monte sæpissime Gigantum ossa detecta a Majoribus accepimus circa Viægrandis, Pedaræ, ac Tricastanei opidula, vicinasque regiones, quæ satis certum præbent indicium, Sicanos, eorumque patres ibidem loci sedes habuisse.

(*a*) *De princip. novæ scientiæ in Assio:*

VIII Jam vero sub hæc ipsa Sicanorum tempora Orionem, Eunapionis cujusdam Siciliæ Regis filium Catanæ diu fixisse sedem nonnulli ex nostris affirmant; quod apud Veteres non lego. Aniles quasdam fabulas, malosque Genios in testes adducunt illi, quibus innixi Orionis etiam ædes digito designant, sed hac in re lectoribus imponere piaculum duxerim. Herculem, qui cum Sicanis, eodem Diodoro teste (*b*) bellum habuit, ejusdem etiam Urbis fines, ac Ætnæ montem adiisse tradunt, quod quorumdam Scriptorum authoritate superiùs in Ævo Heroico firmavimus. Cocalum denique nedum in Camico Regnum tenuisse credunt; sed et Catanæ etiam aliquandiu imperasse; ubi illius ædes prope Societatis Jesu Collegium ostendunt, mali cujusdam Genii in Lymphatica muliere id testantis, authoritate, Dedalum quoque cum Cocalo diu Catanæ commoratum, Urbis ædificia, ac publica quædam opera in meliorem formam concinnasse ex Di-

(*b*) *lib. 5. cap. 2.*

Diodori Epiſtolis colligunt, quæ tamen Criticis minimè probantur. Ex iiſdem Epiſtolis Bellum a Libycis Catanenſibus illatum fuſe deſcribit Carrera lib IV. quod commiſſum ſub Siculis alii dicunt.

IX Memorabile, ac primum, cujus apud Scriptores fit mentio, Ætnæ incendium hac ipſa ætate accidit. Diodorus (a) de Sicanis differens, *Nulli ergo Regi ſuberant, ſed ſuus cuique Urbi inerat Princeps. Hi primum univerſam Inſulam tenuere, agros colentes, ex quibus vitæ cibum ſumebant. Poſtmodum Ætna ignes, qui proximas regiones urebant, eructante, cum plures annos id incendium Patriam vaſtaret, timore acti, omiſſis orientalibus locis, partes, quæ ad occidentem vergunt, petivere*. Complura, quæ ex hiſce verbis deduci poſſunt, atque ad nos attinent, de Priſcis Catanæ Incolis differens expendi. An verò fuerit ex ea ignis eruptione Urbs quoque ipſa conſumpta, anceps ſum animi; Ubi enim legunt nonnulli *Patriam*, non incongruè interpretatur Cluverius *Regionem* (b) Unius quippe anni incendium Urbi devaſtandæ fuiſſet ſatis; Plurium verò annorum ſpatio, per univerſam regionem ignem debacchatū undique ſeſe effudiſſe, credendum.

(a) lib. 6. cap. 2.

(b) Sic: lib. 1. cap. 8.

X Et profectò quidem nedum ab Oriente, et aquilone Catana nigris lapidibus vallatur, ſed media etiam in Urbe altè effodientibus, Ætnæ occurrunt moles; ad occidentem quoque æſtivum ignei torrentis veſtigia undique conſpicimus, nec niſi hyberni occaſus, ac meridiana regio ante annum MDCLXIX omnino immunis; Hinc demiſſior Urbis pars, hujus ævi incendio fœdata. Quamvis mons Virginum, ubi ædes quamplurimæ, atque editiora loca non tam ex Ætnæ materia, quam naturali quadam lapidea nigra mole

mole constent. Glarea enim, lapidesque, quos vernaculè *Tufos* appellant, tenui meo judicio, naturæ opus censendi.

XI Non ambigo, ante diluviana etiam tempora, ac post non multo, ante Sicanos, nondum Urbe condita, ignes ad littus usque Ætnam eructasse, lapidesque in ipso Catanæ centro defossos illorum esse materiam; verùm quid si oculatis testibus referentibus, aquæductuum, atquæ ædificiorum rudera sub lapidea Ætnæa mole paucis ab hinc ãnis passim detecta, vel in ipsa Principis Templi area obtendant. Hæc nonnisi Sicanorum opera, ante descriptum incendium stetisse, auserim affirmare; per Urbem enim mediam post Sicanos ignem aliquando grassatum nullibi lego.

CAPUT IV.

CATANA SUB SICULIS.

I.

SIculorum gens ab Rege, aut duce Siculo appellata, Italiâ excedere coacta, in proximam Insulam transmigravit; nomen, quod illi mutuaverant Sicani indigenæ, delevit, utque deinceps Sicilia diceretur, effecit. Siculi, quos Opicos Plato appellat (a) Ausones ab Hellanico creduntur, ut scribit Stephanus, (b) duce Siculo ex Japygia Italiæ regione in Trinacriam transgressi. Philistus Ligures illos fuisse censet, teste Dionysio Halicar: (c) Oenotri ab aliis dicuntur, Româ in inferiorem Italiam Siculo duce profecti. Hinc laudatus Dionysius: *Urbem terræ marisque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoria tenuisse feruntur Barbari* Siculi *gens indigena*. Et paullo post: *At Siculi Pelasgis simul et Aboriginibus bello impares, liberis ac conjugibus cum auro, & argento sublatis, totam regionem suam eis cesserunt, versique per montana ad meridiem, & peragrata tota inferiore Italia, cum undique pellerentur, tandem paratis ad fretum navibus, & observato secundo æstu ex Italia trajecerunt in Insulam proximam.* Quænam porro Insulæ loca primo occupaverint, Diodorus enarrat. (d) Postquam enim proximas Ætnæ regiones Sicanos metu ignium reliquisse, ostendit, hæc subtexit: *Multis deinde sæculis Siculi ab Italia in Siciliam profecti loca tenuerunt ab Sicanis relicta. Opibus deinceps, ac viribus potentes, propinquis agris occupatis, quotidie* ma-

(a) Epist. ad Dionis Amicos.

(b) apud Cluver: lib. 1. cap. 2.

(c) Rom. Hist. lib. 1. cap. 3.

(d) lib. 6. cap. 12.

magis imperium augebant, quoad bello sæpius cum Sicanis moto, certo postmodum fœdere, agrorum fines invicem statuerunt. Ex quibus liquet: Siculos ab initio per orientalem sub Ætna oram sese effudisse, ibique regno constituto, sedes locasse. Mox paulatim finitimis Sicanis subactis, totius tandem insulæ potitos, novum illi nomen indidisse.

II Stephanus apud Constantinum Porphyrogenetam (*a*) *Sicilia Insula* Sicania *prius nominabatur, deinde* Sicilia *appellata est, ut ait Hellanicus lib.* 2. *de* Sacris *Junonis. Eodem tempore etiam Ausones ab Japygibus ex Italia detrusi sunt, quibus preerat* Siculus, *& trajecta Insula* Sicania *dicta, circa Ætnam sedes stabilientes, & ipsi & Rex eorum* Siculus *habitarunt, ibi regno constituto; atque inde profectus* Siculus *totam sibi mox subjecit Insulam; quæ tunc ab hoc Siculo* Sicilia *nuncupata est, qui in ipsa regnavit*. Constat autem circa Ætnam ab Oriente, modo unam excipias Catanam, celebrem urbem extitisse nullam, quæ novi imperii, Regnique sedes statueretur ab Siculis; hinc non incongruè Catanam omnium Sicularum urbium caput per ea tempora dixerim, aut certe inter primas locum habuisse. Sanè enumerans Fazellus (*b*) Siculorum Urbes. *Urbes eorum*, ait, *Zancla in freto Zancloto eorum Rege auctore, & Orione Architecto, Catana præterea, Leontinum, Syracusæ, Neas, Centoripe, Leghum, Trinacia, Hybla &c.* Quarum circa Ætnam ad Orientem sola Catana extabat.

(*a*) Tem. Imper. lib. 2. Tom. 10.

(*b*) decad. 2. lib. 1.

III Non me fugit, Diodorum de Trinacia, quæ Randacium creditur, loquendo, eam veluti Sicularum urbium Principem vulgare: *Hæc Urbs*, inquit (*c*) *multos, & magnæ virtutis viros habuit semper, ideoque principatum inter urbes Siculas* sem-

ſemper obtinuit; viris enim ad gerenda imperia idoneis, et celſos ob fortitudinem ſpiritus habentibus plena erat. Hinc Palmerius ſecundam poſt Syracuſas, & laudatus Fazellus Siculorum Regiam, ac primariam illorum urbem appellant; Id attamen intelligendum poſt Græcorum Colonias, qui occupatis maritimis civitatibus, Siculos ad montana compulerunt, ubi aliquandiu ſeſe contra illos tuentes, maximeque contra Syracuſanos, Siculi imperii reliquias conſervarunt.

IV Jam vero Siculorum in hanc Inſulam trajectio tertia ætate ante Trojanum bellum ex Hellanico ſtatuitur ab Dionyſio Halicarnaſſeo (*a*) Quum vero Author hic in ætates ſingulas viginti ſeptem computet annos, qui ter ducti octoginta & unum conficiunt, hinc octogeſimo primo anno ante Ilium deſtructum Siculi in Siciliam tranſmigrarunt. Erraſſe porro Thucydidem Cluverius obſervat: *Dum trajeciſſe Siculos tradit annis propemodum* CCC. *antequam Greci in* Siciliam *venerunt. Hi enim annis quadringentis quadraginta octo poſt Trojam captam eò pervenere, cui numero ſi trecentos annos demas*, CXLVIII *annis poſt Trojam captam* Siculi *in inſulam trajeciſſe, ex Thucydidis ſententia, inveniuntur.*

(*a*) *Rom: Hiſt. lib.* I.

V Siculis jam latè dominantibus Phenices in Inſulam advecti mercaturæ exercendæ gratia, loca circum maritima, parvaſque inſulas objacentes occuparunt: Thucydides (*b*) *Phœnices præterea circa omnem habitabant Siciliam, occupatis ad mare partibus, parviſque inſulis ei objacentibus, negotiandi cum Siculis cauſſa.* Hos Libycos Carthagine profectos nonnulli tradunt, ejuſdem Thucydidis teſtimonio, qui poſt relata verba ſubtexuit: *At poſtquam permulti Græcorum illuc*

(*b*) *Belli Pelop. lib.* 6.

cum

cum navibus trajecerunt, relictis plerisque, Motyam,& Soluntem, *ac Panormum finitima Elymis oppida, sedibus ibi positis, una incoluerunt, freti cum Elymorum societate, tum quia exiguo inde ad Carthaginem trajectu Sicilia distat.* Thucydidi consentire videntur Marcianus Heracleensis, Opida memorata a Carthaginiensibus munita scribens, & Pausanias in Eliacis, Carthaginiensium colonos Phœnices in Siciliam advectos appellans. Verùm Asiaticos fuisse Phœnices Siculos colonos disertissimè testatur Diodorus, (*a*) qui enarratis Phœnicum Tyriensium navigationibus, studio mercaturæ institutis, concludit: *Ex qua navigatione per multum temporis opulentiores facti, Phœnices, multis postea annis, colonias non paucas in Siciliam, & vicinas ei Insulas, in Africam item, & Sardiniam, Hispaniasque miserunt.* Et Scholiastes Thucydidis Phœnicum in Sicilia originem non a Carthagine deducit, sed ex ipsa Phœnicia, scribens: *Simul ob Elymos, qui amici eorum erant, & circa eadem loca habitabant, uti sibi auxiliarentur; simulque ob Carthaginienses, qui originem ducentes e Phœnicia, meridionalibus Siciliæ partibus haud procul aberant.*

(*a*) *Bibli. lib.* 5.

Quod autem Marcianus opida Barbarica in Sicilia a Carthaginiensibus munita asserat, id intelligendum posteris temporibus factum, quando terrâ, marique Carthaginienses latè dominantes, magnam Insulæ partem tenebant. Pausanias demum Phœnices, atque Libycos communi classe in Siciliam appulisse tradit. *Ergo non unam solam gentem*, concludit Cluverius, *Pœnorum Carthaginiensiū intellexit, sed binos populos, Phœnices scilicet ex Asia, & Pœnos ex Libya, quamquam non communi classe in Insulam, uno, eodemque tempore perve-*

nerunt, sed communibus copiis, incolis frequentarunt prædictas Urbes. Primas hinc Phœnicum colonias ex Asia excepit Sicilia, ut multis laudatus probat Cluverius, urgetque Bochartus (a) Phœniciarum rerum callentissimus. Constat autem, ut alibi memini scripsisse, ex Asia solventibus Orientales Insulæ oras, ubi Catana, occurrere, ut non incongruum sit, conjecturis agendo, asserere: Catanam Phœnices frequentasse, eo vel maximè quòd cum Siculis, ex Thucydide, eorum mercimonia agebatur, quos passim, ac frequentissimè per hæc loca effusos jam supra ostendi. Illud etiam accedit, fœcundissimum nempe Catanæ agrum, omnia ad vitæ commodum suppeditantem Phœnices allicere quam facillimè potuisse, ut lucra inde majora ex mercibus comportatis, atque hinc extractis assequerentur; ut de Portus securitate, cujus supra meminimus, hic taceam; occupasse enim ad mare Portus, parvasque Insulas Phœnices jam ex Thucydide constat.

(a) Chan. lib. 1. cap. 17.

VII. Cæterum Siculorum genti diu imperasse Æoli filios, atque hos inter Xuthum Orientalem tenuisse regionem, ac circa Leontinos Xuthiæ oræ nomen dedisse Diodorus testatur. Illis autem deficientibus, ad optimum quemque regnum, ac principatum detulere, usque ad Græcorum colonias, ut idem narrat Historicus (b) Sub iisdem Siculis Ætnæ montis incendium ab Orpheo memoratur in Argonauticis.

(b) Bibl. hist. lib. 5.

At freta Sicaniæ tua jam Lilybæe tenentes,
Æquora sentimus, flammamque per alta videmus
Ætnæi Enceladi nobis infesta minantem.

Hæc enim ævo Medeæ peracta refert Poeta, quod Siculorum ætati respondet. An porro per agros effluxerit, an e summo vertice tantum

sese

ſeſe ignis ſpectandum præbuerit, ut innuere videtur Orpheus, affirmare non auſim; fortè etiam id poeticè dictum quiſpiam autumaverit, quod non inficior.

VIII. Bellum Libycum hìc ſeſe opportunè offerret, cujus hiſtoriam fuſiori calamo Petrus Carrera proſequitur. Sed quum Diodori Epiſtolis tota innitatur, quas communi calculo ſaniores Critici rejiciunt, ſuppoſitaſque credunt, ab eà recenſenda conſultò abſtineo. Libycos ingenti exercitu, Elephantibus, ac curribus inſtructos Catanam dura obſidione preſſiſſe veroſimillimum putaverim; nedum enim Sydonios, ſed et Libycos Phœnices in Siciliam trajeciſſe complures credunt: At bellū, obſidionemque circumſtantia ſingillatim expendere poſt tot annorum miryades, ſubticentibus antiquis Hiſtoricis, pene impoſſibile. Quod ſumma illos clade noſtri affecerint, ductiſque ſpoliis, currus, Elephanteſque in prędam egerint, vetus traditio docet; hinc Elephas velut Urbis Inſigne a Priſcis aſſumptus. Verùm Lapis ille, ubi hæc omnia adamuſſim deſcripta, in via Curſus inventus, atque uni Archangelo notus, ſuſpectæ fidei ab Eruditis cenſetur. De eo alibi, de Inſcriptionibus nempe agentes dicemus.

CA-

CAP. V.

CATANA

SUB GRÆCIS.

I.

Ultimas in Siciliam Colonias misisse Græcos, a quibus Urbes maritimæ incolis sunt frequentatæ explorata penes Historicos res est. Annis igitur post Trojam captam CCCCXLVIII. Olympiadis XI anno primo, ut ex Ephoro, & Marciano Heracleensi, aliisque eruit Cluverius (a) dux eorum Theocles, Atheniensis Naxum sub Tauro Monte ad ripas Asinii fluminis condidit, Chalcidensibus ex Eubœa deductis incolendam tradidit. Mox Archias Corinthius Syracusas suorum colonia auxit, Megarenses Hyblam, Chalcidenses e Naxo profecti Leontinum, Catanam, Zanclam, aliasque incolis frequentarunt, Siculisque ejectis, eorumdem agros sibi vindicarunt.

Ann. ăte Xpĭ. 727. Mundi 3273.

719.

(a) Sicil. Antiq. lib. 1. cap. 2.

II. Strabo, (b) qua occasione Theocles in Siciliam transmiserit, explicans ait: *Ephorus primas hasce in Sicilia Græcanicas fuisse Urbes tradit, ætate post bellum Trojanum XV. Priores quippe Græcos Tuscorum latrocinia, & incolentium Barbarorum feritatem adeo reformidasse, uti ne mercaturæ quidem faciendæ gratia eò navigaverint. Theoclem verò Atheniensem ab instituto cursu ventis eò abreptum, cum hominum vilitatem, & inertiam, tum soli bonitatem adnotasse. Quumque domum reversus Atheniensibus, uti Coloniam eò mitterent, non persuaderet, adscito magno Eubœam incolentium Chalcidensium numero, item Ionum, Doriensiumque, quorum major pars Megaren-*

(b) de situ Orbis lib. 6.

ses

ses erant, in Siciliam navigasse, ac Chalcidenses quidem Naxum, Dorienses Megara condidisse. Ejusdem esse mentis videtur Marcianus Heraclæensis, qui disertè ait: (a)

Conveneruntque, ut fama est,
Jones Dorienseſque Coloni;
Seditione autem inter eos orta, Chalcidenses
Condiderunt Naxum, Megarenses verò Hyblam.

(a) In Periegesi seu Orbis descrip.

III Sexto hinc allabente anno, vel, ut alii legunt, Octavo, ab Ilii excidio CCCCLVII. Olympiadis XIII. anno primo ob Cæli inclementiam Chalcidenses plurimi Naxo abscedentes, Evarcho duce, Catanam Urbem a Siculis inhabitatam non magno labore capiunt, Siculisque in mediterranea remissis, communiunt, atque ædificiis Græco more instruunt. Fazellus Coloniæ ducem, juxta aliquos fuisse Catanum tradit, juxta Thucydidem verò Evarchum; sed illud unde eruerit, nescio. Thucydidis verba ex Vallæ interpretatione hæc sunt: (b) *Theocles verò, atque Chalcidenses e Naxo profecti, septimo post inhabitatas Syracusas anno, Leontinos, ejectis bello Siculis, incolunt, & dehinc Catanam. Coloniæ autem deductorem sibi constituerant Catanenses Evarchum.* Hinc Marcianus Heraclæensis paullo ante laudatus in Periegesi: *Post hæc e Naxo Leontini, & quæ ex adverso Rhegii sita est ad fretum Siculum, Zanclè, Catana, Callipolis accepere colonias.* Quo quidem sensu Catanam Naxiorum opus appellavit Strabo.

(b) Belli Pelopon. lib. 6.

IV. Observat hic Carrera, Evarchum nedum a Chalcidensibus coloniæ Authorem, sed ab priscis Catanæ incolis fuisse delectum, atque hinc colligit, ante Chalcidensium adventum Urbem extitisse; Verùm si Græci Siculos ejecerunt, quinam

illi Catanenses, qui una cum Chalcidensibus Coloniæ deductorem Evarchum statuere? Alia igitur via Thucydidis sententiam expendens, alibi Ego Catanam ante Græcorum Colonias conditam firmavi; quum enim Historicus Catanam, ac Leontinos a Chalcidensibus seu conditas, seu inhabitatas pari omnino ratione adstruat, ac Siculos inde vi, armisque e regione exactos describat, jam Leontinensis, & Catanensis regio a Siculis occupata ex Thucydide dicenda, jamque ei insedisse, ac dudum illam tenuisse mortales aliquot putandum; quum ab novis incolis, nonnisi antiquis bello ejectis, sit frequentata. Cesset hinc Græcia mendax celeberrimarum Siciliæ Urbium sibi originem adscribere, idque tandem exteris Scriptoribus persuasum iri deinceps confido; quum & ipse Thucydides, unde eruunt, id nec intenderit, nec protulerit.

V. Jamvero, Chalcidensibus abscribunt nostri celebre illud amphitheatri ædificium ad aquilonarem Urbis plagam ex nigris quadratis lapidibus compactum, continuatæ Argenidis Authorem secuti, sed hic fabulas contexens, id poeticè effinxisse creditur, ab eruditis, qui recentioris ævi opus Amphitheatrum putant, ut alibi expendam. Bacchi cultum, ejusque sacra Catanæ instituisse Chalcidenses, non ambigo: hinc Avercampus (a) *Catana Colonia Chalcidensium ex Naxo profectorum Patrium sacrorum ritum secum in novas deduxit sedes, cultum videlicet Bacchi, quem lætitiæ datorem, quum in fœcundissimo Siciliæ solo uberrimè nova Civitas experiretur, tanto magis in honore habere perseveravit, atque per omnia fortunæ suæ tempora, numismatis non minus, quā aliis honorū generibus cōdecoravit.* In Eubea quippe, unde Chalcidēses profecti

(a) *Præf. ad numismata Catan.*

fecti, Liberi Patris, seu Bacchi religio perantiqua, cultusque celeberrimus, quòd ejusdem in illa regione antrum extaret, unde Dei simulacrum Argivi substulere, atque in patria locarunt, ut Pausanias testatur. (*a*)

(*a*) *In Corinthiacis.*

VI. Chalcidensium porro Urbes, ac Coloniæ per hæc tempora fœderatæ, quarum præcipuæ Naxus, Zancla, Catana, Leontinum, suis legibus, quas e Græcia hauserant, vivebant, magnisque incrementis augebantur; sed profundum de illis apud Historicos silentium usque ad Phalaridis tyrannidem, quæ circa Olympiadem LI. ab Eusebio statuitur. Andronem nihilominus insignem Tibicinem circa id tempus effloruisse putat Carrera (*b*) qui primus cum Tibia ludens corporis motus aptos, & concinnos addidit, ut Athenæus ex Theophrasto refert (*c*) de quo suo loco dicemus. Publicis autem ædificiis crevisse hoc ævo Urbem nostram par est conjectare, Naumachiâ videlicet, Hyppodromo, Thermis, atque in primis Gymnasio, in quibus Juventus corporibus, animisque bene comparata præliis assuesceret, cursu sese exerceret, sanitati consuleret, gloriæque amore capta Patriam tueretur, simul & augeret. Veteres quippe nostri, aliorum exemplo, quanti inde emolumenti, quantæque essent utilitatis publica hæc opera dudum per Græciam instituta, apprimè didicerant. Quamvis initio, arte nondum adulta, minori certè magnificentia, qua posteris inde temporibus spectabātur, extructa hujusmodi ædificia crediderim.

(*b*) *lib. 4. fol. 398.*

(*c*) *Cœnæ Sapiē. lib. 1.*

VII. Illud etiam de Stesichoro celebri Himerensi Poeta circumfertur: eum nempe cultum ingenii in Catanensi Academia fecisse, ibique studiis vacasse. Quod sanè pervetustam ejusdem

dem Gymnasii originem arguit, Urbemque nostram liberalibus disciplinis aditum per Insulam universam inter primas aperuisse dubio procul evincit. Id autem circa quadragesimam Olympiadem, sæculo post Græcorum in Siciliam adventum revoluto, evenisse statuo; anno enim ætatis vicesimo studiis vacare poeta minimum potuit; quumque octogenario major occubuerit, ejusdemque mors Olympiade LV. communi calculo reponatur, optime Stesichori adolescentis in Catanensi Gymnasio institutio in quadragesimam rejicitur.

VIII. Per idem porro tempus Tyranni per universam Insulam dominabantur. *Plurimi enim*, ut Fazelli verbis utar (a) *in ejus sinu, atque deliciis enutriti, efferatæ mentis sævitatem in ea exercentes, quos inopinatum robur provexit, ejus viscera recalcitrando discerpserant*. Phalaridem inter Græcos primùm Tyrannidem Agrigenti invasisse mox subdit anno ante Urbem conditam sexagesimo quarto. Verùm in hac Æra consignanda fallitur; Roma enim sexta, vel septima circiter Olympiade ortum habuit, quum nondum in Siciliam Græci sese infuderant. Hinc ab Urbe condita anno potius centesimo septuagesimo secundo Phalaridis Tyrannidem sumpsisse auspicia dicendum; Utcumque res sit, variant quippe Authores, ipsumque Eusebii Chronicon bis mentionem ingerit Phalaridis Olympiade XXXXII. & rursus Olympiade LI. Constat ex illorum ætate, quibuscum Phalaris vixit, atque ex aliis, quas infra proferam, conjecturis, prorsus circa hæc tempora illius æram esse statuendam.

(a) dec. 2. lib. 1. cap. 3.

IX. Jamvero inter Phalaridis Epistolas, quas Luciano Philosoqho nonnulli adscribunt, duæ

ad

ad Catanenses exaratæ recensentur, unde illata utrinque mala, minasque, quas Ille nostris intentat, colligere quis poterit. Prima ex antiquissima Tarvisiana editione anno MCCCCLXXI. Francisco Aretino Interprete, hæc habet.

Phalaris Cathaniis

Cum ad me Cives vestri captivi deducerentur, nonnullos, cum omni spe decidissent, quia non admodum vobis eorum vita curæ erat, liberavi. Non *quòd mei erga vos odii obliviscerer; maximè namque obliviosus essem, si minorem irâ meâ ultionem a vobis accipere satis existimarem. Verùm cum pro meritis mihi pœnas dabitis, quot & quanta in me admiseritis, vobis commemorabuntur.*

X. Et alia: *Vos fortasse satis mihi pœnarum dedisse de his arbitramini, quæ in me, & in meos iniquè egistis, cum pro triginta viris a vobis impiè combustis, quincentos milites, pro septem direptis talentis, plurimos census amiseritis. Ego verò, quæ in hunc diem passi, eorum, quæ passuri eritis proœmium fuisse annuncio, adeò ut, quæ nobis fautoribus hostes Urbi mala inferent, confiteri erubescendum sit. Non tamen contra vos odium meum remittam, donec, quę mundum regit Providentia, eamdem in eo gubernando seriem prosequetur. Judicam autem vobis bellum, non tam meâ, quam* Deorum *gratia, in quorum manibus, & servare omnia, & perdere est. Siquidem divinam sortem, ut reliqua naturæ Elementa, Ætnæus ignis sortitus est, in quem, cum impiè innocentes viros projeceritis, non Phalarim, sed, qui omnia conspicatur,* Solem *vobis inimicum comparastis.*

XI. An bellum, cujus in hac secunda Epistola meminit, nostris Phalaris intulerit, quisque illius fuerit exitus, omnino latet; trigin-

ta porro viros illos, quos, ait, innocentes à Catanensibus combustos, condigna pœnâ affectos fuisse: tradit Carrera, quòd Vulcani Templi fores, ac sacrum lucum incenderint. Id certè, si mea non me fallunt, verosimile putaverim: Phalaridis nempe ætate Ætnæ Montem conflagrasse, ignemque ex ejus visceribus erupisse. Eruo ex illis: *Siquidem divinam sortem Ætnæus ignis sortitus est, in quem innocentes viros projeceritis.* In supremum namque Craterem fuisse injectos vix credibile; non incongruum autem, vel in dehiscentis lateris voraginem, vel in igneum torrentem, ibique absumptos mortem oppetiisse. Neque hæc Thucydidi refragantur, qui tria prorsus ab ingressu Græcorum Ætnæ incendia commemorat, quorum unum Pythagoræ, aliud Hieronis, tertium ejusdem Thucydidis ætate obvenisse ex aliis monumentis abundè constat. Nam potuit hoc, quod Phalaridis ævo statuimus, ex minoribus esse, neque aliis fortasse majoris notæ accensendum. Ad Pythagoræ porro ævum, qui circa sexagesimam floruit Olympiadem per annos ferme ducentos incendia quievisse, quæ bis singulo sæculo minimùm desæviunt, Philosophis neutiquam persuasum.

XII. At inquies, Phalaridis Epistolæ suspectæ. Quid vero? Nec enim illas omnino gratis confinxisse Lucianum, aut excogitasse putandum. Scripsit eximius hic Philosophus de Phalaride Dialogum, quem habes tomo primo ejus operum, hasce verò Epistolas ejusdem Tyranni nomine composuit, quamvis circa hoc Criticis non conveniat. At proculdubio Phalaridis gestis, quæ ex Authoribus hauserat, illas accommodavit, concinnavitque juxta ea, quæ de Tyranno

ranno ferebantur in Historiis ætate hac nostra deperditis. Hinc etsi supposititiæ Epistolæ, vera autem omnino, quorum in Epistolis fit mentio, censenda facinora.

XIII. Phalaridi infensum Stesichorum Himerensem Poetam, quòd cives suos a consilio ineundæ cum eo societatis averterit, tradunt, & Apologum, quo ille usus est, ut in suam iret Populus sententiam, referunt. Rem ex Fazello paullo uberiùs præstat hìc recitare. (a) *Auctâ Republica Himerenses Phalaridem Imperatorem exercitus contra hostes instituere cogitabant, jamque custodes corporis ab eo postulatos daturi erant. Stesichorus, quum plura, ut Cives ab inceptis revocaret, disseruisset, lepidissimo tandem eos Apologo in hæc verba admonuit. Equus prata solus obtinebat; cumque Cervus superveniens pascua devastasset, Hominem contra Cervum consuluit. At ille: si frænum, inquit, patieris, & Ego in te ascendero, quam facillimè hostem ulcisceris. Accepit Equus conditionem; atque ita pro ultione Homini deinceps perpetuò servivit.* Accepto Apologo, probatoque Himerenses Phalaridē imperio abdicarunt, ac diu fortiter Patriæ libertatem tutati sunt: Exarsit in Poetam Tyrannus, ille autem profugus Catanam venit, quòd longè Agrigento hæc aberat, ejusque Principi adversa habebatur, illius denique obniti viribus potis erat, ac securum alumno olim præbere asylum. Necessitudines cæteroqui, quas, dum vacaret studiis, sibi comparaverat, benevolentiâ, qua illum Cives omnes prosequebantur, Scientiæ denique fama, atq; insignia merita, quæ hominem commendabant, ut prono, lubentique animo exciperetur, stimulum addidere.

(a) *Dec.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2.

(4) *Ante Xpum.* 552. *Mund.* 3448. addidere. Meritis hinc honoribus a nostris cohonestatus, atque in Civem adscitus, diu Musis vacans vixit, tandemque fato concedens Olympiade LV. nobili sepulchro conditus ab hoste etiam Phalaride meruit commendari; in demortui enim gratiam Tauromenitanis captivorum pretia reddidit; Filiasque, quæ tunc Catanæ degebant, hisce litteris est consolatus.

IV. *Mœroris vestri Filiæ quamnam aptiorem vobis consolationem quispiam afferat, quam virtutem Parentis super quo lugetis? Non enim lacrimis Stesichorus, sed laudibus prosequendus est. Equidem nolim omnino vos, neque mortuos lugere, neque plangere, non quin communiter hi affectus necessario omnibus accidant; sed quoniam miserorum sint, quorum non mors, sed vita, vel potiùs magis debeat deplorari; non Stesichori, qui tot annos cum sanctissimis diebus in choreis, & cantibus Musarum vixit, cujus nomen in honoribus, & laureis immortale servabitur.* Et post multa, quę in eādem profert sententiam, concludit; *Ipse enim, cum diem suum obiret, non impavidus perstitit. Certè namque scitote Filiæ, cum a nobis captus Stesichorus, in nostram venisset potestatem, nihil quidquam formidavit; neque tamquam grave quiddam perpessurus fractus animo est; quippe, qui longè generosior captivus nobis visus sit, quam hostis. Victa igitur Tyrannidis nostræ acerbitas ab ejus sapientia est; non quod quidquam vellem in eum gravius animadvertere; sed cum cruciatus meos muneri adscribebat. Ego enim innumeris eum laboribus capere conatus, cum assecutus sum, nihil habui, quod mallem, quam gratiam ei habere, ut a me beneficium acciperet; ex quo non deberi mihi ab eo gratiam, quod duodecim eum annos, tot enim postea vixit, servaverim;*

vaverim, ſed ei me arbitror debere, quod & ad alia nos corroboravit, & ſolus omnium, ut mortem contemneremus, effecit.

XV Captum a ſe Steſichorum Phalaris in alia Epiſtola ad Himerenſes ſcribit, quum a Pachyno in Peloponneſum pro Corinthiis, ad quos a ſuis mittebatur, navigaret, concluditque: *Steſichorus adhuc ſalvus eſt, donec, quo eum mortis genere ulciſci velimus, excogitabimus.* Sed in alia mox liberè dimiſſum asserit: *Puduit sacrum virum, & ſapientiâ clarũ, & verè muſis creditũ interimere, atque utinam talium virorũ fatum coercere mihi liceret.* Ex quibus eruo: Steſichorum, poſtquam, ut Phalaridis iram evaderet, Catanam ſe recepiſſet, in Peloponneſum ad Corinthios pro cauſſis Patriæ enavigaſſe, atque in itinere a Phalaride interceptum, liberum paullopoſt dimiſſum, Himeram fortè ad ſuos aliquandiu divertiſse, ac demum Catanam remeaſſe, ubi mortem ſubiit. Dedit porro & aliam ad Filias Steſichori Epiſtolam Phalaris in hæc verba.

XVI. *Tauromenitani, pro quibus ad me ſcribitis, mandatum a Patre, cum vitâ defungeretur, habuiſſe, nullâ digni ſunt clementiâ. Hi enim ne minimùm quidem a me offenſi, adverſum me bellum ſuſceperunt. Steſichorus verò, non hoc modò, quod petitis, ut ſcilicet captivorum pretia, quæ a Tauromenitanis exegimus, reddimandemus, ſed quidvis etiam ſupra vires noſtras a nobis promeritus eſt. Licet enim mortuus nonnullis videatur, nemo tamen, qui rectè ſentiat, id dixerit. Mibi quidem Steſichorus vivit; neque tantum apud me Tauromenitanorum odium valeat, ut Steſichoro aliquid petenti, quod Phalaris habeat, negetur. Omnes namque homines ab illo vinci decet, me autem*

 om-

omnium maximè; qui in tot hominum millibus, quos expertus sum, præstantioris animi viderim neminem. Nos igitur Tauromenitanis pecunias reddi jussimus. Neque, Medius Fidius, hanc Patri vestro gratiam referre, sed ab eo potius accepisse existimamus.

XVII. De Stesichori Sepulchro Catanæ, ut tantum decebat virum, magnificentissimè extructo hæc habet Lilius Gyraldus (a) *Illud quidem Catanæ positum fuisse ante Urbis Portam, quæ ex re Stesichorea dicta est, Octangulum, hoc est octogonum perhibent; a cujus forma in Talorum & Tesserarum lusu casus quidam Stesichoreus, vel Stesichorites appellatus est, ut* Pollux, *&* Eustatius *prodidere. Alii omnia ei sepulchro ex octonis rebus fuisse volunt, octo scilicet columnis, octo gradibus, & octo quoque angulis; atque inde factum proverbium: Omnia octo, cum rei nihil deesse significamus.* Quamvis autem Lucius Pollux Himeræ id Sepulchrum statuat, cui Cælius Rhodiginus subscribitur (b) Svidas nihilominus, Lucianus, Pausanias, Scriptoresque Siculi communi ore Catanæ constituunt, ejusdemque rudera ad jactum lapidis ab Urbe ad Septentrionem extra Portam, qua ad Acim opidum itur, designant. Marmoream statuam urnæ insedisse tradit Archangelus in Hist. Catan. Virum eximium lauro redimitum referentem, quod verosimile putaverim; nam, & Himerenses Civi optimo simulacrum excitasse ex Tullio edifcimus; (c) quorum fortè exemplum secuti Catanenses, qui studio in Stesichorum minimè se vinci ab Himerensibus sunt passi. De hoc sepulchro suo loco.

(a) *de Poet. Dial. 9. fog. 332.*

(b) *lib. 20. cap. 27. Var. lection.*

(c) *Act. 3. et 4. in Verrem*

XVIII. Demortui Poetæ, ac civis Himerenses sibi corpus vindicare contendebant, bel-

lumque

lumque Catanensibus indicere ausi, a Phalaride, ut par est credere, suppetias petebant, quibus rescribens Phalaris in hæc respondit: *Ego quidem Stesichori gratia facere omnia paratus sum, & si contra ipsa fata arma sumere oporteret, de morte contendere non piget, ut divinum virum, & a vobis, & ab exteris hominibus carminis elegantia laudatum liberarem, quem sanctissimæ Musæ omnibus prætulerunt vatibus, per quem, et cantus, et choreæ plurimùm valuerunt. Verùm animadvertite, ubicumque sepultus sit Stesichorus, Himerensem esse, & suarum virtutum gratia, omnis etiam Patriæ Civis vocabitur, manebit autem vester. Neque mortuum Stesichorum, sed in poematibus suis, quæ cum universo Orbe communicavit, vivere arbitremini. Veniat Vobis in mentē Himerenses, apud vos eum genitum, educatum, eruditum in versibus, poematibusque consenuisse; apud Cathanios verò, et quidem volentes, naturæ cessisse. Et in Himera templum Stesichoro, immortale virtutis ejus monumentū condatur; in Cathania verò sepulchrum. Super hoc, ut satius vobis visum fuerit, consultetis; neque pecuniis, quantum nobis erit facultatis, neque armis egere vos arbitramini. Unū tamen animadvertatis velim, neque decori vobis, cum Siculi sitis, futurum in Sicilia Civitatem capere, neque si non caperetis, tutum. Cæterum nolite Stesichori obitum fletibus, & plantu prosequi, neque illius casu sollicitamini. Mortuū namque Stesichori corpus est, nomen autem perpetuò in vita quidem gloriosum, in memoria autem beatum servabitur.* Adquievisse porro Tyranni consiliis Himerenses inde colligo, quod nusquam ab iis illatum nostris bellum legitur; atque Stesichori reliquiæ in tumulo diu perstitere.

In-

XIX. Incessam agri Catanensis opidum ad radices Ætnæ positum contra Centuripem opprimere interim Phalaris cogitabat; quumque vi, armisque nequiret, dolo, atque astutia illam appetere cogitavit. Teutus eidem dominabatur, cuius filiam sibi in uxorem Phalaris postulavit, quumque nuptiarum tempus adesset, currus mundo muliebri, donisque elegantissimis, ac aureis vasis instruens, Ephebos complures armis clam succintos sub puellari cultu, veluti famulas Sponsæ munera allaturas præmisit. Qui mox, ut excepti, in Teutum nocte, ejusque familiares insurgentes tumultum excitarunt; Tyrannus hinc cum electa militũ manu superveniens facili negotio per neglectas portas irrupit, sibique omnia asseruit, ut Polienus Macedo testatur. (*a*)

(a) de Stratagẽ: lib. 5.

XX. Occiso ab Agrigentinis Tyranno, Siculæ Urbes, quibus ille imperaverat, jugo excusso, in libertatem redactæ Democratico jure vivere cœperunt; mox per Insulam universam Pythagoræ eximii Philosophi operâ Tyrannis extincta; Hunc quippe e magna Græcia seu Calabria, ubi Olympiade sexagesima sedem sibi statuerat, in Siciliam advectum nonnulli perhibent, Urbesque in ea complures in libertatem asseruisse, Catanam nempe, Tauromenium, Himeram, Agrigentum, aliasque, Jamblicus in ejusdem Philosophi vita testatur. Verùm id præstitisse per suos discipulos, quos e singulis civitatibus penè habebat, alii probabilius censent; animum quippe eorum ad libertatem semper accendendo, ad factiones funditus è patria evellendas excitavit. Inter Pythagoræ discipulos Charondam Catanensem præcipuum nonnulli recensent, tantoque præceptore adeò illum profecis-

Ante Xpũ. 533.

fecisse, ajunt, ut celeberrimi deinceps Legum Latoris sibi nomen conquisierit, ut mox dicemus. At Pythagoricæ scholæ potiùs sectatorem alii credunt, aut ultimam senectutem agentem Pythagoram audivisse. Effloruit enim octogesima tertia Olympiade nonaginta circiter annis post Phalaridem; Tyrannidis hinc in Patria circa hæc tempora Extinctor minimè dicendus. An Symmithrio, Phtiphoni, & Phasanidi Catanensibus itidem laus hæc tribuenda? His enim Arcum, Statuasque erexisse Cives cum epigraphe, in qua ab deleta Tyrannide commendantur, Scriptores gentici produnt.

XXI. Jamvero Xenophanis per idem tempus insignis etiam Philosophi incolatu Catana inclaruit. Hic Patria Colophonius, Eleaticæ sectæ Princeps vitam ab omni fastu alienam ad multam senectutem traduxit; pulsus autem ab suis civibus, ut Laertius testatur (a) *In Zancla Siciliæ moratus est, atque Catina.* Thaletis, & Pythagoræ contraria sensisse fertur, atque Epimenidem suggillasse; de Deo optimè scripsit, Elegiisque, ac Jambis in Homerum, & Hesiodum scriptis, fabulas de Diis ab iisdem inventas confutavit, ut Clemens Alexandrinus (b) præ aliis tradit. Denique centenario major Catanæ mortem oppetiit, ut Apollodorus apud Fazellum affirmat, ibidem eleganti sepulchro conditus circa Olympiadem sexagesimam sextam. Xenophanem Carnevalius (c) Patriâ Catanensem vulgavit, sed immeritò, fuit enim, ut diximus, Colophonius. Demortuum in Patria Carrera censet, quod a filiis propriis manibus tumulo fuerit demandatus, sedenim oculatissimus Scriptor Diogenis textum non vidit; ait enim hic in Xenophanis vita ex Panetico Stoi-

(a) *De Vitis Phil. lib. 9.*

(b) *Strom. lib. p.*

(c) *Hist. Sic. lib. 2.*

co lib. *de Tranquillit*: *Filios illum suos propriis sepelisse manibus*, *sicut & Anassagoram*. Tanta scilicet animi moderatione præditum, ut filios etiam sepulchro intulerit, ut de Anassagora legitur; non autem contra, a filiis nempe, fuisse sepultum. Calamo rursus cespitasse eumdem Carreram liquet, dum Xenophanem in Hieronis ætatem remittit; Hiero enim post Olympiadem septuagesimã floruit, Xenophães natus Olympiade tricesima, mortuusque centenarius, sexagesimã septimã summùm attigit. Effrenis porro linguę illum fuisse scripsit nemo; hinc celebre ejus effatum prę aliis laudatus refert Diogenes: *Tyrannis congrediendum aut minimè, aut suavissimè*. Xenophanis *Placita* habes apud Capassũ (*a*) novissimum Philosophicæ Historiæ scriptorẽ. De eo etiam videsis Laertium, & Clementẽ, Plutarchum, Tullium, Stobæum, aliosque, Philosophum hunc de Deo non indigna scripsisse, asserentes.

(a) Lib. 4. cap. 13.

XXII. Sub idem tempus, Pythagora adhuc in vivis agente, Siciliæ Insulam terræmotu concussam, Ætnamque Montem ignes eructasse, scribunt Lycosthenes, & Goffridus Viterbiensis in suis Chronicis (*b*) Hoc autem incendium cum alio, quod Phalaridis ævo evenisse superiùs diximus, malè confundit Carrera; ejusdem meminit Tucydides, ac primum post Græcorum in Siciliam adventum fuisse scribit. Quo grassante eximium Fratrum Piorum facinus contigit. Illud sic enarrat Pausanias (*c*) de Pietate in Parentes disserens. *Prisci mortales præ cunctis rebus plurimo dignabantur honore Parentes, quod cum ex aliis exẽplis colligas, tum verò ex eorum, qui apud Catanam Pii sunt appellati. Cum enim igneus rivus in eam urbem devolveretur, nulla vel auri, vel argenti habita ratione, fugientes, Matrem hic, Patrem*

(b) Parte 10.

(c) In Phocicis

trem ille humeris sustulerunt. Sedenim, cum haudquaquam festinantes incendium urgeret; neque illi Parētes propterea dimitterēt, ita igneum torrentē in duas, ajunt, partes discessisse, ut per medios ignes cum ipsis Parentibus adolescentes evaserunt. Iis apud Catanenses ad meam usque ætatem honores habentur.

XXIII. Eadem Historia elegantissimè a Cornelio Severo in *Ætna* describitur, cujus extant apud Cluverium Carmina (*a*) Sed Author hic more poetico ignem finitimæ Urbis, idest Catanæ portas invasisse scribit, Civesque in opibus asportandis occupatos vorasse; id enim incendium Pios Fratres longè ab Urbe agentes deprehendit. Hinc Piorum campus, ubi eorum statuæ in monumentum erectæ, tumulusque post mortem exstructus, tribus ferme passuum millibus Catanâ ab Aquilone recedebat, quidquid Cluverius, campum ad Meridiem statuens, obtendat, ut alibi dicam. Nec *Cononis* apud Photium ejusdem facti enarratio omnino congruit (*b*) *Ignis Ætnæi*, scribit ille, *Crateres tantas aliquando, fluminis instar, flammas per eam regionem effuderant, ut Catanæis extremum Urbis interitum certissimè allaturæ viderentur. Ex ea igitur Cives quam citissimè fugientes, aurum alii, alii argentum efferebant, alii verò quæcumque in exilio subsidium allatura videbantur. Anapias tantùm & Anphinomus præ omnibus, Parentes senio confectos humeris impositos fugientes extulerunt. Cæteros interim flamma adurens extinxit, quæ in eorum circuitu ita diffundi visa est, ut insulæ in modum, circumcirca locus ille igne liber fieret.*

(*a*) *Sic. Antiqua lib. p. cap. 8.*

(*b*) *In Bibliot. nar. 43.*

Quod enim ille de Urbe affirmat; de proximo Catanę pago intelligendū; Cives quippe opprimere fugien-

fugientes neutiquam flamma poterat, ni illi sese ortasse ingruenti incendio objicerent, quod incongruum. Habet Catana Montem ab Aquilone, unde ab igne cavendum; Cives ergo, ut hunc evaderent, ad meridiana iter flectere, oportuit, quæ sane loca ante elapsum XVII. sæculum ab hujusmodi incursionibus omnino immunia. Crediderim ergo, pagorum, qui ad Septentrionem sub Ætna frequentissimè occurrunt, incolas metu incendii in Urbem festinasse, oneribusque præpeditos ab igne absumptos, a quo illæsi ob patriam pietatem, mirabili sanè prodigio, fratres dicuntur.

XXIV. De Patria, ac nomine Piorum, qui dissentiant, non desunt. Emantiam enim, & Critonem, ac Syracusios credunt aliqui; Stobæus Philemonum & Calliam, sed Catanenses dicit. Hinc Solinus (a) *Inter Catinam*, ait, *& Syracusas certamen est de illustrium fratrum memoria, quorum nomina sibi diversæ partes adoptant. Si Catanenses audiamus, Anapias fuit, & Anphinomus; si quod malunt Syracusæ, Emantiam putabimus & Critonem. Catanensis tamen regio caussam dedit facto, in quam, se cum incendia protulissent, Juvenes duo sublatos Parentes evexerunt inter flammas illæsi ignibus. Horum memoriam ita Posteritas munerata est, ut sepulchri locus nominaretur Campus Piorum.* At quam incongruè Syracusani sibi olim illos vendicarint, nomina longè diversa, ut fabulæ fidem adstruerent, appingentes, nedum ex illo Silii Italici (b)

Tum Catine nimium ardenti vicina Typhœo,
Et generasse pios quondam celeberrima fratres,

Colligitur, sed & Catanensium veteres Numi *Anphinomi, & Anapiæ* epigraphe, & thypo insignes, cui-

(a) Polistor. cap. 11.

(b) lib. 14.

cuique obvii, atque antiquæ Inscriptiones, quarum una adhuc extans Catanam *Piorum* Urbem appellat, satis indicant, ut quum de illis erit sermo, fusiùs dicemus.

XXV. Verùm circa ætatem, qua & factū consignatur, & incendium desęviit, controversia longe major. Hieronis Tyrannidis initio Olympiade septuagesima quinta, ut mox videbimus, Thucydidis testimonio Ætna vehementiùs exarsit, creditque Carrera eo incendio Fratres pietate in Parentes sese commendasse; sed id fundamento adstruit nullo. Cluverius locis laudatis, etsi incertum tempus esse omnino dicat, ante Alexandri ętatem factum nihilominus consignat; eruitque ex Licurgi contra Leocratem Oratione post Alexandrum recitata, ubi *Campi Piorum* meminit, quem a Patre, & Filio appellatum affirmat, quamvis nón duos inducit fratres Patrem, & Matrem sustollentes, sed unum. Liquet ergo ante Alexandri ævum jam facinus per Græciam universam fuisse vulgatum, adeoque multò ante evenisse. Quum verò pro re fabulosa factum Licurgus habuerit, ut idem Cluverius observat, longiùs ante Alexandrum penes Græcos id evulgari cœpisse inde colligo, ac meritò in Pythagoræ ætatem rejicio; quod enim recenti memoria gestum, facilè pro fabuloso nequit proferri. Cæterùm celebres sunt Pii Fratres etiam Senecæ *lib.* III. & VI. *de Beneficiis* Aristoteli *de Aud. mirab. cap.* III. Straboni *lib.* VI. Valerio Maximo *lib.* V. *cap.* IV. necnon recentioribus Scanello, & Tiraquello, qui perperam quatuor fuisse fratres vulgarunt, Maurolyco, Fazello, aliisque.

XXVI. Mortuus Pythagoras Olympiadis ſeptuageſimæ anno quarto memoratur apud Cotronam Calabriæ Urbem, quo quidem tempore Gelon magna æquitatis fama, atque animi moderatione Gelæ, quæ eſt Siciliæ Urbs, dominabatur. Hic ab Optimatibus Syracuſanis contra plebem evocatus, rebus ea in Urbe compoſitis ejuſdem etiam imperium adeptus eſt, Gelamque Hieroni fratri conceſſit circa Olympiadem LXXIII. ut Fazellus obſervat. Multis dehinc, domi, foriſque præclarè geſtis ſeptennio integro optimi Principis opinione rebus Siculis adminiſtratis, ſtatu communi variis legibus conſtituto, e vivis exceſſit, eumdemque Hieronem unanimi Syracuſani populi conſenſu ſibi ſucceſſorem delegit. Hic Geloni fratri ſupramodum abſimilis in avaritiam, atque immanitatem Tyrannidis initio proclivis ſubditas ſibi gentes, ac vicinas, fœderataſque Urbes improbè vexavit, noſtriſque cum primis infenſus, eas variis calamitatibus affecit. Ante Xpt. 480.

CATANA

CATANA

SUB GRÆCIS AB OLYMPIADE

LXXV. AD XC.

Ante Xpῦ 463. Orbis conditi 3537. I. HIerone tyrannidem Syracusis exercente Ætna mons incendia evomuit, omnemque circumquaque regionem vastavit, Xerses, ait Cedrenus varia referens facinora, *Ægypto in potestatem suam redacta, Athenas, juncto Hellesponto, perveniens, Urbem incendit. Romæ Portilla quædam Virgo incesti damnata, defossa fuit. His temporibus Ætnæ mons Siciliæ ruptus est, ignemque edidit*. Notat Cluverius: hæc esse minus exactè computata; Ætnæ tamen incendium cum celebri illo Xersis in Græciam transitu convenire clarissimè liquet. Hìc enim in Olympiadis LXXV. annum primum incidit, illud vero ex Thucydide eadem Olympiade factum. En verba Historici (a) *Per idem ver*, Olympiadis LXXXVIII. anno secundo, *Profluvium ignis ex Ætnæ monte omnium Siciliæ maximo emanavit, quemadmodum alias. Fertur autem profluvium hoc quinquagesimo a superiore emanasse anno*; idest Olympiadis LXXV. anno quarto.

(a) Belli Pelopõ. lib. 6.

II. Circa idem tempus Hiero Fratre Polyzelo, cui dudum per insidias mortem intenderat, in pristinam gratiam recepto, Theroni Himerensium Tyrãno conciliatus, Chalcidenses Urbes suis vivẽtes legibus aggreditur, Leontinisque subactis, Naxum mox, et Catanam longa obsidione pressas tandem sibi subjicit. *Hieron autem* inquit Diodorus (b) *Catanenses, Naxiosque Urbibus suis ejicit, coloniasque eò deducit, quinque hominum millia* ex

(b) Bibl. lib. 11.

ex Peloponneso conciens, adjectis totidem Syracusiis, Catanamque immutato nomine appellavit Ætnam; atque agrum illis non solum Catanensem, verum etiam magnam finitimi partem, sorte divisit, suppletis illic decem millibus colonis. Hoc autem ab eo idcirco perpetratum, ut idonea sibi ad emergentes necessitates subsidia quam paratissima forent, simulque ut ex urbe decem millium Colonorum a se condita præmia, laudesque heroicas assequeretur. Naxios verò, et Catanenses patria exutos in Leontinos transcripsit, eamque illis sedem instituit, jussitque uti cum incolis, et civibus Urbem colerent. Huc usque Diodorus, qui rem Olympiade LXXVI. Præfecto Athenis Phedone, gestã cõsignat.

III Eadem habet Fazellus, de Hierone enim loquens: (a) *Cum Catana, ait, Naxo, et Leontino Urbibus potiretur, minusque in Catanæis, et Naxiis confideret, Catanæos, & Naxios pulsos in Leontinos transcripsit, atque ex Peloponneso, et Syracusis Colonos ad decem millia ducens, Catanam inhabitare jussit, quò sibi ad necessitates imminentes subsidia quam paratissima, ac fidelissima haberet. Cæterum cum non Tyrannus Catanæ Urbis, neque Rex, sed veluti Conditor, et haberi, et nominari vellet, abolito Catanæ nomine, Ætnam eam Urbem, ac se Ætnæum appellari jussit; legesque cum Laconicas tum Doricas incolis præscripsit.* Et alibi paullo fusius idipsum firmans (b) *cum Hieron, inquit, Syracusarum Tyrannus, Urbem Catanam superasset, expulsis Catanensibus, decem Megarensium, Geloum, Syracusiorumque millibus, magna quoque finitimorum agrorum parte in capita distributa, eam habitandam dedit. Quam cum Doricis, Laconicisque legibus exornasset, quo quasi novæ Urbis Conditor videretur, abro-*

(a) Dec.2. lib.1. cap. 4.

(b) Dec.1. lib.3. cap. 1.

abrogato Catanæ nomine, Ætnam appellavit. Cujus etiam non Tyrannum, non Regem, sed Habitatorem, Civemque salutari voluit. Unde et in certaminibus, quibus superaverat victor, non Catanæum se, aut Syracusium, sed Ætnæum nova ambitione proclamari jubebat, ut Pindarus in Olympiis, et Pythiis tradit. Huic Urbi Hiero Chromium, quem ob singularem modestiam, probitatem, ac fortitudinem plurimum diligebat, Gubernatorem præfecit, qui et ipse in Pythiis victor Ætnæus eodem Pindaro teste proclamatus est. Catanenses vero patria exutos in Leontinos transcripsit, eamque illis sedem constituit, jussitque, ut cum incolis, et Civibus eam Urbem incolerent. Hæc Fazellus. Mirari hinc subit Carreram contra Scriptorum mentem aliter eadem enarrare. (a)

(a) *Cat. Hist. lib. 4. tom. 1.*

IV. Sed quum de Pindaro, et Chromio huc mentio inciderit, illud non reticendum, summum hunc Poetam, cujus consuetudine, et doctrina Tyrannus maximopere delectabatur, Catanam aliquando digressum a Chromio Urbis Optimate hospitio fuisse exceptum; hinc sæpius ille in Pythiis, et Nemæis occasionem nactus Hieronem semel Quadrigis, bis Celete victorem, et Chromium, ut ex Fazello vidimus, Catanam denique ejusque Cives, sub Ætnæ nomine summis extollit laudibus. Placet hìc ex eiusdem Odariis pauca recitare, quæ ad rem faciunt. Primam namque Pythiorum Odem inscribit.

Hieroni Ætnæo Syracusano Curru victoriam adepto

Mox Ætna monte, ejusque incendiis descriptis, subdit: (b) *Contingat Jupiter, contingat, ut Ego placeam tibi; Qui hunc Regis montem, cui cognominem inclitus Conditor decoravit Urbem vicinam, Pythiadisque in curriculo præco proclamavit ipsam, nun-*

(b) *Stroph. 2. Antistroph.*

nunciū afferens super Hieronis egregii Victoris. Et
(a) Stroph. 2. Epod. paullo post de Urbe ejusque Civibus (*a*) *Ipsa igitur ratio, hos propter successus, et victoriam jam partam, opinionem affert mihi, ut credam hanc Civitatem Ætnam monti vicino cognominem, in posterum fore coronis, et equis inclitam, et inter dulcisona convivia celebrem. Lyciæ, et Deli imperium obtinens Phœbe, Parnassique fontem Castalium amans, velis hæc animo mandare, et bene instructam viris regionem*. Hinc prosequitur
(b) Stroph. 3. (*b*) *A Diis enim molimina omnia moralibus virtutibus, et prudentes, et manibus fortes, et lingua eximii, ac eloquentes nascuntur*. Denique de legibus Urbi præscriptis: *Age dum postea Ætnæo*
(c) Stroph. 4. *Regi gratum excogitemus hymnum* (*c*) *cui Urbem illam, cum divinitus fundata libertate Doricæ li-*
(d) *bræ in legibus Hieron condidit* (*d*) *O Jupiter effice,*
Antistroph. *quod a te peto, semper autem talem fortunam Amenæ ad aquam Civibus, et Regibus largire, ut fama hominum verum dijudicet, ac affirmare possit id verum esse, quod a me dictum*. *Nam tecum, teque, O Jupiter, Hieroni favente, Hiero princeps vir, filioque dans mandata, populumque Ætnæum honorans, suo filio committet concordem tranquillitatem*.

V. De Chromio porro, ejusque domo hæc canit in Nemæis (*e*)

Chromio Ætnæo victoriam adepto curru.
(e) Ode 9. duod. 1. *Hymnum laudatorium ab Apolline traditum o Musæ ex Urbe Sycione proficiscentes canamus in recens conditam Ætnam, euntes in beatam Chromii domum, ubi fores apertæ ab hospitibus victæ sunt. Carminum igitur dulcem hymnū facite; Nam Chromius in currum equorum opera conscendens Matri Latonæ, & geminis ejus Filiis Pythonis altæ consortibus præsidibus cantū denunciat.*

Eum-

Eumdem Chromium Agesidami filium dicit, atque prima ætate ad trajectum Areæ circa Elori Fluminis ripas fortiter se gessisse idem Poeta testatur. Quod sanè sub Hippocrate Gelæ Tyranno, cui Gelon successit, evenisse censet Carrera. Sed præstat ipsum Pindarum audire; (*a*) *Sortem bona legum constitutione præditam, atque pacatam, oro te, ut Ætneorum filiis diù præbeas, Jupiter Pater, & civilibus ornamentis admisceas populum, eique publicam lętitiã annuas. Sunt enim in eo & equorũ studiosi, & possessionibus animos habentes præstantiores viri. (Rem incredibilem dixi; verecundia enim, quæ gloriam affert, lucro surripitur.)* Sub *Chromio Armiger existens inter pedites, & equos, naviumque in præliis judicasses periculum velocis pugnæ, ac insignem Chromii virtutem cognovisses.* (*b*) *Quoniam in bello verecundia incitabat ejus animũ bellicosum, ad propulsandum mortis exitium. Pauci autem consultando queunt cædis ante pedes existentis nubem convertere in hostium virorum agmina manibus, & animo. Dicitur quidẽ Hectori decus floruisse prope Scamandri fluenta. At circũ ripas Elori præcipitia profunda habentes, ubi Areæ trajectum homines vocant, refulget filio Agesidami hoc lumen in ætate prima. In aliis autem diebus commemorabo ejus multa egregia facinora in pulverulenta terra & in vicino Mari.* Chromiũ denique Fazellus, ubi de Flumine Eloro loquitur (*c*) Gelonis generum facit. *Insignis fuit hic amnis Chromii generi Gelonis memorabili victoria, qui Socerum adjuvans hic Carthaginenses fudit, ut in Nemæis Pindarus, & ejus Scholia ex Timæo referunt.* Sed ad Hieronem redeo.

(a) Ibid. duod. 6. circa finem & duod. 7.

(b) Duod. 8.

(c) Decad. p. lib. 4. cap. 2.

Ante Xptũ. 450. VI. Post alteram Celete partam in Olympiis victoriam Hiero in Siciliam revertitur, inde

Cata-

Catanam petit, ubi morbo correptus, anno regni sui XII. Olympiadis septuagesimæ nonæ anno primo fato functus est, Trasibulo fratre successore relicto, ac unico filio Dinomene, qui Jovi Olympio, mox, quæ Pater voverat, persolvit. Nobili sepulchro tumulatus, honores funeris non alios nactus est Hiero, quàm si ipsius Catanæ Urbis fuisset conditor. Diodorus (a) *Hiero Syracusanorum Rex Catanæ interiit, titulisque, & monumentis Heroicis ejus memoria ornata est*. Censet Mirabella (b) Hieronis exuvias a Dinomene Syracusas translatas, ibique conditas, sed ejus conjecturas merito refellit Carrera. Quod enim posuit Syracusis Patri monumentum Dinomenes, in perennem rerum ab illo fortiter gestarum memoriam, aliud fuit ab insigni sepulchro eidem Catanæ extructo, ut alibi ostendam.

(a) Bibl. Hist. lib. 1.

(b) Tab. 2. n. 55.

VII. Trasibulus, quum ab ipsis imperii auspiciis Hieronem sævitia, & crudelitate superās, sese civium sanguine maculasset, populis invisus, post menses decem regno excedere coactus Syracusis libertatem restituit. Obstitisse diù Trasibulum Syracusano populo, accitis ex Catana militum præsidiis, quos illuc Hiero colonos constituerat, conductisque externis copiis, locis laudatis Diodorus memorat; at fœderatę Insulæ universæ Civitates, quum suppetias ad communem libertatem vindicandam Syracusanis misissent, devicto tandem Tyranno, sese ad pristina jura revocarunt. Status hinc popularis ubique constitutus, Jovi Liberatori sacrificia decreta, ac Tyrannide undique debellata, summa pax Siculis parta est.

VIII. Hanc tertio post anno sub ejusdem Olympiadis septuagesimæ nonæ finem variæ sedi- 447. Ante Chr.

tiones

tiones, ac turbæ Syracusis subortæ inter veteres Urbis Cives, novósque jure Civitatis ab Gelone donatos, magno reipublicæ damno labefactarunt, quumque aliquando ancipiti Marte utrinque pugnatum esset, tandem Syracusanis victoria cessit. Inter hæc Catanæ Coloni a Siculis finitimis Ducetio duce, atque a Syracusiis, quos Hiero Catanæ etiam statuerat, externi vero Urbe pulsos agris, dum belli muniis vacarent, etiā sibi assignatis spoliaverant, bello appetuntur. *Sub idem tempus*, inquit Diodorus (a) *Ducetius Siculorum Dux Incolis Catanæ*, ab Hierone scilicet deductis, *infensus, quòd agro Siculis per injuriam ablato* (*) *fruerentur contra eos arma movit. Ab Syracusiis similiter eisdem bellum infertur; nam hi communi inter se sorte obtinuerant agros, & illuc ab Hierone Principe veluti in Coloniam ducti, belli munera prosequebantur. Catanenses itaque*, idest novi Ætnenses, *contra instructi procedere ausi, cum multis jam præliis superati, fractis animis jam amplius sese tueri minimè possent, agro tandem & Urbe simul coacti sunt cedere; tum eam, quæ nunc Ætna vocitatur, condunt Urbem, cui antea Ennosiæ nomen habebatur. Priscique Catanæ incolæ post longum temporis intervallum patrias sedes receperūt.*

(a) *Bibli. Hist. lib. 11.*

IX. Ex his Diodori verbis eruit Carrera: Catanēses Cives olim ab Hierone ejectos sub ejusdem mortem Catanam extemplo reversos, mox nova jactura ab Siculis Ducetio Duce, ac Syracusanis prælio victos Inessam sese recepisse; Cluverius et si *Siculorum nomine* intellexisse Diodorum Græcos Chalcidenses dicat, *ad discrimen*

Mm *novo-*

(*) *Hiero enim nedum Catanensem agrum novis Catanæ Colonis, sed finitimorum etiam, Siculorum scilicet concesserat, ut vidimus.*

novorum Colonorum a Peloponneso ab Hierone adscitorum; tradit nihilominus: *Anno* xv. *post mortuo jam Hierone priscos loci incolas Siculos ejectis Catanensibus, qui sub exitum Hieronis eò reverterant, Urbem occupasse*. Sed utrumque hallucinari cum ex iis, quæ diximus, tum ex aliis, quæ mox dabimus, clarissimè patebit. Subdit enim Diodorus, postquam Catanæ colonos a Ducetio victos prodit, hos in montanam Ætnæ oram, ubi Ennosia, seu Inessa ab Urbe Catana duodecim passuum millibus dissita, sita erat, commigrasse, opidumque mutato nomine Ætnam dixisse, ac postliminio priscos Catanenses reversos patrias sedes occupasse, a quibus longo temporis intervallo abfuerant. Catanenses enim Inessam concedere coacti, Opidum non Ætnam appellassent, neque ab Hierone infenso Principe conditam vulgassēt, neque longo temporis intervallo patriâ abfuisse dicerentur, in quam biennio ante, post Hieronis mortem sese receperant. Optimè autem de Catanæ Colonis ab Hierone inductis, atque a Ducetio pulsis intelligitur, quod Inessam commigrantes Ætnam eam, ab Urbe relicta mutuato vocabulo, appellaverint, ejusdemque Conditorem Hieronem suum dixerint, ac simularint.

X. Sed nil fortè clarius, ad Carreræ & Cluverii conjecturas convellendas proferri hoc loco potest, quam id, quod ex eodem Diodoro sequitur. *His rebus gestis, quicumque Hierone imperante propriis ex urbibus ejecti ad id usque tempus exularant, auxilio sociorum in pristinas quisque sedes restituuntur, eosque inde ejiciunt, quicumque per vim, & injuriam alienis locis aut urbibus insederant. Horum ex numero erant Geloi, Agragātini, Himerenses, proximè his Rhegini cum Zan-*

Zanclis, qui filiis Anaxilæ domini ex imperio & Urbe ejectis, patriæ libertatem recuperarunt. Et paullopost: *Postremo civitates fere omnes ad delendos hostes consurgentes, edicto, decretoque communi adversus Inquilinos, advenasque Colonos proposito, sese in jura sua revocarunt. Tum reductis exulibus, Civitates Civibus priscis unicuique suas restituere, simul alienigenas omnes; qui per vim & potentiam aliena loca usurpaverant, non sua, incolas Messanæ constituere. Tumultus itaque seditionesque omnes, quæ per Siciliam solitæ erant concitari, hoc modo sedatæ sunt.*

XI. Catanæ porro Cives Chalcidenses, mox ut in patriam reversi sunt, Hieronis tumulum solo æquarunt. Strabo (a) *Post Hieronis obitũ redeũtes Catanenses inquilinos expulerũt, ac ipsius Tyranni tumulum solo equarunt.* Tum leges a Charonda Chalcidensibus Civitatibus observandas sub idem tempus traditas proponunt, quod innuere videtur Diodorus, post allata concludens. *Urbibus quoque singulis cura fuit, lapsas leges, & Respublicas jampridem alienatas pro suo cuique jure, & prisco more instaurare. Tum quidquid publici relictum est agri accepere, per civium capita quæque suis distributa sorte, tradunt.* Efflorebat magnus hic Legumlator summa nominis celebritate apud Magnæ Græciæ populos, præscriptisque Crotoniatis, Locrensibus, ac Rheginis ad vitam recte instituendam, ac remplubicam optimè gubernandam exactissimis legibus, a suis revocatus in Patriam, a qua ob Hieronis tyrannidem diù exulaverat, ac meritis honoribus exceptus, eorum leges reformavit, moxque reliquis Chalcidensibus per Siciliam, necnon Agragantinis, Himerensibus, ac Tauromenitanis, vivendi

(a) *De Situ Orbis lib. 6.*

vendi formam tradidit, qua servata diù a factionibus liberi perdurarunt. Observant Cælius Rhodiginus & Natalis Comes (*a*) quod leges ab se latas Charondas a Saturno acceptas prædicabat, ut tanquam a numine conditas homines vererentur, & susciperent.

(*a*) *Antiq. lect. lib. 8. cap. 9. Myth. lib. 2. cap. 2.*

XII. Interim Ducetius, quem Siculorum Ducem, Libertatisque authorem supra vidimus, gentis suæ Urbes singulas, excepta Hybla *in unam & communem duxit ad stipendia contributionē, ac vitæ parem institutionem*, ut Diodorus testatur, tum ex ære publico suorum magna pecuniæ vi contracta, Neam Opidum hodie Neetum, patriam suam in æquum campum transtulit, ac juxta Palicorum lacum in agro Catanensi Urbem haud ignobilem condidit, quam Palicam appellari jussit Olympiadis octogesimæ primæ anno quarto. Eam quum firmo satis muro cinxisset, agros finitimos novis Colonis divisit. Hinc simul ob soli ubertatem, simulque propter incolentium multitudinem brevì Urbs crevit. At non diuturna ea fuit felicitas, haud enim multopost jacuit. Urbem hanc, ut de Palicorum Lacu & Templo differens ostendam, nonnulli ad Symethum sub Ætna statuunt, sed passim alii prope Menas fuisse tradunt. Sequenti anno Ducetius Ætnam, quæ olim Inessa, occupat, Principe ejus per fraudem necato (Fazellus (*b*) aliique Ennam legunt.) mox Agrigentinis ac Syracusanis bello profligatis, magnam in spem adducitur, invadendi totius pene Insulæ imperium; sed adversante fortuna ab iisdem Syracusanis victus, suisque exosus factus, vitam ęgre a victoribus obtinuit.

(*b*) *Decad. 2. lib. 2. cap. p.*

Sub

XIII. Sub idem tempus Ætnæ Montem exarsisse, atque incendia eructasse tradit ex Joanne Stobæo (*a*) Petrus Carrera, ac Piorum Fratrum insigne facinus evenisse contendit. Verùm utrumque hallucinari Thucydidis textus clarissimè evincit, qui in annum secundum Olympiadis LXXXVIII. tertium Ætnæ incendium post Græcorum adventum rejicit, proinde secundum, ut vidimus, ante annum quinquagesimum in septuagesimam quintam incidit Olympiadem; continuari porro, ut Carrera videtur innuere, idipsum incendium per annos ferme viginti quatuor usque ad octogesimam primam, haudquaquam potuit, nec Historici tacuissent, minus ab hac ad octogesimam octavam per triginta circiter annorum spatium protendi.

XIV. Celebris nihilominus hac ipsa ætate Mons Ætna fuit morte, ac sepulchro Empedoclis Agrigentini Philosophi, Poetæ, ac Medici clarissimi. Hic, cum arte, aut maleficiis, nam etiam magicis fuit instructus, Pantheam Agrigentinam mulierem a Medicis destitutam perque dies plurimos animam agentem, sanitati restituisset, ac famam idcirco immortalem sibi comparasset, ut conceptam firmaret opinionem, sacrificiis oblatis ante ortum Solis Ætnam ascendit, in ejusque craterem sese conjecit; ut quum amplius non appareret, inter Deos relatum, assumptumq: homines crederent. Verùm, ignis illius æneū calceamentum evomuit, ac fraude detecta, Philosophi temeritas, ambitionisque studium patuit. Hæc Laertius (*b*) qui alio longè diverso mortis genere defunctum ex aliis Scriptoribus Empedoclē memorat. Cæterum probabiliorem censet Mongitorius (*c*) M. Antonii Sabellici de morte Empedoclis opinionem a Ma-

(*a*) *lib. 2. cap. 5. Ser. 77.*

(*b*) *De Vitis Phil. lib. p.*

(*c*) *Bibliot. Sicul. tom. p.*

a Matheo Silvagio, Carnevalio, aliisque firmatam, qua dicunt, quod quum doctrina, naturalique scientia polleret, atque Ætnæorum incendiorum arcana propius examinare vellet, æneis munitus calceamentis, ut cinerum fervorem tolerarct usque ad summum verticem, atque hiatum ascendit, quumque ulterius incautè philosophando procederet, in igneum lapsus est gurgitem, ejusque casum æneum calceamentum ignis vi rejectum prodidit. Hoc autem subdit laudatus Mongitorius ex eo firmari potest, quod Fazellus, Philotheus, Cimorellus, ac alii passim testantur: in tertia nempe Ætnæ regione prope verticem vetustissimi fornicis lateritium spectari, quod vulgo *Turris Philosophi* appellatur; vigetque penes Catanenses fama, hanc sibi ædiculam testudinato opere Empedoclem, Cæli, ac Syderum motibus liberius contemplandis, construxisse. Quãvis, ut verum fatear aliter nonnulli de hoc lateritio sentiant, ut alibi dicam.

XV. Olympiade octogesima tertia Thuriorum Urbs ex Sybarensium reliquiis, Grecisque coloniis, in magna Græcia crevit, quumque legibus destituta vivendi modum haberet nullum, Catanẽsem Charondam, qui statuta præscriberet ac rempublicam administraret, & ordinaret, accersit, ut Diodorus testatur (a) qui ab optimis moribus, singulari rerum divinarum, humanarumque peritia, ac cultissimæ cujusque disciplinæ institutione virum commendat. Porro hic aliquandiu apud Thurios versatus, ut suo exemplo leges firmaret, in Patriam denuo rediit, ubi ætate gravis excessit, nobili sepulchro conditus, quod Fazelli ætate inventum, illud esse dictitant in Seminarii atrio locatum. De morte Charondæ varia circumferũtur

Ante Xpũ 433.

(a) *Bibl. Hist. lib. 12.*

tur. Sistam hic Diodori verba. *Quadam die ferunt, cum in agrum exivisset gladio accintus propter Latronū incursiones, atque in regressu suo convocata fortè concione Populi concederetur, ibique tumultus excitari misceriique plebem, et agitari varie cœptum per facinorosos, & seditiosos viros audisset, immemor gladii ad latus pendentis properat in concionem. At cum lege a se cautum, capitaleque judicatum esset, ne qua quis causa in concionem cum armis prodiret, ibi mox ab æmulis suis notatus criminis objectione. Ea enim occasione oblata haud cessarunt quidam ex eis repente procul inclamantes: Leges inquiunt, quas condidisti, nobisque composuisti Charondas, primus prævaricari adortus es. Ille repente ad gladium conversus: ita per Jovem, respondit: Verùm mox comprobatas reddam penas, confestimque stricto gladio, sibimet conspicientibus omnibus jugulum aperuit.* Hæc suo loco fusius expendam.

XVI. Leges aliquot a Charonda latas idem Diodorus exscribit, quas inter celebris illa: de Publicis Magistris ære Civitatis conducendis ad juventutis institutionem, habetur. Hinc non incongruè nonnulli Publicam Catanæ Academiam Authorem habuisse Charondam dicunt, quāvis alii longe ante, Stesichori nempe ætate institutam, ut superius innui, evulgent. Ut ut sit, Hippocratis ævo, qui Olympiade octogesima sexta effloruit, celeberrima habebatur, teste Hieronymo Mercuriale, qui & medica peritia, & studio antiquitatis, ut satis ejus opera declarant, insignis (a) *Tempore Hippocratis*, ait, *ut Ego reperio, tres fuerunt nobilissimæ scholæ, una Rhodi, altera in Sicilia, & præsertim in Urbe Catanensi, tertia fuit in Gnido*. Quas sane publicas fuisse

(a) *De ratione victus Præfat. lib. 1. initio*

fuisse Academias, nemo inficias ierit, quidquid Carrera de Rhodia, & Gnidia dictitet, ut unâ omnibus præferat Catanensem. Ex illa enim Gnidi prodiisse Ctesiam Artaxersis Medicum, & Hippocratem idem Mercurialis affirmat, ex alia Rhodi Theophrastum, de Sicula demum idem Author concludit. *Floruit pariter schola in Sicilia, & præsertim Pythagoræ*, ab ejusdem discipulo Charonda dubio procul instituta.

XVII. Per idem tempus bellum atrox inter Syracusanos ex una, ac Leontinos, & Catanenses ex parte alia exarsit: Illud compendiariè hoc pacto enarrat Justinus (*a*) in suo Trogi compendio: *Catanenses quoque, cum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis auxilium ab Atheniensibus petivere, qui seu studio majoris imperii, quod Asiam Græciamque penitus ocuparat, seu metu factæ pridem a Syracusanis classis, ne Lacedemoniis illæ vires accederent, Lemponium Ducem cum classe in Siciliam miserunt, ut sub specie ferendi Catanensibus auxilii, tentaret Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia, frequenter cæsis hostibus prospera fuerant, majore denuo classe, & robustiore exercitu Lachete, & Cariade ducibus Siciliam petivere; sed Catanenses sive metu Atheniensium, sive tedio belli, pacem cum Syracusanis, remissis Atheniensium auxiliis, fecerunt*. Hucusque Justinus, qui Leontinensium nullam prorsus ingerit mentionem.

(a) Lib. 4. Hist.

XVIII. Eadem vero enarrans Diodorus hæc habet (*b*) *Præfecto Athenis Euclide, Romani tres Tribunos Consulari potestate crearunt M. Manliū Q. Santicium Prætextam, Servilium Corneliun Cesum. Horum temporibus in Sicilia Leontinis Chalcidensium Colonis, Atheniensiumque cognatis adversus*

(b) Bib. Hist. lib. 12.

Ante Xpū. 420.

ſus Syracuſios obtigit bellum. Preſſi itaque viribus hoſtium, tum opibus, potentiaque Syracuſiorum *quam longe inferiores erant; in diſcrimen amittendæ per vim patriæ adducti, Legatos Athenas mittunt oratum a Populo auxilium, ut quam celerrimè ſuæ originis Urbem, jam incumbente periculo, liberare properarent. Legationis ejus Princeps fuit Gorgias Rhetor omnium ætatis ſuæ ſermonis acrimonia longè præſtantiſſimus... Hic igitur Athenas ingreſſus, cum multa eloquentiſſime pro auxilio impetrando diſſeruiſſet, impetrata Athenienſium cum Leontinis, ſuadendo, ſocietate, ad ſuos rediit. Aſt Athenienſes jam pridem libido haud mediocris invaſerat* Siciliæ *capiendę propter opportunitatem loci, ſolique fertilitatem... quibus permoti cauſis, decreto Leontinis auxilio, centum naves in* Sicili*am mittunt ducibus Lachete, & Charonde, qui Rhegium advecti centum naves a Rheginis Calcidenſibus colonis traditas ſuæ claſſi adjiciunt; Inde enavigantes, Inſulas primum Liparenſium, quod ſocietatem tuerentur* Syracuſiorum *excurrunt. Poſt in* Urbem *Locros perlati, captis ibi quinque Locrenſium navibus, caſtellum obſidere pergunt, cum finitimis Siculis auxilio Mylęis occurrentibus. Conſerta pugna victor Athenienſis manus ſupra mille hoſtium cædit, captivos haud ſexcentis pauciores adduxerunt; moxque expugnato caſtello vi potiuntur. Interea dum hæc fiunt, aduavigant quadraginta naves ab Athenienſi populo miſſæ, ut generoſiùs, atque ferociùs id ſuſcipi bellum pro majeſtate Urbis videretur. His præerant duces Eurymedon,&* Sophocles*; contractis in unum locum maritimis viribus, jam haud ſpernenda claſſis apparebat* CCL *triremibus inſtructa. Dum itaque bellum diutius trahi viderent, Leontini defatigati per lega-*

legatos Syracusas missos rem composuere. Triremes Atheniensium bello soluto revehuntur in Patriam. Hæc Diodorus, qui alios Siciliæ Populos Leontinensibus fœderatos memorat nullos, ac navium numerum, quæ ab Atheniensibus, Rheginisque vel missæ, vel collectæ nimium augere videtur, quum Thucydides ad Siculam expeditionem sub Lachete, & Chareade, seu Charonde ducibus naves viginti coactas testetur, ut mox videbimus. Fortasse, dum ab Rheginis, & Chalcidensibus Colonis traditas naves aliquot Atheniensibus innuit, de Siculis Chalcidensibus intelligit; Thucydides enim Diodoro vetustior, immo & Peloponnesiaci belli, cui interfuit, Synchronus Historicus Leontinis adhæsisse Chalcidicas Civitates apertissimè scribit; hinc non incongruè Justinus ex Trogo bellum inter Catanenses, & Syracusios gestum, legatosque Athenas ab Catanensibus missos enarrat; summa enim inter Leontinos, & Catanenses necessitudo ob communem originem erat.

XVIIII. Jamvero, quid Thucydides de eo bello vulgaverit, hoc loco sistam (a) *Extremo huius Æstatis* (quinto anno belli Peloponnesiaci ab eodem Historico descripti) *Athenienses viginti naves in Siciliam dimiserunt ducibus Lachete Melanopi, et Chareada Euphileti filio; Syracusani namque cum Leontinis bellum gerebant; Erant autem Syracusanorum sociæ præter Camerinam, cæteræ Doricæ Civitates, quæ cum Lacedemoniis ante cœptum bellum societatem contraxerant; Leontinorum vero Chalcidicæ, Chamarinaque. Ex Italia Lochri Syracusanis, Rhegini, utpote cognati, Leontinis studebant. Miserunt itaque socii Leontinorum Athenas, qui pro vetusta soci-*

(a) Belli Pelopõ. lib. 3.

societate, et quia Jones essent, persuaderent illis, ut naves sibi trajicerent. Prohiberi enim se a Syracusanis, & terræ usu, et maris. Et trajicerunt Athenienses perspeciem necessitudinis, eo tamen consilio, ut neque illinc frumentum exportaretur in Peloponnesum, et tentarent, numquid possent Siculas res sibi subjicere. Ex quibus id colligas: præcipuam belli molem Leontinis incubuisse, Chalcidicas vero Urbes Catanam, Naxum, Camarinamque Doricam, Leontinorum socias legatos etiam ad suppetias petendas misisse Athenas; bellum proinde gessisse conjunctis viribus pro libertate tuenda contra Syracusanos, qui nimiâ potentiâ, opibusque elati illam labefactare studebant.

XX. Acri deinde pestilentia, quæ ineunte Hyeme Atheniensium vires afflixerat, descripta, prosequitur Thucydides hisce verbis: *Eadem Hyeme, qui in Sicilia erant Athenienses, ac Rhegini cum triginta navibus invaserunt Æoli, ut vocant, Insulas, Æstate tutas ab hostibus ob aquæ penuriam. Sunt autem sitę eæ Insulæ Siculum versus ac Messanum agrum, sociæ tunc Syracusanorum. Vastata horum terra, cum dedere se recusarent, Rhegium rediere Athenienses*. Et post pauca: *Eadem Æstate* (anno scilicet sexto belli) *alii quoque in Sicilia, ut quibusque contigit, belligeraverunt, & ipsi Sicilienses inter se, alii aliis arma inferentes, & Athenienses sociis junctis... Etenim Chareade Atheniensium duce occiso a Syracusanis in bello, Laches, penes quem summa potestas navium erat, cum sociis profectus est Mylas Messeniorum, ubi erant præsidio duę cohortes illorum, quæ cum insidias quasdam classicis tetendissent, ab Atheniensibus, ac sociis in fugam versi,*

versi, multos e suis amiserunt; & admotis ad munitionem copiis pactionem facere coacti sunt, ut et arcem dederent, & adversus Messanam una dimicarent. Et mox Mamertini progredientibus Atheniensibus sociisque deditionem, et ipsi fecerunt, datis obsidibus, et quæcumque ad fidei tutelam pertinent præstitis.

XXI. Sub finem ednique Libri, postquam Nisę opidum incassum ab Atheniensibus, & sociis oppugnatum enarrasset, concludit: *Eadem Hyeme, qui apud* Siciliam *erant Athenienses, cum egressi e navibus in Himeræa essent, Siciliensibus una supernè invadentibus extrema Himereæ, cum ad* Æoli *Insulas navigassent in Rhegium se receperunt. Ubi Pythodorum Isolochi filium Atheniensium ducem successorem Lachetis offendunt in navium præfectura. Nam* Sicilienses *socii aditis Atheniensibus persuaserant, ut se majore classe adjuvarent. Quippe Syracusani cum terrâ forent illis superiores, & mari paucis navibus impedirentur, talem classem instruxerant, ut posthac contemni non possent. Itaque sexaginta naves expleverunt Athenienses tamquam sociis mittendas; etenim tum existimabant citius ibi bellum finitum iri, tum volebant fieri navium experimentum. Igitur unum e ducibus Pythodorum cum paucis navibus miserunt, missuri cum pluribus* Sophoclem *Sostratidæ filium, & Eurimedontem Thuclei. Pythodorus, accepta jam Lachetis præfectura, profectus est sub extremum Hyemis ad præsidium Locrorum, quod ceperat Laches, & victus a Locris in pugna discessit.*

XXII. *Per idem Ver* (Hæc nostra potissimum tangunt.) *Profluvium ignis ex Ætna monte omnium Siciliæ maximo emanavit, quemadmodum* *Ante Xpū 421.*

alias

aliàs, & aliquantulum soli Catanensium corrupit sub Ætna incolentium. Fertur autem profluvium hoc quinquagesimo a superiore manasse anno, & ad summum ter extitisse, ex quo Sicilia a Græcis incolitur. Hæc per eam hyemem gesta sunt, & sextus exiit annus belli hujus, quod Thucydides conscripsit.

Ante Xpti. 420. XXIII. Auspicatur mox quartum historiæ suæ librum & septimum belli annum, qui fuit tertius belli Syracusani ab expugnatione Urbis Messanensis, ac vastatione Rhegini agri Locrẽsium opera, enarratisque aliquot levioribus pugnis variâ fortunâ in mari utrinque gestis prosequitur: *Mamertinorum interea omnis populus a terra pariter, & navibus adversus Naxum Chalcidicam, quæ in finibus sita est, proficiscitur, ac prima die intra muros repulsis Naxiis agrum populabatur, postero cum classe pernavigans ad amnem Acesinem agrum vastat, peditatu oppidum oppugnante. Atque interim Siculi montani, ad ferendam Naxiis opem frequentes in Messenios descendunt; quos, ut conspexere Naxii, addito animo, seipsos mutuo adhortantur tamquam sibi veniant auxilio Leontini cum aliis Græcis sociis; & subito ex Urbe erumpentes in Messenios irruunt, & in fugam vertunt, ac supra mille occidunt, cæteris egrè domum elapsis, nã barbari in viis agressi permultos trucidaverunt, & naves quæ Messanam tenuerant, mox in suam quæque Urbem remearunt. Statimque Leontini, ac socii cum Atheniensibus Messanam, ut conquassatam, oppugnatum contendunt; Athenienses quidem a portu cum classe, peditatus vero a terra. At illi, & ex Locrensibus aliquot cum Demotele post cladem acceptam ad præsidium relictis, repentina irruptione*

 inva-

invadentes exercitum Leontinorum, plerumque in fugam vertunt, ac multos occidunt. Quo inspecto Athenienses egressi e navibus auxilium ferunt, rursusque Mamertinos persecuti sunt, ad Urbem usque perturbatis instantes, ac posito tropheo Rhegium reverterunt. Post hæc Greci, qui in Sicilia sunt inter se sine Atheniensibus alii alios bello infestabant.

XXIV. Anno belli Peloponnesiaci octavo Syracusani quarto inter Camarinenses atque Geloos induciæ primum initę sunt; *mox cæteri Siculi legatis singularum Urbium ad Gelam coactis inter se tractabant si quo pacto reconciliarentur; Et cum multæ ultro citroque sententiæ dicerentur dissentientium, & prout quisque se læsum iri arbitrabatur expostulantium, Hermocrate tandem suadente pax firmata fuit, atque inter se in hanc sententiam convenerunt, ut ab armis discederetur, obtinentibus quibusque quæ obtinerent, modo foret Margantina Camarinorum*, pro qua certam Syracusanis pecuniam reddere tenerentur. *Socii vero Atheniensium accitis illorum primoribus ajũt fœdera, quæ ineunda essent, fore cum eis communia. Iis probantibus pacificati sunt. Post quod Atheniensium naves e Sicilia decesserunt*. Earum Duces mulctasse Civitatem subdit Thucydides, exilio quidem Pythodorum, & Sophoclem, pecunia vero Eurymedontem, quasi penes eos fuisset Siciliam subjicere, muneribusque corrupti ac persuasi abscessissent. Hæc fusiori calamo ex Thucydide prosequi libuit, communi enim societate cum nostris Leontini, Naxii, Camarinenses, aliique, ac junctis viribus id bellum gessere, ut ab initio docui; hinc ut communis fœderatorũ labor, sic & communia, quæ huc usque commemo- Ante Ch. 419.

memoravi, facinora censenda.

Ante Xpũ. 417. XXV. Post biennium turbatis per Insulam rebus Phæax ab Athenienfibus cum duobus collegis legatus in Italiam atque Siciliam transmittitur. Legationem hanc sic describit Thucydides (a) *Cum Leontini Athenienfibus e Sicilia reversis, post conventionem, multos in civitatem adscripsissent, & plebs agrum viritim dividere haberet in animo, id sentientes ii, qui potentes erant, Syracusanis accitis, plebem ejicere, & eâ passim errabundâ, dedentes se Syracusanis, Urbemque deserentes, ac desolantes habitacula, Syracusas, ut Cives, commigrarunt: Quorum plerique displicente sibi facto, relictis Syracusis, locum quemdam Urbis suæ nomine Phoces cepere, & arcem in Leontino agro validam Bricinnias; ad quos permulti exulantis plebis se contulerunt, & pro muris stantes belligerabantur. Hoc cum audissent Athenienses Phæacem miserunt, si quomodo persuasis suis, qui ibi erant sociis* (quos inter Catanenses) *& aliis, si possent, Sicilienfibus, communiter tãquam adversus proficiscentem Syracusanorum potentiam, sumptis armis, liberarent populum Leontinum. Phæax ubi advenit, inductis Camarinæis, atque Agragantinis, quia apud Gelas ei è contrario eveniebat, ad cæteros non perrexit, intelligens haud quaquam illis persuasurum, sed rediens per Siculos Catanam, & in transitu Bricinnias veniens, adortatusque discessit.* Ex quibus eruo: Phæacem Catanam primo appulsum, quũ civibus persuasisset, mox ad alias perrexisse; sed re infecta reversum, in patriam solvisse.

(a) Lib. 5. bell. Pelopon.



LIBER II.



CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER SECUNDUS

CAP. I.

CATANA ATHENIENSIBUS CONTRA SYRACUSANOS FŒDERATA.

I. OLympiade nonagesima prima ineunte Seluntini finitimis suis Ægestanis bellum intulere. Hi quòd Chalcidenses essent, ac veteres Atheniensium socii ad suppetias exorādas Legatos suos Athenas direxerant, votique compotes effecti, ut naves sexaginta in Siciliam transmitterent, impetrarant. Catanenses interim ac Leontini auxilia adversus Syracusanos sibi infensissimos ab iisdem Atheniensibus postularūt; hinc illi, cupiditate proculdubio, ut sæpius dixisse memini, totius insulæ potiundæ specie tamen auxilii cognatis populis, sibique ob fœdera conjunctis ferendi, magno apparatu in Siciliam trajicere decreverunt. Catanensium, seu Chalcidensium legationem enarrans Justinus (a) *Interjecto* ait, *tempore, cum fides pacis a Syracusiis non servaretur, denuo Legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo, barbaque prolixis, & omni squalloris bobitu ad misericordiam commovendam accersito*

Ante Xpti. 411. Orbis conditi 3589.

(a) *Hist. lib. 4.*

sito concionem deformes adeunt; adduntur precibus lacrymæ & ita misericordem populum supplices movent, ut damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerunt. Igitur classis ingens decernitur, creantur Duces Nicias, Alcibiades, & Lamachus, tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. Hic, ut observas, Justinus rursus Catanensium solũmodo meminit, cum Chalcidenses omnes Siculi auxilia postulassent. Num quia tunc Catana inter Chalcidicas civitates principatum gerebat, uti inter Doricas Syracusæ, inter Siculas Trinacia?

II. Fusins rem enarrat Diodorus, descriptoque inter Seluntinos, & Ægestanos prælio, horumque clade subdit (a) *Cum viribus suis Ægestæi diffiderent, Agragantinorum præsidium, & Syracusiorum sibi societatem conciliare conantur. Ea frustra spe cæpta, legatos Carthaginem mittunt, imploratum auxilium, quibus itidem renuentibus, ad maris auxilia societatem, quæcumque fortuna obtulisset, contrahendam convertuntur; quorum consilia casus ipse provexit. Leontinos olim Syracusii Urbe ejectos agro quoque spoliaverant; solo itaque patrio extorres, consilium ineunt societatis Atheniensium sibi rursus conciliandæ. Hac re gentibus communicata, quibuscum amicitia devincti erant, communi decreto, legatos Athenas mittunt, oratum, uti Urbibus suis vi, & potentia quorumdã oppressis, opem ferre properarent, simulque eis operam suam pollicentur ad rem Siculam peragendam. Cum Legati Athenas venissent, Leontinis antiquã cognationem, & pristinam societatem commemorantibus, tum Ægestæis ingentem proferentibus ad id bellum sibi pecuniam, quam paratam haberent, simulque capturos contra Syracusios arma spondentibus*

(a) Bib. Hist. lib. 12.

tibus; Athenienses adducti statuunt eò dimittere viros quosdam spectatæ virtutis, & fidei, qui simul Insulę situm, opesque, & Ægestæorum res diligenter explorarent. Quibus Ægestam pervectis Ægestęi pecuniæ vim opumve facultatem, quanta domi pollerent, jactari, quantave suburbiis, & locis proximis pro arbitrio cogere in manu esset, ostendere. His diligenter exploratis domum regressi Ægestæorum opulentiam renunciant. Comitiis habitis, de ea re Populus consulitur. Relata in medium consultatione de exercitu in Siciliam *trajiciendo, Nicias contrariam habuit sententiam... Alcibiades vero Atheniensium clarissimus hortari pergit Populum, ut id bellum confidenter adoriatur... Persuasus itaque illius sermone, assensusque Populus, extemplo classem ad id idoneum extrui jubet; triginta a sociis triremes missæ, centum ipsi suis opibus instruunt, rebusque muniunt ad bellum necessariis. Quina deinde armatorum millia eis imponuntur eo delectu ex Civibus habito, duces ejus expeditionis tres creati Alcibiades, Lamachus, & Nicias.*

III. Niciæ, & Alcibiadæ Orationes apud Athenienses, quibus hic bellum capessendum, detrectandum ille Populo suasit, recitat suo more Thucydides (a) qui classem enumerans, triremibus Acticis centum triginta quatuor, ac duabus Rhodiis biremibus, in quibus armatorum quinque millia, ac centum vehebantur, ultra onerarias naves, quæ fere absque numero, instructam evulgat; ac prospero cursu in Siciliam delatam apud Rheginos primum constitisse, eosdemque, ac Messanenses ad societatem ineundam frustra solicitasse scribit. Pergit mox enarrare, ut *completis sexaginta ex omni numero navibus,* *sum-*

(a) Belli Pelopō. lib. 6.

ſumptiſque neceſſariis, Athenienſes duces Naxum tranſmiſerint, uno ex eis cum cætera claſſe ad Rhegium relicto. A Naxiis intra Urbem recepti Catanam navigarunt, ſed cum a Catanenſibus non reciperentur (aderant enim illic quidam Syracuſanorum ſtudioſi) ſubjerunt Teriam flumen, ubi ſtationem eo die cum habuiſſent, inſequenti Syracuſas navigarunt, in Ceterum claſſe digeſta, ac præmiſerunt decem naves in portum magnum, quæ ſubeuntes explorarent, ſi quid navium ab hoſte deductum eſſet. Et ex eis egreſſi in terram aliqui denunciarent Syracuſanis, Athenienſes venire ad reducendos in ſuam patriam Leontinos jure ſocietatis atque cognationis. Ubi denunciaverunt, ſitumque Urbis, ac portuum, & omnem circa regionem contemplati ſunt, unde appellentibus ſibi opportunitas foret oppugnandi, rurſum reditum eſt Catanam.

IV. Eadem habet Plutarchus cum in Alcibiadę, tum in Niciæ vita, ſed hunc nonnihil incuſat, quod militum animos conſiliis ſuis perſtrinxerit; *Cum enim* Lamachus, inquit, *recto curſu petere Syracuſas, et quam proximè civitati bellum admovere ſuaderet; Alcibiades vero ſolicitatis primo finitimis Urbibus, & ad deditionem quaſcumque poſſent compulſis, tum demum Syracuſas aggredi oportere, cenſeret; Nicias ab utroque diſſentiens Siciliam navibus luſtrari cenſebat, ac poſtquam hoſtibus armorum, & triremium apparatum oſtendiſſent, Athenas redire optimum putabat... His ille conſiliis paſſim vulgatis, vehementer animorum ardorem extinxit, & militum obtudit audaciam*. Idem ab Athenienſibus captam in portu Syracuſano navem e templo Jovis Olympii revertentem refert, quæ tabulas, ubi Civium

um omnium Syracuſanorum nomina, quicumque ad bellum idonei eſſent, inſcripta erant, ferebat, quæ paſſim inter milites vulgatæ Auruſpicum mentes turbavere, qui ex hoc jam oraculum fide præfinitum arbitrabantur, quod Athenienſibus prænunciaverat, fore ut aliquando Syracuſanorum omnium Athenienſes potirentur.

V. Illud etiam Diodorus præmiſerat: Syracuſios ſcilicet comperto claſſem, copiaſque Athenienſium Siculis oris adveꝺtam in ipſo trajeꝺtu adeſſe, creatis Diꝺtatoribus Hermocrate, Sicalio, et Heraclide, deleꝺtuque militum undique habito, per Siculas Urbes dimiſiſſe oratum, ut pro ſalute communi contra vim hoſtis arma ſumerent. Ab Agragantinis ac Naxiis reſponſum datum, ſe pro ſervanda fide ſocietatem cum Athenienſibus junꝺturos; Himeręos vero Mamertinoſque bello tantiſper abfore promiſiſſe, ſeque de ſocietate ineunda interea conſulturos; Selinuntinos Geloos, & Catanenſes arma vireſque ſuas pollicitos. Verum de noſtris ſubdubito, tum quod Athenas Legatos cum Leontinenſibus jam ex Juſtino vidimus, miſiſſe; tum quod Diodorus ipſe paullo ſuperius ſub finem Libri XII. innuerat: Leontinos re cum gentibus communicata, quibus amicitia conjunꝺti erãt, communi decreto Athenienſes ad ferendam opem ſolicitaſſe. Quæ autem gens Leontinis, & ſanguinis neceſſitudine, & fœderibus conjunꝺtior Catanenſibus? Ab his minime receptos Athenienſes quum primo Syracuſas obnavigarent ex Thucydide adnotavi; ſed cauſſam Hiſtoricus aperuit, quod Catanæ adeſſent, qui Syracuſanorum partibus ſtuderent. Putaverim ergo ſubdolis verbis Syracuſarum Legatis Catanenſes ſuppetias promiſiſſe, clam vero Athenienſibus, quibuſcum fœderibus

juncti erant, auxilia spopondisse. Subdit namque laudatus Thucydides, nec Diodorus dissentit, quod mox ut Atheniensium classis Catanam rediit, *inito consilio Catanenses abnuerunt exercitum excipere, ingredi tamen duces, & si quid vellent, dicere jussere. Apud quos habente orationem Alcibiade, & in illam concionem conversis Oppidanis, Milites portulam quamdam male constructam subruerunt, ingressique mercabantur per Urbem*. Scribit Polienus (a) convenisse Alcibiadem cum suis, ut se pro rostris loquente, dum universus populus concioni intentius assisteret, evulsâ per vim valvâ, milites in Urbem irrumperent, Civesque veluti socios haberent. Sed jam Thucydides: *Hos ubi ingressos viderunt, qui cum Syracusanis sentiebant, subito timore percussi, clam profugerunt, non adeo multi; ceteri decrevere, faciendam cum Atheniensibus societatem, jubentes reliquum exercitum accersiri a Rhegio* Et prosequitur. *Qui postea reversi, Athenienses, jam cum omni manu moventes, inde ubi Catanam appulerunt, castra communiunt*. Castra hæc extra Urbem ad meridiem statuisse Athenienses opinor, qua parte iter est ad Leontinos.

(a) In Stratagē.

VI. Dum hìc agerent Athenienses, perlatum est a Camerina, *si se conferant eò, ad ipsos defecturam eam Civitatem, simulque Syracusanos classem instruere.. Cum omni igitur exercitu, & classe proficiscuntur adversus Syracusas primum; ubi cum nihil navium instrui comperissent, retro se in Camerinam receperunt, appulsique ad littus, præconis voce se venisse nunciant; nec tamen recepti sunt... Ita infecto negotio discessum est; cumque in locum quemdam agri Syracusani descendissent, prædasque egissent, occurrentibus*

rentibus Syracusanis Equitibus, & per eos Peltatis nonnullis ex levi armatura interfectis, Catanam reditum est. Ibi navem offendunt ab Athenis missam, qua Alcibiades ad se tuendum, criminibusque, quorum fuerat publicè insimulatus respondendum, in patriam revocabatur, cum quo & alii milites postulabantur. Audito Populi decreto Alcibiades, his in triremem suam assumptis, qui secum erant in eadem calumnia nominati, in altum obnavigat, ubi autem ad Thurios applicuit, arrepta clam fuga, in Peloponnesum delatus Spartam se recepit.

VII. Interim Nicias, et Lamachus Atheniensium duces in Sicilia bifariam diviso exercitu, cum omnibus copiis Selinuntem navigant, atque Ægestam, ut promissam, atque oblatam ab Ægestanis pecuniam recipiant, ac Selinuntinorum vires explorent; profectique Himæram usque, quæ Græca ex omni illa Siciliæ ora Urbs erat, quum non reciperentur, Hyccharam Sicanicum opidum (Mycaram Siculorum castellum lego apud Diodorum) in reditu expugnant; ex cujus præda, ac spoliis ad centum talenta cogunt, exactisque præterea ab Ægestanis triginta talentis, juncto eorumdem sibi equitatu, terrestri itinere per Siculos peragrando, Catanam repetunt, navibus, quæ prædam portabant, littora circumlegentibus. Ex Hyccarensi opido Laidem famosissimam postea meretricem, tunc verò admodum puellam inter captivos abductam, & in Peloponnesum advectam tradit Plutarcus (*a*)

(*a*) *In vita Niciæ.*

VIII. *Insequenti Hyeme*, prosequitur Thucydides, *Athenienses ad invadendas Syracusas se apparabant; vicissimque Syracusani, & ipsi tamquam in illos ituri. Qui quoniam ad primum terrorem*

rorem atque expectationem non protinus invaserant Athenienses, quotidie magis ac magis animos sumebant... postulabantque a ducibus, ut se Catanam ducerent, quando hostis in ipsos non iret. Quin etiam Equites Syracusani *ad speculandum assidue ad castra usque Atheniensium provecti, cum alia probra ingerebant, tum vero illud: Numquid venissent ad habitandum secum in aliena, quam ad Leontinos in propria sede locandos?* Verùm Athenienses duces in id intendebant, ut Syracusios Equites, quam longissimè ab Urbe abducerent, ut ipsi interea sub noctem cum classe pretervecti locum castris idoneum per otium occuparent; rati non perinde se valituros, si aut e classe adversus præparatos descenderent, aut terrestri itinere euntes, ab hostium speculatoribus cognoscerentur.. Ut igitur ad votum omnia cederent, hac uti astutia decreverunt.

IX. *Mittunt quemdam* (Græci Historici verba damus) *probatæ sibi fidei, eumdemque, ut putabatur, ducibus Syracusanis, ad quos mittebatur, non minus familiarem, qui diceret, se venire a quibusdam Catanensibus, (Erat autem ipse Catanensis,) quorum nomina illi nossent, & eos adhuc superesse suæ factioni studiosos; Is inquit, Athenienses intra Urbem depositis agitare armis, si velint illi certa die prima aurora cuncto cum Populo venire adversus Atheniensium exercitum, se hunc exclusuros ab Urbe, classemque incensuros.* Syracusanos *autem facile Athenienses adortos, exercitum deleturos; permultos fore Catanenses ad rem peragendam adjutores, & jam paratos esse, a quibus ipse veniret. Huic* Syracusanorum *duces, ut qui erant alioqui audaciores, & habebant sua sponte animum eundi cum apparatu adversus Catanam*

tanam multo inconsideratius fidem habuerunt. Nec cunctati, constituta die, qua ad Catanam adessent, hominem remiserunt; populoque omni edixerunt (Jam enim Selinuntini, & alii nonnulli ex sociis aderant) ut se nullo delectu ad exeundum expediret. Ubi omnia, quæ ad apparatum pertinent in expedito fuere, & dies, qua constituerant venire, adventabat, profecti Catanam versus castra posuere ad Symæthum Flumen in agro Leontino. Quos ubi advenientes sensere Athenienses, sumptis omnibus copiis, & suorum, & Siculorum, & si quis alius illuc accesserat, eisque in naves, & navigia impositis, de nocte tendunt Syracusas, & sub ortum Auroræ ingrediuntur in magnum portum ante Olympium, tamquam illic castra metaturi. Syracusani interim Equites primi Catanam perlati, cognito omnem classem vela fecisse, regressi nuntiant peditatui; qua de re cuncti jam reversi sunt ad ferendas Urbi suppetias, & quia longum ipsis iter faciendum erat, Athenienses interea per ocium copias collocaverunt opportuno in loco, unde pro suo arbitrio prælium inire possent, nec ab equitatu Syracusano admodum infestari.

X. *Hoc omnium*, inquit Plutarchus, *quæ in Sicilia Nicias gesserit, præclarissimum extitit facinus*. Verum prorsus fallitur Author hic, dum Niciam terrestri itinere Syracusas duxisse copias scribit, ac omni circum regione occupata, nullo adversante, ponendis castris eum locum, qui esset ab hostili insultu tutissimus, elegisse. Hæc enim Thucydidi nedum adversantur, sed Atheniensium fraudi, quam prospero eventu moliti fuerant, prorsus incongrua videntur; *terrestri enim itinere euntes*, ut idem Thucydides observat, ab hostibus circa Symethum positis & co-

gniti fuissent, & intercepti, neque alia brevior via Syracusas eundi, quam per Symethum, a Syracusano peditatu occupata. Sequenti porro die contra hostes, qui ad ferendam Urbi opem fuerant reversi, sese ad prælium Athenienses instruunt, ac primi eosdem adorti, collatis signis, in fugam vertunt. Cæsos Syracusanos, ingentique itidem pluvia, ac tonitribus territos longo spatio Athenienses sunt persecuti, ac fortasse delevissent, nisi equitatus hostilis, qui permultus atque invictus erat, illos inhibuisset. Syracusanis postero die victoriam concedentibus, mortuos nihilominus reddiderunt numero tam civiũ, quam sociorum ducentos sexaginta (quadringentos enumerat Diodorus) quum ex suis, sociisque quinquaginta omnino desiderassent, quorũ ossibus ex piræ incendio reliquis, Hostiumque spoliis lectis, post aliquot ab hac victoria dies Catanam denuo navigarunt, certisque nuntiis Athenas missis, quibus pecuniam sibi, equitesque postulabant, deficientes ad se civitates aliquot in fidem susceperunt.

XI. Procedente Hyeme classis, quæ ad Catanam erat, continuò Messanam se contulit tamquam receptura eam Urbem per proditionem, sed quæ tractabantur, Alcibiadis operâ non successerunt. *Interim Syracusani elati animis*, inquit Plutarchus, *omnem, quæ Catanæ adjacet, regionem populati, Castra etiam Atheniensium, quæ non procul ab Urbe posita erant, incendere. Quorum malorum culpam omnes in Niciam referebant, qui periculorum rationibus subducendis occupatus, cum etiam minima quæque caveret, rerum gerendarum gubernatricem temporis occasionem preterfluere sinebat*. Cæterum non otiosi reliquum hyemis insumpsere

sumpsere Athenienses, sed solicitatis Camarinensibus, ut ad se illos, pro jure societatis sub Lachete initæ, inducerent, quibus tamen neutri patri studere placuit, Siculorum quamplurimos sibi conciliarunt, eos precipuè, qui plana loca incolentes, Syracusanis parebant, illosque, qui in mediterraneis liberas Urbes habebant. Eos porro, qui a Syracusanis deficere recusabant, admotis copiis partim ad deditionem compulerunt, partim, ne missa ab hostibus auxilia possent adire, prohibuerunt. Subinde e Naxo Catanam venerunt, ubi Castra a Syracusanis incensa excitarunt, ac quæcumque in rem erant, tanquam ineunte statim Vere bellum inituri, paraverunt. Nec illis segniores Syracusani ab Corinthiis cognatis, ac Lacedemoniis auxilia impetrarunt, seque ad bellum fortiter gerendum muniere.

XII. Anno XVIII. Belli Peloponnesiaci Olympiadis nonagesimæ primæ secundo, ineunte Vere Athenienses, qui in Sicilia erant, a Catana moventes adversus Megaram hostium Urbem adnavigant, ejusque agrum e classe egressi populantur. Hinc castellum quoddam Syracusanorum adorti, cum id non expugnassent, rursus tam pedestri itinere, quam navigatione ad flumen se Teriam recipiunt, agrosque circum ac segetes incendentes, aliquot eorumdem hostium interfectis, ad naves trophæo erecto redeunt. Catanam appulsi, atque illic frumentati cum omnibus copiis Centuripen Siculum opidum profecti sunt, quò quum ex conventione intrassent, incensis Inessæorum seu Ætnæorum simul & Hyblensium agris discedunt, Catanamque regressi Equites offendunt ducentos quinquagin-

ta

ta, ſine ipſis equis, ſed cum illorum ornatu, tāquam Sicilia equos ſuppeditatura, & equeſtres Sagittarios triginta cum tricenum talentorum pecunia ex Athenis advectos; Quibus fræti auxiliis claſſem illico Syracuſas appellunt, atque ad locum nomine *Leonem* ab Epipolis ſeptem circiter ſtadiis diſtantem Pedites exponunt. Hi alacriter, Ducibus præeuntibus, ad Epipolas curſu contendunt, locumque occupant, (Erant Epipolæ locus præruptus Urbi imminēs hodie, *Mongibellisi*) priuſquam Syracuſani re cognita adeſſent, quos nihilominus accurrentes fundunt, atque in Urbem amiſſo duce, ac trecentis ſociis compellunt.

XIII. Poſtera die exercitus omnis adverſus Syracuſarum mœnia deſcendit, & quum nemo obviam prodire auderet, regreſſus, caſtellum apud Labdalum in ſumma Epipolarum crepedine excitant. Nec ita multopoſt Athenienſibus ex Ægeſta Equites trecenti, & Siculorum, Naxiorumque circiter centum ſupervenerunt. Quumque ipſis eſſent ducenti quinquaginta, qui ſibi equos ab Ægeſtanis, & Catanenſibus ſumpſerāt, Equitum ſumma ſexcentorum extitit & quinquaginta, quo ſane apparatu adverſum Tycham profecti (Erat Tycha pars Urbis florentiſſima) Syracuſios ad pugnandum egreſſos facile fundūt, murumque obſidionis ad Trogilum uſque producunt, atque a magno portu ad alterum mare Urbem occludere parant. Varia ſubinde commiſſa prælia circa vallum, quo contra Cives ſeſe munierant, variâque fortunâ illud nunc dirutū, nunc reparatum, quumque aliquando conſerta pugna, Lamachus Niciæ ſocius, ut ſuos adjuvaret, foſſam eſſet tranſgreſſus, deſtitutus, cum paucis glorioſè occubuit. Plutarchus Lamachum

cum

cum Callicrate Syracusanorum Prætore singulari certamine congressum scribit, atque utrumque mutuis sese vulneribus confecisse.

XIV. Lamachi corpore, & armis potiti Syracusani *effuso cursu*, ut scribit Plutarchus, *Atheniensium muros, & Castra petebant, ubi Nicias pene solus absque copiis, & auxiliis, infirmo etiam corpore, versabatur. Hic urgentis impetus necessitate excitatus, & imminentis periculi magnitudinem animadvertens, familiares, ac servos omnes, qui secum aderant, jussit quidquid lignorum ante muros machinarum parandarum caussa convectum fuerat, atque ipsas etiam jam fabricatas machinas in acervum conjectas incendere. Atque eo consilio irruentium Syracusanorum impetum cohibuit, sibique & muris, tum etiam rebus omnibus atque impedimentis Atheniensium salutem attulit.* Subdit deinde ingenti spe & animo gerendum bellum suscepisse Niciam, multis e Syracusanis partibus ad eum deficientibus populis, atque undique navigiis ad exercitum frumentum, & omnifariam generis commeatum suppeditantibus, concluditque: *Et jam Syracusani sese ulterius posse tutari diffidentibus, quibus conditionibus pacem a Nicia petituri essent, consultabant.*

XV. Inter hæc auxilia ad Syracusiorum animos, fiduciamque erigendam ab Corinthiis & Lacedemoniis Duce Gylippo advenerunt; unde utrinque circa munitiones sępius pugnatum, ac Niciæ interdum, quandoque Gylippo victoria cessit. Subinde sequenti anno majori vi, at-
Ante Xpti. 408. que apparatu gestum est bellum; ex sociis enim civitatibus authore Gylippo, atque e Corintho suppetias maximo cum successu Syracusani sibi compararunt; Atheniensibus vero Eurimedon

Tt pri-

primum multo cum ære, mox Demosthenes cum armatorum aliquot millibus ac septuaginta navibus, auxilio ex Attica advenere, ut Tucydides testatur (*a*) Veris autem initio nondum Demosthene in Siciliam appulso, Gylippi atque Hermocratis hortatu ad navalem pugnam Syracusani sese expediunt, Plemmyriumque castellum ab Atheniensibus munitum dolo capiunt, quum enim Athenienses præsidiarii ad spectaculum navalis pugnæ intenderent, Gylippus prima luce castelli muros subit, paucisque custodibus in fugam actis, reliquis munitionibus potitur, magnāque pecuniæ vim ibi ab hostibus veluti in tuto positam sibi vindicat. Porro navale prælium Atheniensibus cesserat, qui fugata Syracusana classe, ac decem eorum triremibus depressis posito trophæo parva in Insula quæ Plemmyrio periacet, exstractisque hostilibus spoliis in castra rediere.

(*a*) *Belli Pelopon. lib. 7.*

XVI. Nondiupost Siculi Atheniensium socii, quos inter Centuripini atque Alicyæi memorantur, exercitum, quem ex reliquis Insulæ populis sibi studentibus Syracusani contraxerant, per insidias aggrediuntur, ad octingentos ferme conficiunt, legatosque præter unū Corinthium cædunt. Jamvero Gylippus, cognito Demosthenem jam cum auxiliis adventare, terrestrem simul, & navalem experiri fortunam rursum voluit, suosque ad utrumque prælium educit. Athenienses, qui a principio peti se solo peditatu opinabantur, ubi naves quoque cernunt ex adverso tendentes, classem & ipsi conscendunt, ac quinque & septuaginta navibus impletis, obviam hosti procedunt, cujus erant naves octoginta. Hæ classes, quum diu invicem

cem incurrissent, multaque tentassent, tandem direptę sunt, simulque a muris, ac vallo peditatus excessit. Postera die quievere; at insequēti maturius Syracusani sub eodem conatu, & peditatus, & classis conflixere cum Atheniensibus, quos tandem Aristonis Corinthii suasu, inopinatò rursus post prandium adorti fundunt, navalisque victoriæ trophæum erigunt.

XVII. Demosthenes interea portum ingressus, ut Atheniensium animos erexit, sic hostium depressit audaciam, advertensque, quonam modo res se haberent, non esse terendum tempus censuit. Machinas igitur contra Urbem, Nicia invito, copiasque admovet, atque ad Epipolas cæsis fugatisque præsidiariis, munitiones invadit; mox tamen, quum longe progredientibus suis nullo ordine, vellet quamvelocissimè nondum expugnata loca perrumpere, a Thebanis repulsus, ingentique strage fugatus est. Tunc belli, atque expeditionis difficultatibus serio pensatis, reditum in patriam suadere cœpit, cui tamen Nicias obstitit primum, sed invadente exercitum pestilenti lue, & ipse demum abitionem occultissimè imperavit. Hanc nihilominus lunari Eclipsi perterriti Athenienses quum distulissent, de ea re a transfugis edocti Syracusani, terrestri ac navali prælio illos aggredi decernūt. Confertâ pugnâ Atheniensis classis partim cum Eurimedonte, qui dextrum cornu tenebat, conficitur, partim ad terram usque urgetur, Syracusanus vero peditatus sub Gylippo a Tyrrhenis Atheniensium sociis in fugam versus, in paludē Lysimeliam deturbatur, ac cum non multa cæde ab Atheniensibus etiam, qui ad suppetias sociis ferendas advenerant, repellitur; unde ab utris-

que

que trophæa ſtatuuntur.

XVIII. Subinde Syracuſani fauces portus compactis navibus præcludunt, ne poſſet amplius Athenienſium fuga eos latere. Hi porro, quæ deſtinaverat hoſtis probe intelligentes, quum inopia commeatus laborarent, (præmiſſis enim nuntiis Catanam, tamquam profecturi, ne quid ad ſe deveheretur, mandarant) Caſtrorum munitones deſerendas ſtatuunt, ſummoque conatu navale prælium committendum cenſent, ut ſi ex eo victores diſcederent, Catanam ſeſe reciperent, ſin minus incenſa claſſe pedeſtri agmine abirent, ac locum aliquem ſive Barbaricum ſive Græcum adipiſcerentur. Quæ poſteaquam agi placuit, extemplo acta ſunt, admotiſque navibus ad centum ac decem, hortante Nicia, atque omnium animos erigente, Demoſthene, Menandro, & Euchidemo ducibus ad fauces portus jam præoccupatas ſine mora ſe conferunt, ut in altum erumperent. Nec ſegniores Syracuſani, & ipſi totidem fere navibus moventes, exitum portus tutabantur, ac in hoſtes obſeſſas fauces ſubire tentantes invecti, multâ ferociâ bellum committunt, victoreſque in Urbem redeunt.

XIX. Tunc de abeundo per noctem terreſtri itinere Athenienſes conſilio inito, Hermocratis Syracuſani aſtutiâ a propoſito revocatur. Hic enim, quum Cives ad obſtruendas vias, & anguſta locorum occupanda adducere non poſſet, ad hoſtium caſtra quoſdam e ſuis obſcura nocte, quaſi eſſent Athenienſium ſtudioſi, emittit, qui dicunt, ne nocte illa moverent, tãquam Syracuſanis itinera obſidentibus; idque poſtridie potius per otium inſtructo agmine præſtarent. Hæc quum Athenienſes milites Ducibus retuliſ-

retulissent, nullam hi subesse fraudem opinati, ea nocte cunctandum censuerunt. At ubi satis sibi visum est suos instruxisse, tertio a pugna navali die, diviso in duas partes exercitu, Catanam versus moverunt. Syracusani interea ac Gylippus cum suis priores egressi itinera passim obstruxerant, & ad riparum, & Fluminum vada posuerant insidias, fugientibusque occurrentes incessabant, atque ab cœpto itinere revocabant. Tandem Demosthenis copiis, quæ turba præpeditæ lentius festinabant, interceptis, atque ad deditionem cum ipso Duce compulsis, Niciam mox cum reliquis ad Assinorum Flumen aggrediuntur, pluribusque jam fame ac siti confectis crudeliter obtruncatis, Niciam ipsum, qui se Gylippo dederat, capiunt, ac Syracusas cum aliquot captivorum millibus adducunt, ubi Niciam ac Demosthenem, Gylippo invito, obtruncant, reliquis in Lithotomias misere detrusis. Plutarchus ex Timeo tradit: Niciam ac Demosthenē sibi ipsis mortem in custodia conscivisse, eorumque corpora ante fores carceris projecta, ut cuique aspiciendi potestas fieret, diu jacuisse. Atheniensium Socios, servosque dimissos etiam incolumes refert, Siculis exceptis, qui cum Atheniensibus per Lapidicinas damnati.

XX. Atheniensiū multitudo, qui e Castris profugerant, quadraginta ferme millium numerum æquabat, sociis, ægrotisque exceptis, qui in castris cum sarcinis remanserant; Ex illis decem & octo millia Diodoro teste (a) in itinere confecta, septē millia in captivitatem adducta, quorum aliqui periere, nonnulli deinceps evaserunt; pauci Catanam elapsi præsertim Equites, quo Duces receptum indixerant, aliquot per Insu-

(a) Bib. Histor. lib. 2.

Iam disperſi ægrè tandem in patriam remearunt. De Calliſtrate Empedi filio Athenienſium Equitum Duce inſigne facinus Pauſanias refert (a) *Is in Sicilia ad Aſſinorum amnem Athenienſium, & eorum, qui ejus expeditionis ſocii fuerant, copiis pene ad internicionem deletis, per medios hoſtes Equitibus, quorum ipſe Dux erat, viam fecit, ac deinde Catanam cum magna ſuorum parte incolumis elapſus, mox eadem via Syracuſas pergens eos opprimere eſt conatus, qui Caſtra Athenienſium diripiebant. Ibi quinque ex hoſtium numero cæſis, ipſe equo ſaucio, aliquot vulneribus lethalibus acceptis, parta & Athenienſibus, & ſibi inſigni gloria, ſervatiſque, quibus imperarat, equitibus, mortem oppetiit.*

(a) In Atticis

XXI. Memorabili hac victoria potiti, fœderatas Athenienſibus Chalcidicas Urbes Syracuſani deinceps impetere non ceſſarunt, Catanam, Naxum, Leontinos, quæ libertatem diù, ac fortiter contra potentiſſimum hoſtem ac recenti triumpho elatum nihilominus tuebatur. Orto autem denuo non multopoſt inter Selunintinos, & Ægeſtanos bello, accitiſque ab his Carthaginienſium auxiliis, quum & Syracuſani viciſſim ad ferendas Selunintinis ſuppetias evocarentur, Inducias idcirco cum Chalcidenſibus firmarunt, ut Diodorus teſtatur. Hinc Fazellus (b) Selinuntē a Pœnis obſeſſam, atque ad extrema deductam enarrans, Selunintinoſque expeditiores Equites, qui labentibus jam rebus opem a ſociis expoſcerent, deſtinaſſe commemorans, ſubdit: *At Syracuſani nuncio accepto, rati Urbem obſideri quidem, ſed expugnari, atque in prædam tam cito dari minime poſſe, pace cum Catanenſibus ac cæteris Chalcidenſibus, quibuſcum adhuc bellum gere-*

(b) Dec. 1. lib. 2. cap. 8.

gerebant, *firmata*, *ingentem militum apparatum*, *quo* Selinuntinis *opitularentur*, *instruunt*. Liberi subinde ab omnibus belli incommodis Cives nostri, agris excolendis, Urbi ampliandæ, viribusque instaurandis operam navarunt usque ad Dyonisii Syracusanorum Tyranni dominatum.





CAP. II.

CATANA

SUB TYRANNIS

I. PAtriæ imperium, quod Olympiade nonagesima tertia, Dionysius variis artibus occupaverat, crudelitate, ac sævitia rexit, atque non tam Syracusanorum, quam universæ pene Insulę exitio annis duodequadraginta tenuit. Et primo quidem contra Carthaginienses Gelam gravi obsidione prementes parum feliciter movit, compulsusque suorum rebellione Urbem repetere, ut illos compescuit, mox cum hostibus inito fœdere pacem firmavit. Fœderum porro præcipua conditio illa fuit, ut Dionysio Syracusarum regimen cederet, Leontinii, Messenii, Catanenses, aliique propriis legibus viverent. Quum vero Insulæ totius potiundæ ambitione Tyrannus teneretur, contra Urbes illas, quæ belli tempore Carthaginiensium partibus studuerant, exercitum duxit; Nova autem exorta Syracusis seditione, ab incœptis revocatur, Campanorumque militum, quos pretio conduxerat, præsidio rebelles fudit, atque ex iis septem circiter millia Ætnam usque elapsos, odio dissimulato in patriam reduxit, quos tamen non diù, civesque reliquos armis spoliavit, ac durissimè afflixit. *Ante Xpū. 403.*

II. Firmato imperio dilatandis ejus finibus animum iteratò adjecit. Diodorus rem ita prosequitur. (a) *Dionysius Syracusarum Tyrannus, ubi post factam cum Carthaginensibus pacem, seditionis Urbanæ tumultus pacaverat, vicinas Chalcidensium*

(a) Bibl. Hist. lib. 14.

densium Urbes ditioni suę adjicere properavit, Naxum scilicet, Catanam, & Leontinos. His ideo potiri cupiens, quod & contermina Syracusis essent, & magnam amplificandi imperii commoditatem ipsi præstarent. Primum igitur Ætnam infesto exercitu petens castellum cepit.... Post in Leontinos ducens, prope Urbis mœnia juxta Teriam amnem castra posuit, & explicata statim acie, præconem ad Leontinos mittit, qui Urbem sibi tradere jubeat, se metu oppidanos subacturum arbitratus. Ast ubi detrectare Leontinos imperata, & cuncta obsidioni tolerandæ necessaria comportare videt Dionysius, quod machinis tunc careret, oppugnatione impresens omissa, agros eorũ passim depopulationibus, ac prædis agendis vastat, inde in Siculos movet, hos potissimum bello a se peti simulans, ut Catanæi, Naxiique tanto segniores circa urbium suarum custodiam redderentur... Post Ennensem expeditionem ab Dionysio factam subdit Historicus. *Castris inde promotis Erbitæorum Urbem oppugnandam adortus est; sed cum res non succederet, pace cum illis inita, copias adversus Catanam duxit. Archilaus enim Catanæorum Præfectus ad prodendam illi Urbem se obligaverat promissis. Circa mediam igitur noctem, ad hoc intra mœnia admissus, in potestatem Catanam accepit, tum detractis populo armis idoneũ in ea præsidium constituit.*

III. Eamdem calamitatem Naxus experta, cujus Prætor Procles magnitudine promissorũ illectus patriã Tyranno prodidit. Hinc præmiis illi proditori exsolutis, & cognatis insuper concessis, cives reliquos servituti addixit, eorumque opes militibus diripiendas tradidit, murosque & ædificia solo æquavit. Vtriusque mox civitatis captivos sub

 asta

asta Syracusis immaniter vendi jussit. *Agrum quidem Naxiorum Siculis finitimis donavit, sed Urbem Catanensem Campanis inhabitandam permisit*. Subinde Leontinos iterum adortus, Urbem cum exercitu circumsedit, legatosque præmittens, civibus postulavit, ut & deditionem facerent, & sese Syracusarum civitati aggregarent, qui omni spe auxilii amissa, Naxiorum, & Catanensium excidio considerato, tempori cedendum rati, oblatam subeunt conditionem, patriâque desertâ Syracusas contendunt. Subactis dolo ac metu Chalcidensibus, contra Carthaginienses bellicos apparatus Tyrannus instituit, atque Epipolas muniendas ingenti sumptu, ac improbo multarum gentium labore paucos intra dies suscipit.

IV. Olympiadis nonagesimæ quintę anno secundo Rhegini a Chalcidensibus quondam deducti Naxios & Catanenses, quos cognationis jure contigebant, in servitutem redactos graviter ferentes, consternati, ne & ipsi easdem subire calamitates cogerentur, priusquam se Tyrannus stabiliret, bellum maturè eidem facessere cogitarunt. Messanensibus igitur in societatem adscitis, transmisso freto quatuor peditum millibus, equitibus quadringētis, ac triginta navibus instructi, Syracusas proficiscuntur; sed orta mox dissentione, quum Messanenses copias passim dilabi viderent, seque sustinendo bello impares adverterent, domum reversi, legatos ad Dionysium de pace renovanda destinant, ac facile omnia ad votum assequuntur. Tyrannus interim propenso studio bellicas promovet machinas, & Catapultas noviter inventas, classemque ingentem adornat, recentis structuræ triremes commentus,

Ante Xpū. 193.

quarum

quarum materia partim ex Italia transvecta, partim ex Ætna Monte, in quo temporibus illis non exigua Abietum, Pinearumque vis habebatur, deducta. Armis, machinis, navibus expeditis, ad contrahendas inde militum copias se totum convertit, ac ad finitimos quoque sibi fœdere conciliandos adjecto animo, bellum Carthaginiensibus per epistolas indicit, nisi Græcanicis in Sicilia Urbibus excedant. At ubi illos, quod
Ante Xpũ. 392. postulabat, neutiquam annuere accipit, cum suorum delectu, magnaque sociorum manu Erycem versus iter intendit, Motyamque Cartaginiensiũ coloniam, quæ præcipua tunc belli arx ad invadendam Siciliam Pœnis commodum præbebat, primo impetu adoritur. Hac post cruentam obsidionem magnis exantlatis laboribus potitus, Leptinem classis Imperatorem, cum navibus centum viginti Carthaginienses, si quando trajicerent, observare jubet; ipse vero exeunte jam Æstate cum exercitu Syracusas regreditur.

Ante Xpũ. 391. V. Sequenti anno, quum Olympias nonagesima sexta ageretur, Carthaginienses peditum atque equitum ingentes copias, navesque quadringentas duce Imilcone contra Dionysium in Siciliam transmittunt. Nihilo segnior Tyrannus in hostes redit, eorumque terminos invadit, agrosque populatus, Halyciæos primum sibi socios adsciscit, mox Ægestam obsidet; At Imilco Pœnorum dux expositis juxta Panormum copiis, jubet præternavigare triremes, ac contra Dionysium movens, Erycis opido in transitu per proditionem accepto, ad Motyam repetendam contendit, eamque brevi expugnat. *Tametsi vero* (inquit Diodorus) *Siculi ad confligendum cum hoste promptos sese exhibebant, Dionysius tamen, quod procul*

procul ab urbibus fœderatis aberat, & commeatus jam defecerat, bellum in alium transferre locum præstabilius duxit. Sicanis itaque aliquot sibi adjunctis, Syracusas raptim contendit, agros ubique pervastans, quà ducebat.

VI. Ægestâ liberatâ, Imilco rem ex animi sententia procedere videns, universo cum exercitu Messanam petit, classe juxta adnavigante, brevique ingens iter emensus ad Pelorum castrametatur; nec diù post Urbem præsidio vacuam, classe in portum invecta, per classarios milites occupat; mox cum toto exercitu Syracusas versus expeditionem instituit. *Cæterum Siculi*, prosequitur Diodorus, *Dionysium jam pridem exosi, & tum commodam occasionem nacti ad Carthaginienses, exceptis Assorinis, desciverunt omnes. Dionysius itaque Syracusiorum servis ad pileum vocatis* (libertate donatis) *sexaginta naves complevit, a Lacedemoniis etiam plusquam mille mercenarios accivit, & castella per agrum obiens, importato frumento munivit. Summo in primis opere, studioque Leontinorum arces firmavit, fruges ex circumjacentibus agris illuc congessit. Campanis etiam, qui Catanam eo tempore incolebant, persuasit, ut in Urbem, quæ Ætna jam vocatur, propter eximiam loci firmitatem, commigrarent*. Subdit hìc Cluverius, (a) *Quos mortales Campanorum loco, Catanæ imposuerit, vel qui postea eam Urbem incoluerint, neque hìc, neque alibi docet Diodorus*. Sed veteres Catanenses hàc illac per Siciliam dispersos ad patrias sese recepisse sedes, mox, ut Campani excessere, satis probabile duxerim, ipso forte Dionysio annuente, qui Siculos demereri in tanto discrimine studebat.

(a) *Sic. Antiquæ lib. 1. cap. 9.*

VII. Subinde a Syracusanis partibus progres-

gressus Dionysius sub Tauro monte castra posuit, triginta millibus peditum, equitibus ter mille, ac centum octoginta navibus stipatus. Verùm Imilco Messanæ mœnibus dirutis, Magonem Navarchum, cum instructa classe dimittit, ipse pedestribus copiis assumptis, festinatisque itineribus, ad eum locum, ubi olim Naxus, Magone juxta oram legente, ne evaginatis quidem gladiis pervenit. Per idem porro tempus Ætna mons maximo conflagravit incendio, atque ad maritimam usque oram inter Acis, & Mascalarum opida sulfureas eructationes, liquefactaque saxa devolvit, quæ merito a Cluverio (a) *Magnarum asperumque rupium fœdum, triste, horrendumque spectaculum* vocantur; & licet via patefacta sit, difficilem nihilominus transitum præbent, atque Acis nemus vulgò ab incolis hodie dicuntur. De eodem incendio Orosius hæc habet (b) *His deinde temporibus* Artaxersis nempè, & Cyri Darii filiorum *gravissimo terræmotu concussa Sicilia, insuper æstuantibus Ætnæ montis ignibus, favillisque calidis cum detrimento plurimo agrorum, villarumque vastata est.*

(a) Sic. An. lib. I. cap. 8.

(b) His. lib. 2. cap. 8.

VIII. Jamvero Diodorus Carthaginiensis exercitus sub Imilcone describens iter, quum ad Naxium usque agrum deductas copias enarrasset, subdit: *Sed quia nuper ignem ad maritimam usque oram eructaverat Ætna, terrestris exercitus non amplius ita duci poterat, ut nauticum ad littus comitantem haberet; maritimis enim tractibus flammantis Ætnæ, ceu profluvio quodam exustis, corruptisque, necessitas pedestre agmen montem circuire cogebat. Magonem igitur jubet, ut Catanam versus naviget; interim per mediterranea raptim ducens ipse, cum classe juxta Catanæ-*

orum littus conjungere sese illi properat; metus enim suberat, ne copiis a se longius divulsis, Siculi navali Magonem prælio adorirentur. Id quod etiam evenit. Dionysius namque exploratum habens tardiusculam Magonis navigationem, longumque, & operosum terrestribus iter esse, præpropere ad Catanam contendit, ut priusquam Imilconis miles accederet, ipse cum Magone prælium navale iniret; pedestre enim agmen littori obtensum fiduciam suis adjecturum, & majorem hostium metum incussurum sperabat. His ita provisis Leptinem cum tota classe in hostem mittit, jubens, ut constipato navium agmine, prælium committat.

IX. *Carthaginienses igitur simulatque littus totum navigiis subito repletum, classemque Græcorum in se directam vident, non parum angi, proraſque terræ obvertere cœperunt. Mox ubi considerant extremum sibi periculum subeundum esse, si classe pariter, & pedestri exercitu confligant, mutato consilio, pugnæ navalis fortunam tentare constituunt, navibusque in aciei seriem dispositis adventum hostis præstolantur. Tum Leptines cum triginta navibus longe optimis ante cæteros excurrens, certamen non instrenuum quidem, sed inconsultum exorditur; & statim incursu in primum agmen facto, initio non paucas adversæ partis triremes demergit. Verum ubi conferta Magonis acies triginta illis navibus circumfunditur, virtute quidem Leptiniani, copia vero Carthaginienses superant.... Tandem Leptines multitudinis tantæ vim sufferre haud amplius valens in altum se fuga recipere cogitur; reliquæ deinde naves dissipatis ordinibus in hostem invectæ a Carthaginiensibus facile subiguntur. Navarchi siquidem profligati*

gati abitus in Pœnis confidentiam auxit, Siculis *contra pavorem non exiguum injecit. Pugna hunc finem sortita, Carthaginienses hostem fugientem contentius insectati, amplius centum naves corrumpũt, actuariis autem navibus per littus dispositis, nautas ad terrestrem exercitum enatantes trucidant. Quod igitur multi non procul a terra perirent* (*Nam Dionysius suppetias illis ferre non poterat*) *totus iste locus cadaveribus, & naufragiorum truncamentis oppletus erat. Occubuerunt hic in prælio Carthaginiensium non pauci, e* Siculorum *parte naves supra centum partim obtritæ, partim captæ sunt, & virorum plusquam viginti millia interierunt. Post hujus pugnæ exitum Pœni ad Catanã naves sistunt, quò captas etiam naves pertraxerant, subductasque reficiunt, ut hoc pacto Carthaginiensibus non modo audiendam, sed etiam contemplandam victoriæ magnitudinem exhiberent*. Ex quibus extremis verbis conjicio, Imilconẽ castra cũ pedestri exercitu prope Catanam constituisse; Quę defensoribus, incolisque pene destituta, facile Carthaginiensibus, ut mox dicemus, patuit.

X. In ea concione, quam Theodorus Syracusanus ad suos cives pro rostris habuit contra Dionysium ab eodem Diodoro exscripta illud inter cætera contra Tyrannum opponit, *quod in Cataneorum littore dimicavit juxta* Urbem *pugnam conseri permittens, ut profligatis in amicos se portus recipere integrum esset*. Catanenses igitur jam Pœnorum partibus favebant. Subdit inde. *Post conflictum vero navalem cum magnis ventorum procellis obortis, classem subducere Pœnos necessitas adigeret, pulcherrimam vincendi opportunitatem habebat, pedestris enim hostium acies nondum advenerat, navesque ipsorum hyemis violentia*

lentia ad littus ejiciebantur; tunc si conjuncti pedestri marte illas adorti fuissent Syracusani, *eâ necessitate compulsi essent Pœni, ut vel descensu facto extra negotium in manus venissent, aut fluctibus obluctantes naufragiis littus complevissent.* Hæc Theodorus in sua Concione.

XI. Et sane, quamquam Siculi Dionysium, ut contra Imilconem repentino impetu moveret, hortarentur, ipse tamen haud tutum arbitratus, Urbem suam præsidio vacuam relinquere, iter Syracusas versus instituit. Imilco autem Catanæ littus assecutus, quotquot ibi naves invenit, propter venti procellam subduxit, & dies aliquot militum quieti, ac refectioni tribuit. Inde Campanos Ætnæ tunc incolas per legatos in suas partes pertrahere nisus, quum spe frustraretur, contra Syracusas classem, atque exercitum duxit. Ac circa Urbem cum pedestribus copiis castrametatus, navibus bis mille portum obstruxit; adeout quamvis amplissimus hic esset, totus tamen velis obtectus videretur.

XII. Subinde Dionysius auxilia a Græcis exoratum misit, quumque aliquot levioribus præliis terra marique felici omine depugnasset, ac hostium exercitum rei frumentariæ penuria premi, morboque pestilentiali affectum animadvertisset, metu abjecto, brevi soluturum se bellum civibus pollicetur. Contagio inter Pœnos debaccante Tyranni jugum excutere Syracusani cogitabant; quod ille rescicns, facile Legatis Carthaginiensium, qui clam Syracusanis Dionysium convenerant, aures præbuit. Itaque, ut quod reliquum de Civibus Carthaginis in Sicilia esset, in Africam transmitteret, Imilconi concedit, hic trecenta talentorum, quæ adhuc in castris

castris supererant Dionysio tradit. Siculi Pœnorum auxiliarii per mediterranea fugâ dilapsi in suam quisque patriam omnes fere evaserunt. Barbari partim in fuga comprehenduntur a Syracusanis, partim abjectis armis se dedunt. Soli Hispani Carthaginiensium socii in globum collecti de fœdere ineundo caduceatorem mittentes in mercenariorum agmen a Tyranno cooptantur. *Hunc in modum*, concludit Diodorus, *fortuna subitam Carthaginiensium rerum mutationem induxit; cunctisque mortalibus demonstratum fecit, quod quicumque altius quam decet sese efferunt, quam imbecilles sint, brevi redarguuntur*.

XIII. Liber Dionysius ab infestatione externi hostis civium etiam animos facile compescuit, atque ad delenda belli vestigia mentem adjiciens Messanam cumprimis reficiendam, incolisque frequentandam curavit. Id quum Rheginis minimè arrisisset, quod putarent Dionysium Messanam muniendo contra ipsos sese armare, Siculas gentes a Tyranno exactas, aliosque populos illi exosos in tutelam receperunt, Naxiorum & Catanensium reliquiis Mylas inhabitandas, atque Helorim Ducem cum instructo exercitu ad Messanam obsidendam misere. Dum hic porro circa arcem occupatur, Opidani extemplo cum Dionysii mercenariis occurrunt, initoque certamine Messenii vincunt, hostium quincentos, ac plures conficiunt; tum Mylas aggressi Urbem capiunt, Naxios, & Catanenses ibi collocatos data fide incolumes dimittunt, qui ad Græcas Siculasque Urbes digressi, alii alias sedes capesserunt. Neque hic obtendat aliquis me superius conjectasse post Campanorum recessum Catanenses patriæ restitutos, nunc vero Cata-

nensium reliquias a Rheginis apud Mylas fuisse locatas Diodori authoritate statuere. Nihil enim incongruum: Catanensium complures minus Dionysio infensos patriis sedibus restitutos, reliquos vero eidem omnino aversos huc illuc dispersos, Mylas tandem Rheginorum opera convenisse.

XIV. Jamvero sequenti anno, qui fuit quartus Olympiadis nonagesimæ sextæ, Rhegiū Tyrannus improvisa irruptione aggreditur, sed ab Helori repulsus, vastatis agris Syracusas classem reduxit. Varias deinde contra Carthaginienses, qui res suas in Sicilia sub Magone Præfecto restituere conabantur, Græcosque Italos, & Rheginos expeditiones suscepit, quibus feliciter perfunctus, Rhegium tandem post longam XI. mensium obsidionem Olympiadis XCVIII. anno secundo evertit, civesque, ac ducem ipsū nomine Phythonem virum strenuum durissime habuit. Hunc fortiter patriæ caussa mortem cum suis oppetiisse Diodorus commemorat (a) dignisque ob id præconiis exornat.

Ante Xpū, 398.

Ante Xpū, 382.

(a) *Sub finem lib. 14.*

XV. Parta hac victoria Dionysius in summa deinceps pace aliquot annis egit, scribendisque Poematibus impensâ operâ animum adjecit, ac celeberrimos ad se viros pellexit. Hos inter Plato ille divinus recensetur, quem magno in pretio primum habuit, quod dignam Philosopho libertatem in eo deprehenderet, ejusdem vero verbis quibusdam postmodum offensus, in publicum productum non secus ac mancipium, quinque illum minis venum exposuit; hinc a Dione ejus discipulo, atque ab amicis redemptus, in Græciam honorifice dimissus est, ut Diodo-

Diodorus enarrat (a) Cæterum Platonem in Siciliam historiæ gratia advectum comperio, Urbemque Catanam suo decorasse jncolatu inde colligo, quod ut Ætnæi ignis, incendiique concavi montis naturam scrutaretur, id primò iter instituit Philosophus, ut Apuleius, Cassander, & Sozomenus testantur (b) *Tres Platonis*, inquit Apuleius, *ad Siciliam adventus, primo Historiæ gratia, ut Ætnæ naturam, & incendia concavi Montis intelligeret*. Et Guarinus Veronensis (c) *Ter Platonem in Siciliam navigasse comperio. Nam prima ejus navigatio fuit ad spectandam insulam, & Crateras, qui scatebrarum locus esse dicitur*. Ab Dionysio enim minore accitus, bis postea Insulam repetiit, ut suo loco dicemus.

(a) Bib. Hist. lib. 18.

(b) de Hab. Doct. Platon. Lib. 1. de Magis Philos. lib. 1. cap. 23.

(c) In Vita Platon.

XVI. Olympiade centesima bellum Dionysius Carthaginiensibus secundo indixit, ac magno copiarum apparatu contra Magonem florentissimo instructum exercitu aciem direxit. Et, primo quidem prælio victor ipse, Magone Duce occiso, ingentem hostium cædem edit, totiusque Siciliæ potiundæ in spem adducitur; sed collatis denuo signis, multa suorum strage fusus, pacem honestis conditionibus init, quam ad tertiam usque supra centesimam Olympiadem servavit. Vbi autem Pœnorum res ex pestilentia afflictas intellexit, eorum in Sicilia ditionem aggredi cogitavit; & Selinuntem, atque Entellam primo impetu subjiciens, Erycinorumque Urbe potitus, Lilybæum tandem obsidione cinxit; sed quod validum in ea præsidium excubaret, statim illam solvit; quumque Carthaginiensem classem incendio absumptam periisse ratus, hostium contemptu rem ageret securius, & naves aliquot Syracusas ablegasset, præter opinio-

nionem in ipso Erycinorum portu a Pœnis petitus funditur. Hinc pactis per Hyemem induciis, Syracusas regressus, ibi nondiu post morbo correptus e vivis excessit. Filio Dionysio duodenni adhuc puero successore relicto.

XVII. Hic Patre nequior, a suorum cæde regnum exorsus, avatitiæ, socordiæ ac luxuriei totum se dedit, omnibus hinc exosus redditus, civium factione, Urbe excedere coactus in Locros secessit; unde etiam post sexennium ejectus Syracusas rediit; & sese benignissimum initio, ac facillimum exhibuit, mox in priores ralapsus mores, vix tandem Dionis eximii viri, cujus supra meminimus, opera, assiduis exhortationibus, novos, ac regios induere cœpit. Quo etiam agente, Platonem ad se e Græcia advocat, saluberrimisque ab eo præceptis institutus longe aliam, ac priori dissimilem, Philosopho ac Regi dignam instituit vitam. Invidorum subinde factione Dion exactus est, moxque Plato Athenas remeavit; unde denuo ab Dionysio precibus, ac literis solicitatus tertio Syracusas venit, magnumque vitæ periculum apud Tyrannum subiit. Vix tandem elapsus in Patriam, Dioni author fuit, ut Dionysio e Syracusano imperio deturbato, Siculis libertatem restitueret, quod ille naviter, parva licet instructus manu, nondiu post implevit.

VII. Agrigentum enim cum classe Dion appulsus, quam amicis agentibus coegerat, audito, Dionysium per ea tempora circa Adriaticum in Urbibus a se constructis otiari, terrestri itinere Syracusas contendit, tam ingenti Siculorum concursu ad ipsum facto, ut Agrigento solvens mille dumtaxat viris comitatus, fines Syracu-

racusanos cum exercitu non minore viginti millium intraverit. Magna deinde civium accessione auctus, Hominum millia ferme quinquaginta sub signis habens, Urbem Triumphantis more ingressus, cives suos in pristinam libertatem asseruit, arcemque, ubi Dionysiani sese munierant, obsedit. Hæc ubi Dionysius accepit, accelerato itinere, cum navibus regressus sese in arcem retulit, ac Legatorum opera rem primò componere, mox aperta vi milite extra arcem educto dirimere statuit; verùm repulsus, ac navali etiam prælio infeliciter gesto, consternatus, quum ne iniquis conditionibus imperium resignare, ac Tyrannidi ultro cedere illi datum a populo, arcis custodiâ filio natu maximo commendatâ, cum facultatibus in Italiam ad Locros secundò confugit.

XIX. Necdiu post Dion ab ingratis civibus patriâ exactus, ad Leontinos digressus summo honore excipitur; Dionysiani vero novis suppetiis, ac commeatu instructi oppositas arci munitiones ex improviso aggressi, trucidatis custodibus, in urbem irruunt, magnamque hominum stragem edunt; nec nisi Dionis virtute, quem Populus revocandum per supplices legatos statuit, ut Patriæ periclitanti succurreret, tandem repelluntur, ipsaque arce nondiu privantur. Exinde Dion in paternam domum cum suis se recipiens privatam instituit vitam. Per idem tempus Urbs nostra in pristina jura redacta, nedum Dionysii jugum excusserat, sed et externos depulerat milites, ut propriis legibus viveret.

Ante Xρῦ. 348. XX. Dione per summum nefas a Calippo Atheniense occiso, turbatis Reipublicæ Syracusanæ rebus, Catana ejusdem Calippi opera ob-

ſidetur, ac novo Tyranno ſubjicitur; ut ex Plutarcho ſcribit Fazellus (a) *Calippus Syracuſis oppreſſis ſubigendam ſibi Catanam perrexit; quam dum oppugnat, Syracuſas amiſit. Nam Syracuſani, eo abſente, in libertatem, nullo obſiſtente, ſeſe vindicarunt. Receptâ Catanâ, & ſubactâ, Calippus Meſſanam eſt adortus, quam licet invaſerit, maximam tamen militum partem, & Dionis interfectores amiſit. Et cum tota ferme Sicilia diſcurrens, nullam Civitatem cepiſſet, trajecto freto, Rhegium occupat; ubi cum pre inopia ſtipendia militibus ſolvere nequiſſet, a Leptine, & Poliperconte eodem, quo & Dion, pugione occiſus, cedis immerite meritas tandem pœnas dedit.*

(a) Dec.2.lib.3. cap.2.

XXI. Diodorus in geſtis Anni decimi Regni Philippi Macedonis Olympiadis centeſimæ ſeptimæ ſecundi Calippum, & Leptinem comparato exercitu, Rhegium, quod Tyranni Dionyſii præſidiis tenebatur, expugnaſſe ſcribit, pulſiſque hoſtibus libertatem ibi firmaſſe; Dionem verò biennio ante occiſum, Hipparinumque Dionis filium ſequenti anno, pulſo Calippo, Syracuſanum rexiſſe imperium commemorat. Hinc Catana a Calippo expugnata Olympiade ſeptima ſupra centeſimam, quum hic, Plutarcho teſte, Syracuſas amiſit. Floruit porro per hæc tempora Pithon Poeta, et Orator eximius Catanenſis Patria, Philippo Macedoni a Secretis, ut Joannes Tzetzes (b) enarrat, ipſi etiam Demoſtheni ob ſermonis elegantiam, ac ſuavem dicendi vim magnopere inviſus. Ejus meminit Athanæus, et Svidas, ut ſuo loco dicendum.

Ante Xtũ. 345.

(b) Chiliad: 6.

XXII. Calippo occiſo Dionyſius repetendi regni occaſionem nactus, ex mercenariis militibus inſtructo exercitu, decimo poſt principatum amiſ-

amissum anno Syracusas ex inopinato adortus, Tyrannidem invadit. Tunc per Siciliam universam alii ac alii insurgentes singulas sibi Civitates, Reipublicæ statu abolito, subdiderant, ac libertate adempta earumdem imperium vindicaverant. Jcetas enim Syracusanus Leontinos, Mamercus Italus Catanam, Leptines Engyum, Argyram Apolloniades, Centuripen Nicodemus premebant. Icetam porro contra Dionysium Syracusani Proceres evocantes, ejusdem auxilio Tyrannum in arcem, insulamque compulerunt, mox ingenti Pœnorum exercitu, qui ad Syracusarum obsidionem properabat, exterriti, Corinthum Legatos ad suppetias exorandas miserunt. Corinthii classem duce Timoleonte prudentia, virtute, ac rei militaris peritia omnibusque bonis artibus prædito expediunt, quæ Rhegium primò, mox Tauromenium in Siciliam appulit. Prima Timoleontis expeditio contra Jcetam Adranum obsidione prementem fuit, qua victor, fugatis hostibus, Syracusas properato itinere contendit, ac primo impetu Thycam occupavit.

XXIII. Eo quidem tempore Arcem, & Insulam Dionysius, Acradinam, & Neapolim Icetas, Thycam Timoleon occupabant, portum Pœnorum classis instructissima tenebat, necdiu post innumeræ Carthaginiensium legiones Annone duce circa Urbem castrametatæ sunt. *Qua ingenti hostium multitudine* (inquit Diodorus) (a) *cum valde perterritus esset, inopinata, & quæ nullo cōsilio parari potuisset, rerum mutatio subsecuta est. Primo omnium Marcus* (sive Mamercus) *Catanensium Tyrannus, qui non parvas copias secum habebat, Timoleonti adhæsit; Urbes complures, studio libertatis consequendæ ad eum defecerunt. Novissi-*

(a) *Bib.Hist. lib.16.*

vissimeque a Corinthiis naves decem cum auxiliis, et stipendio missæ Syracusas advenerunt, propter, quæ confirmatus multum est Timoleon, & Carthaginienses timore correpti, classem e portu, imprudenter sanè, eduxerunt, motisque castris in Insulæ partem, quæ suæ erat ditionis, discesserunt. Tunc Iceta auxiliis destituto, Urbs Syracusarum, cum Cives ei tuendæ parum sufficerent, in Timoleontis potestatem redacta est. Ac mox Dionysius ejusdem suasionibus arce tradita, & principatu relicto in Peloponnesum cum omnibus divitiis transiit; regnumque nobilissimum per ignaviam, atque animi torporem reliquit. Exauthoratus etiam sequenti anno, juxta Diodorum, Leptines, qui Engyo dominabatur, ac Corinthum migrare jussus a Timoleonte. *Græcæ demum Siciliæ Urbes ultro se illi dediderunt, ac Siculorum, Sicanorum, & aliarum gentium Civitates, quas tuebantur Carthaginienses, Legatos miserunt oratum, ut in amicitiam, ac fœdus ab eo reciperentur*, ut idem subdit Historicus.

XXIV. Verùm Plutarchus in vita ejusdē Timoleontis paullo diversè hæc ipsa commemorat: descripta enim Timoleontis apud Adranum victoria, prosequitur. *Aliæ mox Civitates, decretis subito legationibus, Timoleoni sese, Urbem, agrosque dedere. Mamercus quoque Catanæ Tyrannus, vir sane clarus in bello, & qui magnum argenti pondus, & auri habebat cum Timoleone societatem iniit. Dionysius, qui non multum abfuit, ne militibus præda mansisset, Mamerco bello major, et armis, spe omni abjecta, Icetam turpiter victum neglectui habens, Timoleonem admirans illi, & Corinthiis Legatos misit, seque ipsum, atque arcem dedit.*

Per-

XXV. Pergit subinde enarrare, ut Icetas ad obsidendam arcem Syracusanam, clam sociorum auxilia advocans, cum universa classe Pœnorum ducem accersivit Magonem, seu Annonem, quumque Corinthii, qui in arce erant, in summa rerum difficultate positi, rebusque ad victum necessariis deficientibus, nihilominus pugnas agerent; *Timoleon cymbis, parvisque naviculis frumentum ex Catana transmisit, quæ, ut barbaricas triremes vitarent, per loca fluctuosa cursum, navigationemque fecere. Quas intuentes, Icetem, & Magonem capiendi Catanam cura, atque libido ceperat, ne inde Corinthiis necessaria asportarentur in arcem. Itaque sumptis, qui virtute bellica cæteris præstare videbantur, solutisque ex portu navibus, Syracusis abeunt. Neon Corinthius, qui Arcis præfectus erat, cum videt hostes custodiæ gratia relictos otiosè, negligenterque se in Urbe custodienda habere, subito ruit in Urbem, & partim cæsis, partim dare terga coactis Syracusarum partem, quam Acradinam vocant, occupavit, atque in suam potestatem redegit.... Mago porro atque Icetes, qui jam prope Catanam venerant, per nuntium ex Syracusis rerum facti certiores, multò dolore, multaque animi ægritudine ad Syracusas discedunt, qui neque operam suam pro animi cupiditate navarunt, & Syracusas, quæ in manu erant, amiserunt.*

XXVI. Interim, ut idem scribit Plutarchus auxiliares milites cum classe a Corinthiis Timoleonti accesserant, quibus instructus Catanâ solvens Messanâ facili negotio potitur, inde Syracusas contendit, bonâ fortunâ magis, quam exercitu confisus; vix enim militum quatuor millia sub se numerabat. Quod quum Magoni denuntia-

retur, suspicatus hic, quod insidiæ sibi tenderētur, statim castra movens, Siciliamque ex manibus dimittens, turpiter, ac temere cum classe in Libyam aufugit. Icetas adhuc bellandi cupidus iis partibus, quas occupaverat, munitis, nondum de capiendis Syracusis desperaverat, Timoleon contra Magonis discessu cognito, milites divisit, ac Neapolim, quæ sola ab Iceta tenebatur, aggressus, in suam potestatem, nullo ex Corinthiis aut cæso, aut saucio, redegit, Icetāque, ut in Leontinos profugeret, compulit. Hinc arcem toto fere orbe celebrem veluti Tyrannorum Asylum in signum recuperatæ libertatis evertit, populare regimen instituit, leges reformavit, exules in patrias sedes revocans, colonos ex Græcia, ac Asia ad Syracusas frequentandas pertraxit. Inde contra Icetam movit, atque ex Engyo Leptinem deturbavit.

XXVII. Olympiade decima supra centesimam Carthaginienses novas copias in Siciliam trajecerunt, quibus Timoleon exiguo licet militum numero sese opposuit ad Crinisium fluvium, illustremque de illis victoriam reportavit, cæsis decem millibus, captis ad quindecim millia, cum quibus ovans Syracusas rediit. Hanc porro Timoleonti felicitatem Icetas, & Mamercus invidentes, seu sibi timentes, ne superatis Pœnis, subactisque jam cæteris per Siciliam Tyrannis, eos quoque armis tandem expelleret, atque imperio spoliaret, clam cum barbaris fœdus ineūt, utque novum exercitum in Sicilia cogant, ni velint Insula penitus exulare, suadent. Gisconē Carthaginienses idcirco cum septuaginta navibus omni commeatu, ac milite instructis mittunt, qui Messanam primo impetu oppugnat, atque Ante Xpū. 335.
Hipponi

Hipponi tradit. Gisconi Icetam, & Mamercum in Messanensi expugnatione adfuisse Plutarchus commemorat. Mamercum autem, quod Milites stipendiarios Messanæ vicisset, elatum, scutis in Deorum honorem suspensis, elegiaca carmina, & superba, & contumeliosa subscripsisse affirmat:

Vilia nos ferimus, dum scuta micantia multo
Detrahimusque auro, electroque, ebore, atque
Elephanto.

Timoleon, ubi captam Messanam audivit, eò militibus instructus proficiscitur, sed quum Icetas in Calabriam ad quædam expugnanda opida trajecisset, ejus vestigia insequitur, cum quo ad Damiriam fluvium congressus aliquandiu ancipiti marte decertat, tandemque superior factus Icetam ipsum in fugam vertit, ac Leontinos usque in Siciliam insectatur, vivumque cum filio capit, moxque populi Syracusani judicio capitis supplicio damnat.

XXVIII. His gestis contra Catanam copias movit, quo cognito Mamercus, contractis viribus Timoleonti in campum, qui inter Teriam & Symethum fluvios, situs est, occurrit. Ibi collatis signis manus conferunt, gladiis cominus res geritur, & aliquandiu quidem Mamercus obstitit, sed amissis tribus militum millibus, quos illi auxiliares Gisco Pœnus miserat, in fugam versus, consilii inops in Italiam ad ciendos in Timoleontem Lucanos navigat. Qui porro Catanenses cum eo profecti sunt, Duce relicto, remensoque cum navibus pelago, in Siciliam reversi, Catanam civibus plaudentibus Timoleonti tradunt, qui statim urbi libertatem restituit, ut ex Plutarcho tradit locis laudatis Fazellus. Mamercus amissâ Catanâ, & Lucanorum auxiliis fru-


frustratus ad Hipponem Messanæ Tyrannum confugit; Hinc Timoleon copiis contra Hipponem eductis, Messanam terra, marique obsidet, ac brevi expugnat, Tyrannum in fuga interceptum cum filiis morti addicit. Mamercus desperatis rebus ea conditione Timoleonti se dedit, ut Syracusani populi judicio sisteretur.

XXIX. Syracusas igitur deductus quum apud populum compositam pro se orationem recitare moliretur, in tumultum incidit, atque inexorabilem concionem animadvertit, hinc pallio projecto per medium theatrum cursu delatus subsellia tamquam moriturus capite pulsat. Verum hujusmodi mortem obire non contingit, sed ulterius vitã agens, eamdem pœnã, quã prædones, laqueo enecatus persolvit. Scribit Athenes, eodem Plutarcho referente, Timoleontem dum contra Hipponem, & Mamercum Messanam oppugnaret, oculis aliquatenus fuisse captum, sed pedem minime retulisse, quinimmo pertinaciter oppugnando, tandem & Urbem & Tyrannos cepisse. Exinde pacem Carthaginiensibus, eam per legatos enixè petentibus, Timoleon concessit; Campanis, qui Ætnam tenebant exterminatis, Nicodemum Centuripinę Urbis Tyrannum ad libertatem suis dandam compulit, Apolloniadem Argyrę Principem regimen deponere jussit; omnibus denique Tyrannis per Siciliam extinctis, Civitates in sua jura restituit, desertasque ac bellorum procellis affectas inductis Coloniis reddidit frequentiores. Denique Syracusis vitam agens privatam, senio confectus, Olympiadis centesimæ decimæ anno quarto occubuit, ac magnifico elatus tumulo dignissimis titulis: *Patris Patriæ, ac Tyrannidis Extinctoris* honorari meruit. *Ante Xpũ. 332.*

Philip-

XXX. Philippus Paruta inter Numiſmata Sicula tres Mamerci epigraphe ſignatos numos refert, de quibus ſuo loco. Mamerci meminit Ælianus (a) quem Onomarchum appellat his verbis: *Onomarchus Catanæ Tyrannus, & Cleomenis filius, etiam Leones habuerunt convictores*. Æmilius Probus in Timoleontis vita, *Mamercum Italum ducem hominem bellicoſum, & potentem Tyrannos adjutum in Siciliam veniſſe*, ſcribit. Eloquentia etiam valuiſſe conjicio, quod pro ſe orationem apud Syracuſanum populum recitandam concinnaverit.

(a) *De Animal: Not. cap. 38.*



CAP. III.

CATANA

PROPRIIS VIVENS LEGIBUS.

I. Libertate durante, quam Siculis Timoleontis peperit virtus, Urbes, ac Opida, summis opibus, populi frequentiâ, publicis, privatisque ædificiis maximè coaluere, ut merito Urbis etiam nostrę opera eo temporis intervallo, magna ex parte crevisse, haud sit incongruum opinari. Sed non ultra annos viginti, si Eusebio credimus, ea perstitit, Pœnorum enim atque Agathoclis ambitione labefactata, pax omnis intercidit; hinc in miseram servitutem Syracusis relapsis, publicus totius insulæ status cœpit bellorum rursus tempestatibus agitari. Agathocles humili loco, ac patre figulo natus indignis artibus ad majora quæque belli munia evectus, strenuus alioqui, sed vafer, omnisque religionis expers, cæde Optimatum, ac Civium potentiorum proscriptione, viam sibi ad Tyrannidem Syracusarum paravit, qua tandem Olympiadis centesimæ decimæ tertiæ anno quarto potitus, milite conscripto finitimas Urbes repentino insultu aggreditur, ac socias Pœnorum Civitates incursionibus vexat. Messanam mox, sed frustra adoritur, progrediensque Mylas obsidet, atque in deditionem accipit. *Ante Xpm. 320.*

Quum

II. Quum plures deinde Siculæ Civitates contra ipsum convenissent, Amilcaris Pœni ducis sibi tunc conjunctissimi opera, pacem cum illis composuit, utque suis deinceps legibus singulæ viverent, permisit. Audito autem Amilcarem ob fœdera secum inita morti fuisse a suis adjudicatum, contra Carthaginienses iterum arma movit. Pœni instructa classe primo Agrigêtum, inde Syracusas veniunt, portumque ingressi, a Syracusanis bello lacessiti abire compelluntur; quumque Messanam vela tenderent, suborta repente tempestate, non longe a Catana plurium navium scopulis allisarum naufragium patiuntur; quæ mox in hostium manus devenere. Hisce elatus eventibus Agathocles, ubique desæviens contra Pœnorum socios, signa cum illis confert prope Gelam, sed victus, fugatusque Syracusas remeavit, Urbemque instruens, ad bellum sese communiit. Amilcar interim Gisconis filius, alter a memorato, novus Carthaginiensium Dux, victoriâ bene usus, Siculas Græcas Urbes contra Tyrannum solicitat, pluresque populos in societatem allicit, quorum precipui Agathocli quammaxime infensi Camarinæi, Leontinii, Catanenses, Tauromenitani, Messenii, atque Abacenini memorantur; quibus auctus auxiliis Agathoclem obsidet, premitque.

III. Verùm Agathocles tantis viribus sese imparem contemplatus, Syracusarum custodia strenuis ducibus commendata, ingenti animo atque audacia, cum aliquot electis millibus ac bellico apparatu e portu solvens in Libyam Pœnis bellum illaturus contendit; integrisque quatuor annis illorum res adeo afflixit, ut copias aliquot e Sicilia illi revocare cogerentur; Hinc occiso a Syra-

Ante Xpti 306.

a Syracusanis Amilcare, solutaque obsidione, victor in Siciliam, novo auctus titulo *Regis Lybiæ*, remeavit. Adversante autem fortuna, eadem, qua vicerat, facilitate a Pœnis victus, ex Africa, quò suis auxiliatum redierat, vix fuga elapsus, ægrè tandem pacem honestis conditionibus, Olympiadis centesimæ decimæ octavæ anno secundo, teste Diodoro, impetravit. *Ante Xpũ.* 302.

IV. Rebus confirmatis, initoque cum Dinocrate fœdere (Dinocrates hic pro libertate Siculis afferenda diu adversus Tyrannum bellum gesserat) contra Crotoniates in Italia movit, quos dolis circumventos expugnavit; nec diu in Brutios exercitum duxit, qui de pace legatos mittentes, datis obsidibus Agathoclis præsidium exceperunt. Tandem quum ad bellum tertiò Pœnis inferendum sese pararet, suorum insidiis interceptus, annis duodetriginta superbè ac crudeliter regno administrato, septuagenario major in morbum ex propinato veneno fœdissimum incidit; quumque propter mali insolentiam vocem edere non valeret, atque extremò jam afflictus decumberet, a quopiam in rogum injectus adhuc spirans combustus est, ut Diodorus testatur circa Olympiadem centesimam vicesimam (*a*) *Inte Xpũ.* 295.

(*a*) *In Excerptis lib. 21*

V. Post Agathoclis mortem intestinæ per Insulam seditiones majori vi exarserunt. Menon enim, qui Agathocli struxerat insidias, *cristas*, ut inquit Diodorus, *ob hoc erigens, quod Regnum abrogasse videretur, Archagathum* (Agathoclis ex Filio nepotem) *dolo interficit, exercituque potitus, bellum Syracusiis facere & principatum sibi vindicare constituit*. Mox Pœnorum auxiliis auctus hostes coegit, ut exules in Urbem revo-

revocarent, obsidesque pacis traderent. Internis porro odiis, ac tumultibus Civitas ipsa repleta, nonnisi mercenariis militibus remissis, pacari potuit. Hi autem Messanam a Civibus ut socii accepti, nocte hospitibus obtruncatis, ductisque illorum uxoribus, suæ potestatis Urbem faciunt, atque a Marte Mamertinam appellant.

Ante Xpũ 290 VI. Aliquot interjectis annis Tyranni passim per Siciliam præcipuarum Urbium, Diodoro teste (a) sibi denuo imperium vindicarunt. Icetas, quem Syracusani ducem contra Menonem Carthaginiensem creaverant, Syracusarum, Phintias Agrigenti, Tyndario Tauromenii, ac minorum gentium alii dominium usurpantes, mutuis sese bellis confecerunt. Phintias enim, & Icetas ad Hyblęum acie instructa concurrentes magnam suorum partem amisere; quumque victor Icetas evasisset, contra Pœnos movit, victusque ad Teriam fluvium in agro Leontino, nono tandem Tyrannidis anno a Thynione quodam exactus, præfectura abiit, Olympiade circiter tertia, ac vicesima supra centesimam. *Ante Xpũ* 283. Inter hæc autem Catanensium Civitas uni libertati studebat, atque a partibus aliena, eatenus belli incommodis afficiebatur, quatenus morem gerere ultro citroque excurrentibus opus erat; ne & ipsa civilibus etiam discordiis implexa, uni aut alteri adhærendo suorum excidium pateretur.

VII. Thynio, qui & Theon a Fazello dicitur, (a) ac Sosistrates vir princeps, imperio Syracusano subinde occupato, Pyrrhum Epiri regem in Italia contra Romanos militantem evocare decernunt, quem Mamertini Carthaginiensibus fœderati, ne in Siciliam trajiciat, modis omnibus prohibere conantur. Verũm Tyndario Tau-

(a) *lib.* 22.

(a) *Dec.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2.

romenii Tyrannus ad illum inclinabat, paratusque erat in Urbem suam recipere, suasque illi copias adjungere. Ille igitur exercitu instructus Tarento solvens, in Siciliam ad Tauromenium defertur. *Hinc accito in societatem Tyndarione, acceptis ab eo militibus*, inquit Diodorus, *Catanam devehitur, atque ab incolis magnificè susceptus, aureisque coronis redimitus, copias terrestres exponit, quibus Syracusis iter habentibus, classis ad pugnam adornata oras interim legit*. Syracusas tunc temporis Pœni terra, marique obsidione premebant, atque insulam Thynio, reliquas urbis partes Sosistrates Thynioni infensus, tenebant. Ubi autem Pyrrhus citra discrimen ad fines appulit, ambos ultro illi omnia cedentes, cum Syracusanis, atque inter sese conciliavit; Pœnos in fugam egit, Urbiumque totius pene Insulæ Legatis undique confluentibus perhumaniter exceptis, Siciliæ Rex salutatur. *Ante Xpū. 271.*

VIII. Pœnorum exinde audaciam compressurus Agrigentum cum copiis venit, Urbem, Sosistratis opera, qui eam Phintia fugato tenebat, ac suppetias accepit, ditionemque hostilem invadens, summa celeritate eamdem subegit; Lilybæum mox Pœnorum in Sicilia arcem munitissimam aggressus, quum Urbis per vim capiendæ spe excideret, obsidionem solvit, atque aliò impetum suum convertit. Verùm nondiu post, quum superbè ac tyrannicè, mutatis moribus, Siciliæ imperio uteretur, ac Thynione interfecto Sosistratem, ut sibi fuga consuleret, coegisset, repentè ab eo Siculorum animis abalienatis, odia exarserunt, pluresque urbes Carthaginiensibus, permultæ Mamertinis adhæsere. Ipse seditionibus hisce perculsus, peropportunè a Tarentinis

tinis

tinis contra Romanos evocatus, provinciam potentioribus relinquens Insulâ excessit.

IX. Pyrrhi fugam (Sic enim ejus e Sicilia discessum visum esse, scribit Trogus) non minores excepere tumultus, ac Civicæ seditiones, quibus frequentiores Pœnorum irruptiones, atque adversus Syracusas ob Insulæ imperium expeditiones accesserunt. Hinc Hieron hujus nominis secundus Dux primùm a suis, mox ab aliis civitatibus belli Præfectus, tandemque ab omnibus totius Siciliæ Rex salutatur. Hic a pueritia admirabilis, in alloquio blandus, in consuetudine justus, in militia strenuus, tantisque naturæ dotibus ornatus, ut nihil regium in eo deesset præter Regnum, vix regimine assumpto, militiam reformare aggressus, deditâ operâ, callidoque consilio in Mamertinos, qui ultra Catanam excurrerant, exercitum movet, ac locatis in fronte, quas delere cogitaverat, cohortibus, illas primo hostium conatui objicit, atque ad internicionem usque delendas relinquit. Mox novis copiis adversus illos victoria elatos serio insultu irruens, ingenti strage eos affecit, atque ovans Syracusas regressus regia corona redimitur.

X. Observat hìc opportunè Fazellus; *quod & si titulum haberet Regiæ dignitatis in Sicilia Hieron, ut & alii ante ipsum, non omnes tamen Civitates suo parentes imperio habebat. Plurimæ quippe, cum essent liberæ suis vivebant legibus, & annuis constitutis magistratibus, a populo regebantur. Plures quoque Carthaginiensium erant ditionis. Reliquæ vero, quæ Syracusanorum imperia subibant, simul cum urbe Regia a Rege moderabantur.* Hæc ille (a) Catanam porro inter liberas

(a) Dec.2.lib.4. cap.9.

iberas recenseri, ex eo evidentissimè constat, quod Pœnis nusquam subiecta, nec inter Urbes ditionis Syracusanæ, Diodoro teste, habebatur. Inito quippe fœdere cum Romanis, ut idem scribit, (a) & inferius expendam, Hieron hisce conditionibus pacem sanxit: *Ut Syracusanos sub dominio suo retineret, & Urbes illis subjectas: Aera, Leontinos, Magarenses, Elores, Neatinos, Tauromenios.*

(a) Bibl. Hist. lib. 23.

XI. Jamvero, adversus Mamertinos re bene gesta Hieron eorum Urbem aggressus, & ab Annibale Pœnorum Duce circumventus primo obsidionem remisit, mox solvit. Annibal subinde, & ipse Messanâ exactus, cum Hierone conveniens, conjunctis viribus in Mamertinos movit; qui bello contra Siculos, & Carthaginienses impares, Romam legatos ad auxilia imploranda destinant.. Romani primum cunctare, quod Reipublicæ dignitati incongruum ducerent, Mamertinis violati fœderis authoribus opitulari, quum de suis ipsi militibus, pari culpa in opido Rhegio laborantibus supplicium pauloante sumpsissent; sed quum opulentissimam sibi prædam offerri conspicerent, Italiæ limites egrediendi, Siciliæ potiundę desiderio incensi, tum vero Carthaginiensium vicinitatem magnopere formidantes, ad suppetias Mamertinis ferendas, animos inclinare sunt visi. Quumque adhuc suspensa in Senatu sententia protraheretur, populi tandem multitudo in Comitiis convocata utile honesto præferens, auxiliâ decernit, atque ex cōmuni decreto Appio Claudio Consuli Provinciam committit.

XII. Mamertini de Consulis adventu certiores facti, audacius Pœnorum præsidium ex *Ante Xρῦ. 259.*
Urbe

Urbe propellunt, atque ad arma ſeſe comparãt. Carthaginienſes vero contractis copiis terreſtri circa Urbem, quà meridiem ſpectat, exercitu diſpoſito, ad Pelorum vero claſſe locata, Meſſanam obſident. Adfuit quamprimum copioſa etiam cum manu Hieron, qui ad aliam Urbis partem caſtrametatus Mamertinis egreſſum interdicit. Quod ubi Romanus Conſul audivit, cum cohortibus Rhegium pervenit, fretoque trajecto, Meſſanam applicat, ac legatos ad Hieronem de ſolvenda obſidione tranſmittit, ſe illũ bello minime invaſurum ſpondens. Ad quæ Hieron *Mamertinos*, reſpondit, *ob Camarinam, & Gelam exciſas, Meſſanamque nefariè occupatam jure oppugnari. Romanos vero tantopere fidei nomen celebrantes, neutiquam ſanguinarios defendere oportere. Quod ſi pro hominibus effictim impiis tantum ſuſcipiant bellum, cunctis manifeſtum fore mortalibus, quod miſericordiam erga periclitantes, cupiditati ſuæ prætextum adſciſcant, & revera* Siciliam *affectent*.

XIII. His acceptis Conſul, periculum ſubire decernit, ac cum Hierone primùm acie dimicare, cui, quum Hieron obviam ſeſe offerret, commiſſo prælio diu ancipiti marte pugnatum eſt, tandem Romani undique victores Regem in fugam vertunt, & uſque caſtra ſecuti, magnam Siculorum ſtragem edunt. Carthaginienſes, ubi victoriam penes Romanos ſtetiſſe acceperũt, metu perculſi, extemplo ſoluta obſidione in Siculas Urbes ſibi ſubjectas ſeſe recipiunt. Conſul vero auctus animis perſequi Syracuſanorum exercitum ſtatuit, ac proſtridie ſub auroram illos aſſecutus, novo cum eis prælio inito, plures fudit, reliquos in proxima fugat opida. Hinc per

Syracusiorum, ac sociorum agros nemine impediente incursionibus factis, omnia populatur; Syracusas delatus Urbem obsidet, partæ victoriæ nunciis Romam remissis.

XIV. Eo felici successu vulgato, majoribus incœpto bello incumbendum viribus S. P. Q. R. constituit. Igitur M. Valerium Messalam, & C. Otacilium duplici cum exercitu in Siciliam mittunt, quorum adventu pleræque Civitates ad Romanos ultro transierunt. Eutropius (a) Catanam, Tauromenium, ac quinquaginta ferme alias Urbes sese Romanis tradidisse scribit *M. Valerio, & Otacilio Consulibus in Sicilia a Romanis res magnæ gestæ sunt, Tauromenitani, Catanenses & præterea quinquaginta Civitates in fidē acceptæ sunt*. Diodorus vero septem, & sexaginta enumerat, minora etiam, ut conjicio, opida percensens. *Cum ambo* inquit (b) *Consules in Siciliam profecti Adranitarum Urbem obsedissent, vi illam ceperunt, deinde cum Centuripinem oppugnantes ad Æneas aulas sederent, legati primum a Lepinis veniebant; postea cum aliis etiam Civitatibus timor incubuisset, legatos etiam ipsæ mittebant de Pace; oppidaque Romanis dedere paratæ erant. Fuerunt autem numero sexaginta septē; quarum copiis assumptis, Syracusas petierunt Hieronem oppugnaturi. Is cum graviter ferre Syracusios id videret, Legatos de bello derimendo ad Consules misit. Qui cum solis Carthaginiensibus debellare properantes, conditionem non inviti admittebant. Pacem itaque ad quatuordecim annos composuere, acceptis centum quinquaginta millibus drachmarum. Et postquam captivos illi reddidissent, permiserunt ei, ut & Syracusanos sub dominio retineret, & Urbes illis subjectas Acra, Leontinos,* Maga-

(a) libro 2.

(b) In Excerptis lib. 23.

Magarenses, *Elores*, *Neatinos*, *Tauromenios*. Interea dum hæc geruntur, Annibal cum navalibus copiis ad Xinphonium venerat, auxilium Regi allaturus, sed cognitis quæ facta erant, retrocessit. Acta sunt hæc circa Olympiadem tricesimam supra centesimam anno Urbis conditæ quadringentesimo octogesimo nono, & nonagesimo. Quæ primi Belli Punici veluti rudimenta fuere; mox enim sub aliis Consulibus atrox bellum in Sicilia cum Carthaginiensibus exarsit, quo totâ demum Insulâ excedere hi coacti magnis etiam cladibus in Africa sunt affecti, ut Polybius, ac Livius uberrimè in suis libris prosequuntur, cursimque inferius expendemus.

Ante Xpū. 260.

VX. Sub hoc ferme tempus M. Valerius Messala Romā reversurus Catanam divertit, ibique Solaris Horologii artificium miratus, ejusdem exemplar secum in patriam retulit, velut ex Urbe litteris ac scientiis addicta spolium. Plinius: *Quando primum Horologia* (a) exquirens: *M. Varro*, inquit, *primum statutum in publico secundū Rostra in columna tradit*, *Bello Punico Primo a M. Valerio Messala Consule Catanā captâ in Sicilia deportatum inde post* XXX. *annos*, *quam de Papyriano Horologio traditur Anno Urbis* CCCCLXXVII. Quis porro primus illud Catanæ adinvenerit, ejusdemque Artifex fuerit, temporis injuria; nos latet.

(a) lib. 7. cap. 60.

CATANA

CAPUT III.

CATANA

SUB ROMANIS CONSULIBUS

I. Pace cum Hierone Syracusarum Rege firmata novi Consules Romæ creantur L. Postumius, & Q. Æmilius, quibus Siciliæ Provincia committitur. Hi ut primum Insulam tenuere, de Agrigento invadendo consilium injerunt, quod Pœnorum dubioprocul, arx, & caput in Sicilia habebatur. Quo circa ingenti cum exercitu profecti, castra non longe ab ea urbe metantur, ac post longam septem mensium obsidionem illâ tandem potiuntur. Subinde pleraque opida spontanea deditione receperunt, resque Pœnorum adeo consternatas Successoribus reliquerunt, ut terrestri non amplius, sed navali bello rem gerere Carthaginienses decreverint. Romani parandam sibi etiam classem statuere, qua expedita, ligneisque quibusdam instrumentis ad hostium naves innectendas (quæ Corvos postea Nautæ vocaverunt) instructâ, navale prælium ineunt, atque ingentem victoriam de classe Pœnorum reportant; terrestri mox exercitu Urbes aliquot eorum ditionis expugnant.

Ante Xpū. 257. Urbis Con. 492. Belli P. Punici An. 3.

II. Insequentibus annis vario Marte terra marique pugnatum, ac quandoque victi, sæpissime victores Romani evaserunt, quumque insignem navali prælio victoriam aliquando retulissent, classem in Libyam dirigunt, & ad Mercurii promontorium primo appulsi, Clypeâ insigni

ſigni tunc civitate expugnatâ, Carthaginem properant, agros depopulantur, ſuburbia incēdunt, captivorum ſupra triginta millia ad naves cogunt; conſerto demum prælio magnam hoſtium ſtragem edunt, acceptiſque in fidem ſeptuaginta Civitatibus, ad pacem exorandam Pœnos cōpellunt. Eâ non obtentâ Pœni ad Lacedemones confugiunt, Xantippo Duce auxilia impetrant, ejuſque auſpiciis collatis ſignis, Romanum exercitum Attilio Regulo Conſule ultima pernicie fundunt, quum duo tantum evaſerint, quincenti cum Regulo capti, triginta millia cæſa fuerint.

Ante Xpũ. 253. *Belli Pun.* 7.

Ante Xpũ. 252. III. Proximo anno exercitu, & claſſe inſtaurata, Romani in Africam revehuntur, Carthaginienſium naves ſibi obvias, commiſsâ pugnâ, partim capiunt, quatuor ſupra centum demerſas exturbant, mox tamen juxta Camerinam ad meridionale Siciliæ latus magnâ exortâ tempeſtate claſſem pene univerſam amittunt. Reſumptis nihilominus viribus, noviſque comparatis navibus, Siculas Urbes adoriuntur; Panormum ex deditione capiunt, prope quam Urbem cum ſelectiſſimo Pœnorum agmine manus conſerunt, relataque victoria Lilybæum, Erycem, Drepanum, quæ hoſtium imperium adhuc cognoſcebant, obſidendas, belli hujus anno decimo quarto, ſuſcipiunt. Diuturna, cruentaque Lilybæi oppugnatio, integris enim decem annis protracta ad quartum, & viceſimum belli annum, quo inter utrumque populum pace firmata, in Romanorũ tandem ditionem jure fœderum Urbs venit. Carthaginienſium Dux noviſſimus in Sicilia Amilcar cognomento Barca Annibalis Pater fuit, qui circa belli finem per

Ante Xpũ. 247.

Catanensem oram enavigans, Castellum nomine *Idalium* in ejusdem Urbis regione situm exscensione facta oppugnavit. Verum an eo potitus, an inde repulsus, quidve deinceps actum fuerit, latet, liber enim vicesimus quartus Bibliothecę Historicæ Diodori Siculi, ex cujus Excerptis rē hausimus, magnâ Historiæ jacturâ periit.

IV. Pacis porro conditiones condictæ fuere: ut totâ Siciliâ Carthaginienses excederent; ne posthac Hieroni Syracusarum Regi, aut ejus sociis bellum inferrent; captivos omnes sine pretio dimitterent; Transfugas redderent; talenta argenti Euboica duo millia ac ducenta infra annos viginti Romanis penderent. Adjecit S. P. Q. R. ut omnibus etiam Insulis, quæ inter Siciliam, & Italiam sitæ, Pœni abstinerent; tempusq: pēdendi pecunias coartavit * Hisce acceptis legibus Amilcar ab Eryce copias eduxit, ac terrestri itinere Lilybæum contendit; subinde etiam Lilybęo, totâque insulâ Romano Cōsuli permissâ cum omni exercitu in Africam trajecit. *Cepit exinde*, concludit Fazellus (a) *Sicilia Romano parere imperio, utpote Messana, Tauromenium, Catana, Agrigentum, Lilybæum, Drepanum, Eryx, Segesta, Panormus, ac plura alia oppida præter Syracusas Urbem, ejusdemque ditionis nonnullas civitates, quæ Hieronem adhuc Regem agnoscebant. Facta igitur Sicilia omnium prima Romanorum Provincia, Senatus Æmilium Prætorem in ea constituit, atque per Prætores deinde per multa tempora gubernata est.* Hęc Siculus Historicus, cujus verba, ut alibi ex integro usurpavimus. Ubinam

Ante Xpū. 237.

(a) *Dec. 2. lib. 4. cap. 4.*

* *Extremas hasce Pacis conditiones, Maurolycus à Siculis super fœdera consultis, tradit fuisse adjectas.*

V. Ubinam porro id temporis Romanus Prætor sedem fixerit, haud satis mihi liquere fateor. Catana hujusmodi sibi honoris tesseram posset nec incongruè usurpare, quod Syracusis proximior esset. Sed quum, & aliæ nec minus celebres idipsum ex aliis congruentiis sibi queant adscribere, nihil omnino statuendum censeo. Bello Punico secundo conflagrante Æmilius Prætor cum Romanis legionibus Lilybęi degebat; eò enim Carthaginiensibus cum aliquot navibus appulsis ipse occurrens, navale præliũ cum illis iniit, insignemque victoriam reportavit.

Ante Xpũ. 214.

VI. Hierone nonagesimum jam annum agente mortuo Urbis conditæ quincentesimo tricesimo sexto Olympiadis CXLVI. anno primo, Hieronymus ejusdem ex filio Gelone nepos, atque in Regno successor, fœdus cum Romano populo annis ferme quinquaginta religiosissimè servatum abrupit, atque inita cum Annibale recentibus in Italia victoriis elato societate, legatos ab Appio Claudio Siciliæ Prætore de reparanda amicitia ad se missos cum ludibrio repulit. Mox ad tentandas Urbes, quæ Romanorum præsidiis tenebantur, eductis copiis, in Leontinos profectus, ibi a conjuratis multis confossus vulneribus periit anno Urbis conditæ DXXXVIII.

Ante Xpũ. 213.

VII. Audita Tyranni morte, Syracusis ad arma pro libertate cives accurrunt, quumque aliquandiu quorumdam ambitione excitis turbis Respublica nutasset, rebus tandem compositis, legati ad Romanos pro renovando fœdere diriguntur. Appius Prætor cum classe interim Murgantiam venerat, quò tenderent Syracusani motus opperiens, qui legatos ad M. Marcellum brevi

Ante Xpũ. 211.

brevi in Siciliam ex Italia trajecturum dimisit. Hic illos perhumaniter excepit, societatemque firmavit. Jam vero, qui ex Syracusanis Pœnorum partibus studebant, Leontinos ablegati Sociorum Romani nominis agros populabantur; hinc contra eosdem ducens Marcellus Urbem primo impetu capit, civibusque servatis, in transfugas milites duriter animadvertit. Romanorum vero hostes, pervulgato, Marcellum nulli ætati Leontinis pepercisse, Syracusanos milites primum, qui suppetias Marcello afferebant, mox Civium animos in Romanos accendunt. Tumultuariis Hippocrates, & Epicides Syracusis, quidem oriundi, sed patria Carthaginienses, sese duces offerunt, qui Syracusas hostiliter invadentes, Prætoribus occisis Urbis regimen assumunt. *Ante Xpũ. 210.*

VIII. Hæc, quum Marcello Leontinis agēte nunciarentur, continuo Syracusas cum copiis profectus per legatos civibus enunciat, sese cum exercitu, ut oppressæ civitati auxilium afferat, adesse: legatos Hippocrates, & Epicides ingressu Urbis prohibent, atque audaci cum responso ad Consulem remittunt. Quo hic accensus, terra marique Urbem aggreditur, tanto virium, armorumque apparatu, ut primo impetu expugnasset, nisi unus Archimedes quidquid machinarum Romani parabant, confregisset, ac novis ipse quotidie excogitatis instrumentis terrestres Romanorum copias, navesque dissipasset: *Habuisset*, inquit Livius (a) *tanto impetu cæpta res fortunam, nisi unus homo Syracusis ea ætate fuisset*. Suppetias Romanis socias Urbes, atque in primis Catanam misisse explorata

(a) *Hist. Rom. lib. 24.*

rata

rata res est, idque vel maxime ex propenso, studio, quo præ aliis Urbem nostram prosequebatur Marcellus, satis intelligi datur. Hinc Silius Italicus (a) populos enumerans a Marcello excitos, ut socialia arma Romanis adjungerent, urbesque describens, quæ milites in castra miserunt, ait. (a) Lib. 14.

Interea dum incerta labat sententia clausis,
Exciti populi, atque Urbes socia arma ferebãt.
Incumbens Messana freto, minimumque revulsa
Discreta Italia, atque Osco memorabilis ortu.
Tum Catine nimium ardenti vicina Typhœo,
Et generasse pios quondam celeberrima fratres.

Cæterum non nullas ad Carthaginienses, quorũ partibus clam studebant, defecisse, complures, præsidio etiam Romano, aut pulso, aut occiso, palam rebellasse Polybius, ac Livius testantur. Catanam vero fidem, quam semel juraverat, religiose servasse, utque in officio sese aliæ continerent effecisse, ex insigni, quo demum, finito bello, affecta est beneficio, ut mox dicendum, evincitur.

Ante Xpũ. 210. IX. Quum porro Archimedis vi, atque ingenio irritos fieri conatus suos Marcellus adverteret, non esse ulterius cum Archimede pugnandum sepius inclamitans, Syracusarum oppugnatione intermissa, longa obsidione Urbem premere decrevit. Hinc tertia exercitus parte e castris educta, ad opida, quæ desciverant, recipienda animum adjecit; atque Agrigentum usque progressus, ubi occupatam ab Himilcone Pœnorum Duce Urbem advertit, dilata ultione, aliquot populos in ea regione denuo in fidem redire coegit, Siculisque, qui secum decertare sunt ausi, profligatis, & Hippocrate cum suis

 fuso

fuso, Syracusas redit. Festo Dianæ adveniente, quod per triduū magna licentia Syracusis celebrari consueverat, epulatis, vinoque satiatis opidanis, primo noctis tempore Marcellus scalas admoveri jussit, ac mille ferme milites armatos in muros deduxit, qui custodibus multo vino sopitis interfectis, ad Hexapilon pervenerunt, ac dato signo, Marcellum cum reliquis legionibus ad prædam evocarunt. Inde portis vi effractis, non jam furtim Romani, sed apertè Urbem ingressi Epipolas tenuere. Illucescente in Tycham & Neapolim (quæ Urbis tunc majores erant regiones) irruerunt, atque a cæde quidem abstinentes, ut præcone Marcellus edixerat, rapinis nihilominus omnia complevere. Post menses aliquot Insulam ex proditione, Acradinā vero deditione accepere, quas etiam Marcellus eadem lege militi diripiendas concessit, ac in eo tumultu Archimedem amisit. Obsideri cœpta Syracusarum Urbs Romæ conditæ anno DXXXVIII. in potestatem vero Romanorum anno DXL. venit.

Ante Χρῖ. 208.

XI. Subdit hìc Livius (*a*) *Captis Syracusis, Marcellus cum cætera tanta fide et integritate composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam majestatem populi Romani augeret, ornamenta Urbis, signa, tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit. Hostium quidem illa spolia parta jure belli. Cæterum inde primū initium mirandi Græcarum artium opera, licentiæque huic sacra, profanaque omnia vulgo spoliandi, factum est, quæ prostremo in Romanos Deos templum idipsum primum, quod a Marcello eximiè ornatum est, vertit. Visebantur etiam ab externis ad portam Capenam dedicata a Marcello*

(*a*) Rom. Hist. lib. 25.

cello Templa propter excellentia ejus generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet. Legationes omnium ferme civitatum Siciliæ *ad eum conveniebant; dispar ut causa earum, ita conditio erat. Quæ ante captas Syracusas, aut non desciverant, aut redierant, in amicitiam, ut socii fidelesque accepti, cultique; quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi a Victore leges acceperunt.*

Ante Xpti. 109. XII. Culti, acceptique ut fideles socii Catanenses cum primis, quorum urbem nondiu post Syracusarum excidium Marcellus suâ presentiâ nobilitavit, auxitque; Aquæductu enim refecto, quo magna aquarum copia Catanam deducebatur ad civium commodum, ac Naumachiæ ludos, Gymnasium in ea dedicavit, multaque alia bono publico molitus, adeo sibi incolas devinxit, ut Arcu magnificentissimo atque eleganti Signo illius memoriam honoraverint, quorum rudera nostris adhuc diebus perseverant; hinc ab eodem Marco Marcello, cum Aquæductus, tum Arcus vestigia hodie etiamnum vulgariter appellantur; simulacri vero caput Patrum nostrorum ætate publico in loco situm perdurabat, ut suo loco dicendum.

XIII. De condito porro, seu dicato a Marcello Consule Catanæ Gymnasio extat Plutarchi textus, qui in Marcelli vita prope finem: *A Marcello, ait, complura præter ea, quæ Romæ extant, Diis dedicata cernuntur; Nam Catanæ Siciliæ oppidi ejus extitit Gymnasium, statuæ, et tabulæ ex iis, quas Syracusis detraxit, in Samothracia posita sunt ad Deos, quos Cabiros appellant.* Vbi illud observat Eruditissimus Recentior (a) a Plutarcho nempe recenseri inter opera Diis per Mar-

(a) *Hyac. Paternio. in Orat. ad Jovial: Acad. de Fund. Cat. Gym.*

Marcellum dicata Catanense Gymnasium, ut innuatur illud ab aliis conditum, exinde a Marcello instauratum, ac Numini cuipiam sacratum fuisse. Veteribus quippe mos fuit publica opera, atque ædificia Diis tutelaribus dicare. Fortè præ æmula Syracusanorum urbe, quæ celebri gloriabatur Gymnasio a Timoleonte Corinthio Tyrannidis Extinctore appellato, Catanam efferre cupiens Marcellus, Gymnasium, quod bello debaccante dudum defecerat, in ea restitutum postliminio voluit.

XIV. Armorum porro, corporisque exercitationibus illud addictum a Romano Consule pro temporum conditione, æquè ac literariis, atque ingenii artibus, ut Græcę urbi, scientiisque deditæ morem gereret, suo loco satis demonstrabimus. Quamvis enim penes Romanos Marcelli ævum literarum infantiæ deputetur, jam apud Græcos nedum illæ adoleverant, sed maximis etiam incrementis radices egerant, ac passim undique Philosophorum sectæ efflorebant. Sed jam Fazelli verba hìc præterire piaculum duxerim; descripta enim ultima Marcelli expeditione contra Pœnos in *Sicilia* subdit (*a*) *Marcellus tanta victoria felix, civitates pene omnes maximis beneficiis extulit, illisque leges dedit, & Cataniæ Gymnasium artium liberalium condidit*. Siciliæ Provinciam in Marcellorum deinde clientelam transiisse, ac Siculos Marcelli successoribus addictos Historici produnt.

(a) Dec.2.lib.5. cap. 1.

XV. Anno Urbis conditæ tertio, & quadragesimo supra quincentesimum Levino Consuli Sicilia est demandata, ut in ea belli reliquias conficeret. Post discessum enim Marcelli Puni- *Ante Xρῦ. 205.*

ca claſſis octo peditum, ac tria Equitum Numidarum millia expoſuerat; Hyblam, ac Murgantiam, vicinas *Syracuſis* urbes, & Catanæ confines, atque ignobilia aliquot opida hoſtes ad ſe pertraxerant. Et aliquandiu M: Cornelius Prætor ſeſe illis opponens, quæ defecerant gentes ad deditionem coegerat; mox vero, ubi Levinus Conſul a veteribus, noviſque ſociis diu expectatus venit, res Syracuſanorum, quæ adhuc inconditæ, componuntur, ac Numidis Equitibus cum eorum duce Mutine contra Pœnos rebellantibus, Agrigentum in Romanorum poteſtatem rediit. Hanno denique, qui Carthaginienſium reliquias tuebatur, fuga ſibi conſulens, peropportunum navigium nactus, relicta tandem Romanis Sicilia, de qua tot annis acerrimè certatum, in Africam trajecit. Poſitis armis Conſul ad agros excolendos Siculos coegit, ut Inſulæ feraciſſima non incolis modo ſuæ fertilitatis fructus penderet, ſed Romæ atque Italiæ annonam miniſtraret, ut Livius enarrat (*a*) Hinc prima Romani imperii Provincia Sicilia conſtituitur, atque Urbis Horreum deinceps eſt appellata.

(*a*) *Hiſt. Rom. lib.* 26.

Ante Xpñ 136. XVI. Conſulibus C: Lælio Sapiente, et Q: Servilio Cæpione Ætna copioſum ignem evomuit, *idque prodigii loco Romæ tunc acceptum majoribus hoſtiis quadraginta procuratum eſt*; ſacrificiis nempe ſolemnioribus Diis litatum. Julius Obſequens *in prodigiis*: *Gn: Cæpione C. Lælio Coſſ: mons Ætna ignibus abundavit*. Conſules hi fuere Urbis conditæ anno DCXIII. ut Cluverius obſervat (*b*) Quamvis alii Q: Servilium Cæpionem C: Lælii ſocium faciant, quos ſequimur, Joannis Freinſhemii authoritate (*c*) & Marliani Annalibus fulti. Quinto poſt anno Urbis cōditæ DCXVIII.

(*b*) *Sicil. Antiq. lib.* 1. *cap.* 8.

(*c*) *In ſupplem. liv. lib.* 54.

majori longe vi Ætna exarsit, ut idem Julius testatur: *Servio Flacco, Q. Calpurnio Coss. mons Ætna majoribus solitò exarsit ignibus.* Et Orosius (a) *Ser: Fulvio Flacco Q. Calpurnio Pisone Consulibus in Sicilia mons Ætna vastos ignes eructavit, ac fudit, qui torrentum modo, per prona præcipites, proxima quæque corripientibus exussere flammis; longinquiora autem favillis calidis cum vapore gravi volitantibus torruerunt, quod Siciliæ semper vernaculum genus monstri non portendere malum adsolet, sed inferre.*

(a) lib. 5. cap. 6.

XVII. Malum, quod intulit, Servile bellum fuit, quo multo cruentius, ut Florus observat (b) quam Punico bello Sicilia vastata. Illius caussas sic Diodorus enarrat (c) *Cum post eversas Carthaginiensium opes Siculorum res ad sexaginta annos per omnia prosperos habuissent successus, Servile tandem bellum apud eos hac de causa excitatum fuit. Postquam facultatibus magnopere amplificatis, ingentes sibi divitias comparaverant, magnam servorum multitudinem coemebant, quibus e locis, ubi pascebantur, gregatim eductis, certæ per inustionem corporum notæ imprimebantur. Utebantur autem illis, si juniores essent, ad rem pastoriciam, aliis pro ut cujusque usus exigebat: sed duros ac rigidos in ministeriis se illis exhibebant, & tum quoad victum, tum quo ad vestitum minima illos cura dignabantur. Quorum major pars latrocinando, vitæ necessaria acquirebant; plenaque cædibus erant omnia, non secus ac si prædonum exercitus hic illic esset dispersus. Regionum quidem Præfecti illis obsistere conabantur, sed quia pœnas infligere non audebant, propter opes, & autoritatem dominorum, qui imperium in servos habebant, ad* de-

Ante Xpũ 130.

(b) lib. 3. cap. 19

(c) In Exturpis lib. 34.

deprædationem suæ provinciæ quisque convivere cogebatur. Quod enim ex dominis plerique Romani Equites essent, et judices fierent criminum, quæ Provinciarum Præfectis inferebantur, terrori erat Præfectis. Cum itaque ærumnis servi premerentur, & verberibus identidem præter rationem contumeliosè afficerentur, non ferendum amplius judicarunt. Quare inter se, ubi opportunum esset, congressi de excutiendo jugo sermones conferebant; donec re ipsa consilium tandem executi sunt.

XVIII. Eunus quidam erat natione Syrus, Antigoni Ennensis servus, homo arti magicæ, et ciendis præstigiis deditus. Ad hunc servi primum aliquot Damophili cujusdam Ennensis crudelissimi in servos hominis conveniunt, consiliumque de defectione, ac dominorum cæde initum aperiunt. Probat ille, & quod Dii permittant, solitis verborum præstigiis persuadet. Extemplo igitur quadringentorum manum illi cogunt, quibuscum, pro ut tempus suppetebat, armatis, in Ennæ opidum, Euno duce irruunt. Fazellus a Triocala opido rebellionis principium fuisse scribit, (a) & cum ultima servorum seditione hanc primam videtur confundere. Tum domos furentes servi ingressi, cædem maximam peragunt; ita ut nec lactentibus parcerent; Eunumque Regem creant, qui innumeram prope servorum multitudinem ex aliis opidis sibi adjungens, atque accito Cleone, qui & justum servorum exercitum in agro Agrigentino conflaverat, cum Romanis Prætoribus sibi occurrentibus bello contendere ausus, collatis signis, quum numero, ac ferocia prævaleret, sæpe victoriam de iis obtinuit, castella, opida, vicos, miserabili direptione vastavit Urbis conditæ anno DCXIX.

(a) *Dec.2.lib.5. cap.2.*

Hisce

XIX. Hisce acceptis cladibus Romani C. Fulvio Consuli Scipionis Africani collegæ provinciam committunt: *Non enim iniuriâ dignum Consulari duce, exercituque periculum visum*, ait Author supplementi ad Livium (a) *mandataque C. Fulvio collegæ Scipionis Africani Provincia est.* Post hunc Calpurnium Pisonem sequentis anni Consulem destinant, qui acie contra servos instructa, Mamertinam Urbem, quæ ab illis oppugnabatur, strenue liberat, magnamque eorum stragem edit. Suffectus post Pisonem Rupilius anno Urbis conditæ sexcentesimo vicesimo primo Tauromenium, & Ætnam fitmissima fugitivorum receptacula bello recipit, ubi supra viginti millia ex illis trucidata. Demum Ennam Consul progressus, defectores grâvi obsidione coarctans, quum ob loci sitũ opidum expugnare non posset, proditione obtinuit, ac reliquos ibi servos cum eorum ducibus, Eunoque Rege digno supplicio affecit. *Deinceps*, concludit Diodorus, *cum exigua militum delectorum manu Siciliam peragrans ab omni latrocinio spe celerius eam liberavit*. A Marco Perpenna Romani exercitus duce expugnatam Ennam, confectasque Servilis belli reliquias prodit Florus. Sed id contra Diodori, ac Livii mentem, qui a Rupilio debellatum in Sicilia contra servos clarissimè tradunt anno ab Urbe condita DCXXII. quum nondum Consulatum Perpenna iniisset.

Ante Xp̃i. 129.

(a) Suppl. ad lib. 56.

Ante Xp̃i. 128.

XX. Quoniam vero Ætnam in agro Catanensi a Servis fuisse occupatam Historici tradunt, atque id oppidum Ego conjecturis agendo, prope Licodiæ opidulum contra Centuripem, alibi de eodem Catanensi agro differens locaverim, veram inde colligo vulgi opinionem,

qui

qui locum illum binis ab eodem opidulo passuum millibus recedentem, *Civita* vernaculè appellatum, a Servis olim belli hujus occasione firmissime munitum, deducta ab antiquis traditione, credit. Extat pari etiam artificio constructus Ager, angustioris quidem situs, ejusdem tamen nomenclaturæ post Adranum prope Symethum, qui Servorum præsidium fuisse dicitur. Hinc belli hujus præcipua aliquot facinora in hac agri Catanensis regione obtigisse putandum; quò illud Strabonis (*a*) alludit, ubi de Enna loquitur Servili bello vastata. *Eunus cum fugitivis obsidione pressus illam præcipuis affecit cladibus; visque tandem a Romanis evulsi sunt. Eadem mala perpessi Catanenses, & Tauromenitani, aliique quamplures.* Urbem quippe Catanam ejusdem belli malis vix affectam ex his firmissime deduco: Damophilo enim Ennensi, ejusque uxori Megallidi, Servis supra quam credi potest infensissimis, quorum sęvitia illos ad defectionem, ut supra vidimus, excitavit, puellaris ætatis filia fuit, quam parentibus crudeliter enecatis, modis omnibus Servi immunem voluere, quod ingenio mitissima virgo in eosdem servos humaniter se gesserat, fomenta verberatis, captivis alimenta elargiendo, Patris immanitatem sæpius emendaverat. *Igitur inter eos per aliquod tempus modestè, verecundèque servata, mox consensu cæterorum ab Hermia quodam, cujus in ea defectione primaria auctoritas erat, in Urbem Catinensium, ubi propinquos habebat, deducta est.* Ut Joannes Freinsemius testatur (*b*) qui subdit: *Laudabile hoc factum, magnique ad causam fugitivorum momenti fuit, quum ostendere viderentur, eos non tam insita crudelitate, quam vindictæ studio acerbius in alios consuluisse.* Cata-

(*a*) lib. 6.

(*b*) In Su pl. ad Liv. lib. 56.

na igitur a Servorum tumultibus immunis, femelac Damophili filiam servare affectantes, propinquis in ea degentibus, veluti tuto in loco, Servi contraditam illam voluere.

XXI. Partâ victoriâ, Senatus, Populiq; Romani decreto ex collegio X. Virorum delecti in Siciliam venerunt, *Sacrisque Ennensi Cereri factis, cujus simulacrum antiquissimum ne fugitivi quidem et barbari violaverant; universam deinde Insulam obiverunt, ut Aras Ætnæo Jovi dicatas, postquam ad eas sacrificassent, circumductis Maceriis clauderent, interdicto aditu, nisi quibus ad eas aras publica, & sollemnia sacra essent*. Hæc ex laudati Freinsemii supplementis ad Livium, qui Rupilium Proconsulari imperio Siciliam obtinuisse mox scribit; Siculisque legem *de Sententia decem Legatorum*, ab eo *Rupiliam* appellatam præscripsisse, quæ magno deinceps in honore apud ipsos fuit: precipuè vero in ea de Judiciis cavebatur: *Ut qui ejusdem civitatis essent Siculi, domi certarent suis legibus; qui diversarum, inter eos Prætor Romanus judicaret*. Cōstitutis in Sicilia rebus, Proconsul, exercituque deportato, quamquam res Triumpho dignissimas gessisset, Ovatione contentus fuit, ne summum Romæ virtutis præmium servili videretur inscriptione fœdasse.

XXII. Quinquennio post, Urbis conditæ sexcentesimo vicesimo septimo M. Æmilio Lepido & L. Aurelio Oreste Consulibus mons Ætna exarsit, Julio Obsequente *in Prodigiis*, et Orosio (*a*) testibus, quorum primus *M. Æmilio*, scribit, *C. Aurelio Coss: Ætna mons terræmotu ignes supra verticem latè diffudit*. Orosius vero *M. Æmilio, L. Oreste Coss: Ætna vasto tremore concussa exundavit igneis globis*. Idem Orosius

Ante Xpū. 122.

(a) lib. 5. cap. 10.

(*a*)

(a) post multa *Ætna Mons*, ait, *eodem tempore* (a) lib. 2. cap. 14.
Ante Xtū 118. *ultra solitum exarsit*, *& torrentibus igneis superfusis*, *lateq. circumfluētibus Catanam Urbem*, *finesque ejus oppressit*; *ita ut tecta ædium calidis cineribus perusta*, *& prægravata corruerent*: *cujus levandæ cladis causâ Senatus decem annorum vectigalia Catanensibus remisit*.. Incendium hoc, ut Cluverius observat, anno Urbis sexcentesimo tricesimo primo inter Consulatum Q. Cæcilii, & T. Q. Flaminii, & Consulatum Q. Fabii Maximi Allobrogi, accidit. Quo anno Consules fuere Gn. Domitius Ænobarbus, & C. Fannius Strabo. *Ita*, inquit ille, *inter decem & octo annorum spatium*, *quater Ætna exarsit*.

XXIII. Livii autem Continuator post descriptam C. Gracchi seditionem, ac necem anno
Ante Xtū 117. Urbis secundo, & tricesimo supra sexcentesimū Q. Fabio Maximo, & L. Opimio Consulibus perpetratam subdit. (b) *Idem annus sicuti Romā Urbem discordiâ*; *ita Siciliæ partem incendiis*, *&* (b) Suppl. ad Liv. lib. 61. n. 41.
ruinis laceravit; *auditaque Catanensium Legatio est*. *Sibi Ætnæ Montis viciniam sæpe*, *& antea gravem*, *tum propemodam exitiosam fuisse*; *nam ab eo monte torrentibus ignium profusis*, *fines suos omni hostili impressione fœdius vastatos*, *Urbis*, *quoque tecta mole cinerum oppressa*, *ardore exusta passim concidisse*. *Senatus levamen malorum tributorum*, *atque vectigalium omnium in annos decem dedit*. Quam porro Catanensis agri partem hoc incendium vastaverit, satis exploratum non habeo. Os, unde torrenti igneo patuit egressus non longe ab Urbe fuisse oportuit, ut cineres inde erumpentes copiâ, atque ardore Urbis tecta opprimerent, incenderentque. Extant non longe ab opido Gravinæ quarto ab Urbe lapide montes, quos vulgus *Adustos*, & lingua vernacula

Mon-

Montiarsi appellat, omnia igneæ voraginis indicia præseferentes; levibus enim atque aridis abundāt lapidibus, quorum ingens copia etiam per vicinia diffunditur.

XXIV. Tunc Lucium Metellum Siciliæ prefuisse ex Diodori Epistolis nostri tradunt, qui litteras ad Senatum perferendas Euthimio Cinnæ Equiti, ac Legato Catanensi dedit. In iis terræmotu Urbem concussam, ingentique, profunda, ac prolixa fissura ad mare usque discissam significat, mœnia aquilonaria Cyclopum opus, Cibelisque templum illis contiguum corruisse, Amphitheatrum, Gymnasium, Cererisque fanum labefactata, Pergusæ lacum absortum, Proserpinæ antrum per dies quindecim flammas eructasse, Portus molem ac turrim, Pharo, atque Obelisco illesis, aquis absortas; Amenanum denique, fontesque per Urbem putridas aliquando, & sanguineas dedisse aquas enarrat. Hinc munera, quibus Catanæ Cives S. P. Q. R. gratiam inire affectabant, enumerat, Obeliscum nēpe, ac Terræ Matris, seu Naturæ, Veneris Homicidæ, Galatheæ, Acis, Cibelisque statuas. Integram hic exscriberem Epistolam; sed hæc inter illas Diodori, quæ a Criticis minime probantur.

XXV. Servile bellum in Sicilia secundum Urbis conditæ anno DCLIX. Cajo Mario, & C. Fulvio Fimbria Consulibus, levissimis initiis conflatum, non nisi exercitu Consulari comprimi demum potuit. Illius caussas Diodorus Siculus in sua Bibliotheca enarrat (*a*) quas hic non vacat exscribere. Primus Servorum conventus ad Palicorum lacum in Agro Catanensi, primusque in Ancylio agro motus fuit, quem Licinius Pretor

Ante Xpū 100.

(*a*) *In Excerptis lib. 36.*

tor facile composuit, mox alibi contracta Servorum manus in monte Caprino, hodie *Refesio* Prætoris copias fudit, atque immensùm subinde evecta, Salvio quodam in Regem salutato, Murgantiam validam Urbem Catanensi etiam agro confinem obsidet. Legiones hinc Italas, Siculasque Prætore Duce ad Murgantiam liberãdam properantes novus fugitivorum Rex magnâ impressione factâ, ad fugam coegit, atque a Murgantia, quam expugnandam desperaverat, in Leontinos usque omnia perpopulatus, recensu copiarum facto, cum delectæ juventutis ad triginta millia sub signis habere comperisset, Triocalã inespugnabili naturæ ac situs munimento validissimam in Regni sedem constituit, novisque operibus firmavit. Tum ad se Antheuionem, qui apud Lilybœum magnis contractis Servorum turmis, ficti etiam Regis titulum assumpserat, acciri jussit, ac cum delectu trium millium tãquam ad Regem suum venientem fraude circũventum custodiæ mancipavit: Regia denique extructa domo, amplissimoque ac pulcherrimo foro, delectis etiam ad consilium prudentioribus ex sociis, togâ prætextâ, ac tunicâ laticlaviâ indutus processit, atque omnia id genus alia Imperatoribus, Regibusque propria usurpavit.

Ante Xpũ. 98. XXVI. *S*equenti anno novus Siciliæ Prætor Lucullus justo exercitu fugitivos sibi obviam progressos invasit, solutisque eorum ordinibus in fugam vertit, cæsis ad viginti millia, Regem cum paucis Triocalam usque coegit. Sed mox sedente Prætore per negligẽtiam, ad pristinam fiduciam fugitivorum animi erecti, multas Siciliæ clades intulere. Segnior Lucullo C.

Servilius, cui Siciliæ Prætura anno Urbis DCLI. *Ante Xpũ. 98.* obtigerat, ab Anthenione Tryphonis, seu Salvii Servorum Regis successore victus, castrisque spoliatus, magno Romani nominis dedecore, pugnandi occasiones deinceps vitavit. Interim Anthenio veste purpurea, argenteo baculo, ac diademate ornatus, quum vicos, castella, opidaque impune diripuisset, ad magnarum Urbium obsidionem animum adjecit, parumque abfuit, quin Messanam improviso impetu caperet. Ubi vanum exitu consilium fuit, Macellā communivit, atque emissis prædonum catervis, omnia circum longe, lateque populatus eam de se famam excitavit, ut nonnisi Consulari exercitu opprimendus crederetur.

XXVII. Eam igitur provinciam initio magistratus M. Aquilius Consul accepit, *Ante Xpũ. 97.* *qui sua fortitudine*, inquit Diodorus, (a) *id præstitit, ut rebelles insigni prælio vincerentur. Cum ipso demum Rege Apostatarum Anthenione congressus, herois in morem decertavit; & hunc quidem interemit, ipse autem vulnus in capite accepit. Hinc reliquias defectorum, ad decem hominum millia bello persequendas duxit, qui licet impetum ejus non sustinuerent, sed in munitiones refugerent; nihil tamen de constantia propositi remittens Aquilius omnia tentavit, quousque debellatos in potestatem redegisset.... Servile itaque bellum in Sicilia cum annos prope quatuor durasset, hunc tragicum finem habuit.* Gessit Manius Aquilius Consulatum anno Urbis conditæ DCLII. qui & belli Servilis secundi annus quartus. Mirari hinc subit L. Anneum Florum in Epitome libri nonagesimi noni Liviani scribere *M. Aquilium Proconsulem in Sicilia Bellum Servile excitatum*

(a) *In Excerptis lib. 36.*

tatum confecisse, ideft Urbis conditæ anno DCLIV. Florum in supplementis ejusdem libri sequitur laudatus Freinshemius (*a*) *Dum hæc in Urbe mixta bonis, malisque exemplis geruntur, Manius Aquilius Proconsul bene cum fugitivis in Sicilia depugnavit. Regemque illorum Athenionem sua manu interfecit, ipse vicissim ab eodem juxta caput vulneratus. Reliquiæ servorum ad decem millia, cum pugnandi copiam non facerent, in loca munita, & inaccessa confugientes, clausæ, obsessæque ad necessitatem redactæ sunt, ut præ fame alii ab aliis vorarentur*. Quæ si vera essent circa annorum computum contra Diodori mentem Servile Bellum sex annis minimùm desæ-
Ante Xpū. 94. viisset. Cæterum Aquilium de fugitivis Ovatione fuisse contentum in gestis anni DCLV. idem Livius enarrat, ut ex Epitomæ Libri septuagesimi idem colligit Freinshemius.

(*a*) Num. 41.

XXVIII. Siciliam subinde supra horribiles bellorum calamitates etiam magistratuum Romanorum avaritia vexatam L. Sempronius Asellio Prætor abstinentia sua, atque æquitate recreavit. Consiliis enim C. Longi ac Publii Romanorum Equitum usus, præclara multa instituit, seque privatis, publicisque maleficiis coercendis assiduum vindicem, pacisque vigilantissimum custodem exhibuit. Ad hęc servos, ne iterum res novandi occasionem sumerent, cum telo esse vetuit. *Hæc instituta*, concludit Freinshemius, *quum toto imperii sui tempore retinuisset, ita decessit ex Sicilia, ut quam intraverat miserrime adfectam Insulam, eam tantum non ad pristinæ felicitatis exemplum, beatam, florentemque relinqueret*.

Per-

XXIX. Perstitit diù hæc felicitas usque ad Sullana tempora, quæ toti Reipublicæ exitiosa, Siciliæ etiam in varias factiones abeuntis pacem turbarunt. Commiserat Sulla, qui solus Reipublicæ, sublatis æmulis, dominabatur, Cn. Pompejo negotium Carbonis partium Marianarum præcipui fautoris persequendi, ac Siciliam insimul purgandi; *In quam*, inquit Historicus, *Carbonis amici quidam, & præcipuus Perpenna vir Prætorius confugerant, cum Carbo, & Cn. Domitius in Africam navigassent. Adventu Pompei Perpenna statim Siciliâ cessit, civitatesque auctoritate Adolescentis, & partim consilio receptæ sunt, inter quas Catana, quum suspecta Pompejo esset & præsidium recusatura videretur, a fortissimis omnium militibus occupata est.* Dolo quippe circumvenerat Catanenses Romanus, atque impetrato, ut egri milites sui exercitus curationis gratia in Urbem reciperentur, sub eo habitu, quot voluerat selectos in opidum miserat, qui mox sumptis armis arces ac mœnia occuparunt.

Ante Xpũ. 78.

XXX. Dum hæc geruntur, redux ex Africa Carbo cum suis capitur, atque ultimo supplicio Messanæ Pompei sententia crudelissimè afficitur. Q. Valerium Soranum Virum Philosophum, ac priscarum litterarum peritissimum ejusdem etiam Pompei jussu indignè trucidatum pôst Carbonē tradit Q. Oppius C. Cęsaris amicus; sed aliquid odio Historicum dedisse videtur, ut Appianus scribit. (*a*) Cæterum quia bellum jam nullum in Sicilia supererat, versus ad res Insulæ componendas, ac jus dicendum Pompejus, Provinciam demeruit. Mox Sullâ urgente, relicto, qui Insulæ præesset, Memmio sororis suæ viro, in Africam Domitium Ahenobarbum debellaturus traje-

(*a*) Bell. Civil. lib. p.

Ante Xpũ 76. trajecit anno Urbis conditæ septuagesimo tertio supra sexcentesimum.

XXXI. Sexennio post Siciliæ Quæsturam
Ante Xpũ 70. M. Tullio Cicerone gerente, quum gravi annonæ penuria Urbs laboraret, magna frumenti vi ejusdem Tullii opera, Romam ex Insula comportatâ populi votis aliquatenus satisfactum. Ex omnibus deinde Siciliæ opidis frumenti emptio Senatus Consulto decreta ad triennium, quibus auxiliis, in præsens modicis, levata quidem, sed minime adempta Romani populi calamitas fuit. Per idem quoque tempus immani C. Verris Prætura Siculi premebantur. Hanc Verres
Ante Xpũ 68. suscepit anno ab Urbe condita sexcentesimo octogesimo primo, tenuitque annis ferme tribus, ac pene innumeris rapinis, sceleribusque fœdavit. Prætoris avaritiam Catana cum primis experta; ad eam quippe, quum ille aliquandiu divertisset, Dionysiarchum * Urbis Proagorum (Erat tunc ea suprema Catanensis Senatus dignitas, cui hodie Patricii munus respondere videtur) ad se acciri jussit, eique palam imperavit, ut omne argentum, quod apud quempiam Catanæ esset, ad se afferendum curaret.

XXXII. Ad Sacra deinde templa expilanda conversus, signum religiosissimum priscis illis gentibus cultum e fano Cereris sustulit, quod sane facinus hisce expressit verbis Tullius (a) *Sacrarium Cereris est apud Catinenses eadem religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua* (a) *In Verrem Act. 5. de Signis lib. 4.*

Ll1 *prope*

* *Dionysiarchus proprium nomen; nisi sit Dionysii id est Bacchi Sacerdos. Proagorus autem, inquit Gothofredus, videtur is Siculis fuisse, qui Romanis Ædilis; sed Tullii verba sunt: Catinam cum venisset oppidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad se Proagorum, hoc est Summum Magistratum, vocari jussit. Hinc Turnebus tom. p. Adversar. Prodgorus dicitur, qui Princeps est, & ante alios verba facit.*

prope in toto Orbe terrarum. In eo Sacrario intimo fuit Signum Cereris perantiquum, quod Viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant; Aditus enim ad id sacrarium non est viris; sacra per mulieres, & virgines confici solent. Hoc signum noctu clam istius servi, ex illo religiosissimo atque antiquissimo fano sustulerunt. Postridie Sacerdotes Cereris, atque illius fani Antistites, majores natu, probatæ ac nobiles mulieres rem ad magistratus suos deferunt. Omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique videbatur. Tum ille permotus illa atrocitate negotii, ut ab se sceleris istius suspicio removeretur, dat hospiti suo cuidam negotium, ut aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet, daretque operam, ut is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. Res non procrastinatur; nam cum iste Catanam profectus esset, Servi cujusdam nomen defertur; is accusatur, ficti testes in eum dantur, Res cūctus Senatus Catinensium legibus judicat. Sacerdotes vocantur, ex his quæritur secreto in curia, quid esset factum, quemadmodum arbitrarentur, signum esse sublatum. Respondent illæ, Prætoris in loco Servos esse visos; Res, quæ esset antea non obscura, Sacerdotum testimonio perspicua esse cæpit; itur in consilium, Servus ille innocens omnium sententiis absolvitur. Hæc Tullius, qui Siculorum in Senatu caussam contra Verrem suscepit, cujusque facinora, cædes, furta, libidines atque id genus alia per Insulam perpatrata quatuor orationibus complexus, *Siculæ* calamitatis per ea tempora quoddam veluti specimen exhibuit.

XXXIII. C. Verre revocato, L. Metellus in Provinciam cum potestate a Senatu missus anno ab Urbe condita DCLXXXIII. adversus *Ante Xpū. 66.*

Pira-

Piratas rem prosperè gessit; inter fœdissimam enim C. Verris Præturam Pyrganio quidam Archipirata Syracusanum portum, pulsa Romana classe, obtinuerat, Insulamque cædibus, rapinis, atque incursionibus misere vessabat. Hunc ergo Metellus navali, terrestrique prælio devictum Sicilia exegit, pacem Provinciæ reddidit, quam Insula per viginti ferme annos ad Pompei Cæsarisque tempora tenuit.

Ante Xpti. 46. XXXIV. Consulibus L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello Urbis conditæ anno DCCIII. quum Senatus Consultum factum esset, ut Cæsari in Gallias agenti Successor mitteretur, Tribuni Plebis decreto huic intercedere modis omnibus adnixi, ut Cæsari morem gererent, Urbe excessere; inde simultates, quæ diu inter Pompejum, & Cæsarem gerebantur, in apertum Civile bellum eruperunt. Cæsar in Italiam, jacta ad Rubiconem alea, descendit; M. Cato, qui Pompejanas, ac Reipublicæ partes sequebatur, in Siciliam cum copiis trajecit, Insulam contra Cæsaris conatus latè per Italiam debaccantis in officio cohibiturus. At ille Corfinio recepto, Domitianas cohortes a L. Domitio Ahenobarbo conflatas ad se deficientes in Siciliam transmittendas curat. Mox Brundusium veniens, Legatis de Pace ad Pompejum missis, quum omnia frustra tentari advertit, in id intendit, ut aut Pompejum quamprimum trajicere cogat, aut exitu Italiæ prohibeat. Hic autem jam ab initio consilium Italiæ relinquendæ cęperat; clam igitur eductis navibus Dyrrachium, non sine antiquæ glorię jactura, atque imprudentię nota cum aliquot e suis contendit, Æmuloque Urbis imperium, ac liberum Italię dominium dimisit.

CATANA

CAPUT V.

CATANA

SUB ROMANIS IMPERATORIBUS

Ante Xſti. 43 Mundi 3957.

I. **P**Ulſo fugatoque Pompejo Urbis conditæ anno DCCVI. *Maluit Cæſar*, (a) Lib. 4. cap. 2. inquit Florus, *coordinare provincias, quam ipſum ſequi. Siciliam ergo, & Sardiniam annonæ pignora per legatos habuit.* Præerat Siciliæ S. P. Q. R. nomine M. Cato, ut vidimus, ac Syracuſis morabatur; Qui *quum audiviſſet*, ut ſcribit Plutarchus (b) Juvit. Caton. *Aſinium Pollionem cum multis militibus Meſſanam trajeciſſe, ac ſimul cognoviſſet Pompei fugam ex Italia: Res divinas permagnam obſcuritatem multoſque errores habere conqueſtus eſt. Quamquam autem Aſinium ex inſula deturbare poſſet; tamen ne Siciliam cladibus belli involveret, abeundi conſilium ſumpſit, monitis prius Syracuſanis, ut de ſalute ſuæ civitatis provideret, Dyrrachium ad Pompejum navigavit.* Eadem habet Appianus (c) De Bello Civ. lib. 2. *Q. Valerius cum aliis miſſus occupavit Sardiniam frumenti feraciſſimam; Aſinius Pollio Siciliam petiit; cui Cato præerat. Percunctanti illi: utrum Senatus, aut Populi decretum afferens invadat alienam Provinciam, hoc tantum reſpondit: Qui nunc Italiam tenet, hunc me miſit. Ad hæc Cato retulit, ſe, ut Provincialibus parcat, dilaturum vindictam in alium locum. Quo dicto navigavit Corcyram, ut ſe Pompejo adjungeret.*

II. Aſinii porro appulſus Meſſanam cum copiis, Catoniſque propinquitas, qui Pompejanis

nis partibus adhærens, Syracusis versabatur, facile Catanam mediam inter Messanam & Syracusas, aliasque finitimas Urbes nomine Cæsaris statim ab initio occupatas arguunt. De Asinio Pollione, qui de hoc Pompei, & Cæsaris Bello commentarium scripsit, nulla apud Cæsarem (a) mentio extat, sed Curioni Proprætori cum tribus legionibus in Siciliam misso Insulam cessisse scribitur. Verùm Curionis adjutorem ac socium Pollionem fuisse facile crediderim; in bello enim cum Attilio Varo Pompejano, ac Juba Numidiæ Rege prope Bragadæ fluvium a Cæsarianis infeliciter gesto, eumdem Asinium, ut disperatæ suorum saluti prospiceret, Uticam refugisse legimus, unde in Siciliam trajecit, ut Appianus est author. (b)

(a) De Bel. Civil. lib. p. cap. 14.

(b) De Bel. Civil. lib. 2.

Ante Xpti. 42. III. Redux e Pharsalico, & Alexandrino prælio Cæsar, rebus in Urbe compositis, ad sedandas in Africa turbas victorem exercitum e Rhegio Messanam traduxit, subindeque Lilybœum oppositam Africæ Urbem contendit. In qua forte profectione Siculos sibi semper devotos variis privilegiis, ac Latinitate præ cæteris donavit, ut Tullius scribit (c) Scis, inquit Attico, *quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem. Multa illis Cæsar neque me invito, & si Latinitas erat non ferenda.* Latinitas porro, seu Jus Latii, quod Provinciis quandoque optimè de Republica meritis dabatur, Jus erat Magistratuum Romæ petendorum, & capiendorum, ut Sigonius testatur (d) Quos sane Magistratus Ædilitatem, Quæsturãque fuisse ex Strabone eruit, *Illud igitur,* concludens, *perspici non obscure potest, Jus Latii fuisse, ut qui Latino in oppido, aut Jure Latii donato Ædilita-*

(c) Ad Atticum lib. 14. Epist. 12.

(d) De Antiquo Jure Ital. lib. p. cap. 4.

dilitatem, *aut Quæsturam gessisset*, *Civis Romanus esset*. Cæterum Cæsaris munificam elargitionem de Jure Latii Siculis fuisse abrogatam, censet idem Sigonius (a) quamquam mortuo Cæsare nihil eorum, quæ ipse gesserat, rescissum fuisse e Senatu Dio Cassius referat. (b)

(a) De Jure Prov. lib. p. cap. 5.

(b) Rom. Hist. lib. 44.

IV. Effloruit per id tempus L. Manlius de quo hæc scribit Cicero ad Acilium Siciliæ Proconsulem: *L. Manlius est Sosis* * *Is fuit Catinensis*, *sed est una cum reliquis Neapolitanis Civis Romanus factus*. (lege Julia, quæ belli Italici tempore Civitatem cunctis Italis arma deponentibus largita est) *Decurioque Neapoli*. *Erat enim adscriptus in id Municipium ante Civitatem Sociis*, *&* *Latinis datam*. *Ejus frater Catinæ nuper mortuus est*. *Nullam omnino arbitror de ea hæreditate controversiam eum habiturum*, *&* *est hodie in bonis*; *sed quando habet præterea negotia in* Sicilia *sua*, *&* *hanc hæreditatem fraternam* *&* *omnia ejus tibi commendo*; *In primis ipsum virum optimum*, *mihique familiarissimum*, *iis studiis litterarum*, *doctrinaque præditum*, *quibus Ego maxime delector*. *Peto igitur abs te*, *ut cum*, *sive aderit*, *sive venerit in Siciliam*, *in meis intimis*, *maximèque necessariis scias esse*; *Itaque tractes*, *ut intelligat*, *meam commendationem sibi magno adjumento fuisse*. Acilium Siciliæ Proconsulem egisse sub Cæsare, ex aliis ejusdem Tullii Epistolis etiam colligitur.

Pau-

* *In ea* Urbe *Asiæ*, *inquit Fabrinus in com. ad Epis. quæ & Susa dicitur*. *Sed alii cognomen esse Manlii credunt*. *Lapis Sepulchralis olim inventus extra Stesichori Portam Sosiam Familiam Catanæ extitisse arguit*.

V. Paucis antequam Cæsar occumberet Mons Ætna horribile eructavit incendium hinc Virgilius. (*a*)

..... *Quoties Cyclopum effervere in agros*
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumque globos liquefactaq. volvere saxa

(*a*) In Georg. lib. I.

In quem locum Servius ex Livio tradit, quod *tanta flamma ante Cæsaris mortem ex Ætna defluxit, ut non tantum vicinæ Urbes, sed etiam Rhegina civitas efflarentur*. Livii autem liber cētesimus sextus decimus, ex quo eruit Servius, periit, atque hujusce Incendii historiam nobis eripuit.

Ante Xpū. 39. VI. Jam vero Cæsaris mors, qua debuit civile bellum extingui, longe majori incendio materiam ministravit, quod & Provincias passim omnes invasit, unius quippe loco plures Reipublicæ emersere Tyranni, Antonius in primis Cæsaris in Consulatu collega, qui, quasi hæres non facultatum modo ipsius, sed & potentiæ relictus esset, Octaviano veluti adolescente, rerumque imperito despecto, eousque animi continentiam exuit, ut tabulis Cæsaris in suam potestatem redactis, multa ex illis deleret, multaque vicissim in eas inferret, aliis Magistratus, & pecunias adimeret, quasi ex Cæsaris mandatis ea agens, aliis sibi faventibus tribueret, ut Dio Cassius testatur (*b*) Neque his contentus multa privatos homines, populosque expilavit, Regibus aliis terras, aliis libertatem vendidit, Provinciis jus Civitatis, atque immunitates accepta pecunia concessit, quas inter Sicilia fuit, ut Tullius verbis illis ad Atticum innuit, (*c*) *Ecce autem Antonius, grandi accepta pecunia, legem fixit a Dictatore Comitiis la-*

(*b*) Rom. Hist. lib. 44.

(*c*) Lib. 14. Epist. 12.

tam

tam, qua Siculi Cives Romani, cujus rei vivo illo, ideſt Cæſare, *mentio nulla*. Sed hanc minime obſervatam ex multis documentis probat Sigonius (a)

(a) De Jure Prov. lib. p. cap. 3.

VII. Triumviratu inſtituto in celebri illa totius Romani Imperii partitione Siciliæ Inſula Octaviano Cæſari obtigit, quam Sextus Pompejus Magni filius mox occupavit. Hic e prælio Hiſpanico profugus, aliquandiu hoſtes ſuos latuit, quumque Cæſar in Italiam ſeſe recepiſſet, viribus inſtauratis Betica expugnata Aſinium Pollionem Cæſaris Præfectum in fugam egit. Tum, Cæſare occiſo, Lepidi ſuaſionibus Hiſpania excedens navali præfectura a Senatu donatus, bona etiam hæreditaria eſt aſſecutus. *Sed quum ei Octavianus Ceſar*, inquit Dio, *eam præfecturam ademiſſet, nihilominus naves retinens fuit auſus in Italiam navigare, mox quum eam Cæſar occupaſſet, ſe autem inter ſuperioris Cæſaris occiſores damnatum, proſcriptumque intelligeret, deſperato in patriam reditu, ad bellum ſe inſtruxit, prædones maritimos ſocios ſibi adſcivit, ejectos patria ſuſcepit, rebuſque proſpere ſuccedentibus in Siciliam navigavit*. Ac Mylas primum, Tyndaridemque facili negotio, Meſſanam vero inita cum Bithynico Siciliæ Proconſule ſocietate obtinuit, Syracuſas ſubinde, ac nonnullas alias, Catanamque ſubegit, ſuppetiaſque ab ipſis extorſit, ſed Catanam nimis Cæſari ſtudentem, ac Centoripem vel maxime vaſtavit. Ante Xρῦ. 38.

VIII. Deſpexerat Pompejum aliquandiu Cæſar aliis diſtractus curis, ſed quum fames in Urbe graſſaretur, atque Italiam quoque ille attentaret, claſſe parata, cum ingenti exercitu Salvidienum Rufum præmiſit Rhegium. Hic Pompejum

pejum

pejum ab Italia feliciter expulit, sed congredi navali prælio ausus, ut in Insulam transmissionem tentaret, victus, cum reliquis navibus Jonium mare trajecit, totius Siciliæ Imperio Pompejo relicto, qui tanta auctus gloria Neptuni se filium appellavit, cusis numis cum epigraphe: *Præfectus Classis, & Oræ maritimæ*. Quamvis Placidus Reina hos numos post initam pacē cusos Messanæ credat (*a*) Pax hæc à Cæsare, & Antonio Romani populi precibus, ac pene vi, Pompejo data: *Asperiùs enim*, inquit Appianus (*b*) *fames Urbem invaserat, nullis ab Oriente negotiatoribus, ob Pompei timorem adnavigantibus, neque ab Occidente, ob Sardiniam, & Corsicam, quas ille obtinebat*. Igitur de conditionibus pacis quum esset primum per Legatos actum, apud Misenum Octavianus Cæsar, Antonius, & Sextus Pompejus convenere, atque inter alia decretum, ut quinquennale esset Pompejo imperium in Sicilia, Sardinia, & Achaja. Plutarchus (*c*) *Conventum est*, inquit, *apud Promontorium, & Agerem Miseni, Pompejo classe, Cæsare & Antonio terrestribus copiis adstantibus; ea conditione pax confecta est, uti Pompejus Sardiniam, & Siciliam obtineret, mare prædonibus purgaret, certamque frumenti mensuram Romam mitteret*.

Ante Xpū 34.

(*a*) *Not. Messan. par. 1. f. 357.*

(*b*) *Belli civilis lib. 4.*

(*c*) *In vita Antonii.*

IX. Pacem ingens totius Italiæ, ac utriusque exercitus plausus excepit, sed anno vix elapso omnia denuo turbata sunt, itaut acriùs hinc inde ad arma Cæsar, & Pompejus insurgerent, mutuisque sese præliis conficerent. Et principio quidem Pompejo bene omnia cedere visa sunt, victusque Cæsar, ac magna insuper tempestate collisus, classem amisit, ita ut Siciliæ potiundæ spe abjecta, contentus fuerit Italiæ, & conti-

nentis oram maritimam tueri; sed bello instauraro, classeque, Agrippę ope, sequenti anno restituta, pedestribus copiis in Siciliam traductis, variâ fortunâ Cæsar terra, marique pugnavit. Dum hæc agerentur Ætna mons maximo incendio conflagravit, quod nedum Siculos, sed Cæsaris, ac Pompei milites ingenti timore affecit. De eo sic Appianus (a) *Facti sunt etiam Ætnæ horrendi fremitus, & longi mugitus; excandescentibus & ignibus, exercitumque fulgore terrentibus; adeout Germani e cubilibus præ timore prosilirent, nec amplius incredibilia viderentur Ætnæ miracula, & inter cætera illud de torrente igneo.* Quæ sane innuunt, Ignes non longe a summo Cratere, seu vertice defluxisse. Militibus enim circa Myconicum collem degentibus torrens igneus est visus. Collis ultra Messanam à sinistra parte faucium Mylensium inter Pelorii, seu Neptunii montis juga extenditur juxta Cluverium; ex eo autem nonnisi Montis vertex intuentibus objicitur.

(a) Belli Civilis lib. 5.

X. Quum porro Cæsar Taurum ducem emisisset, qui commeatus hostibus intercipere, ac Urbes necessaria illis ministrantes invaderet, quas inter Catanam credimus enumerandam, exagitatus Pompejus, summo prælio de omnibus decertare instituit; veritus autem Cæsaris terrestres copias, quum classe longe superaret, legatos ad Cæsarem destinat, maritimumque prælium expostulat. Cæsar et si maritimis abhorreret, turpe nihilominus ducens bellum detrectare, conditionem accipit, statutoque die trecentis utrinque navibus congrediuntur, exercitu ad littus spectante. Dubia aliquandiu victoria hæsit, sed Pompejanis tandem in fugam versis, ad

Cæ-

Cæsarem inclinavit, qui ea bene usus, Messanam à Lepido jam occupatam trajecit, quam brevi obtinuit. Pompejus rebus desperatis, noctu nemine insequente abiit, atque in Bithyniam navigavit: ubi nondiu post à Titio Antonii duce circumventus occiditur. Agrippę postmodum honores à Cæsare decreti, ac numi cusi, quos passim obvios habemus, ejus enim virtuti partam victoriam ille retulit; Urbes Siculæ, quæ ultro deditionem faciebant, veniâ donatæ; in eas vero, quæ resistebant, vindicatum est.

XI. Catanenses in Pompejum conjurasse cum Centoripinis, ac Syracusanis Strabo non obscure innuit: (a) *Hanc Urbem verò, ideſt Syracusas, & Catanam Cæsar Augustus refecit, sicut Centuripa, cum illa ad Pompei destructionem plurimum attulisset adjumenti; supra Catanam enim Centuripa jacet Ætnæis propinqua montibus, fluminique Symetho agrum Catanæum influenti.* Crediderim Pompejo necessaria ad victum nostros denegasse; scribit enim Dio Cassius, quod nedum pecunia, sed alimentis etiam, antequam cum Cæsare congrederetur, Sextus destituebatur; sicque ad ejusdem ruinam viam parasse, plurimumque adjumenti attulisse. Ob id post aliquot annos Catana à Cæsare Romanorum Colonia aucta est. Unde laudatus Strabo, *Messana*, ait, *satis frequens, frequentior autem est Catana, quæ colonos accepit Romanos; minus utraque frequentatur Tauromenium.* Et Ptolomęus, ac Plinius Coloniis ab Augusto in Sicilia constitutis Catanam accensent. De his Coloniis Dio Cassius loquens, *Augustus*, inquit, (b) *in Siciliam profectus est, ut eam, & omnes alias ad Syriam usque Provincias constitueret.* Et paullo post: *Rebus itaque in Sicilia ordinatis*

(a) de situ Orbis lib. 6.

Ante Xpti 17.

(b) Rom. Histor. lib. 54.

natis, Syracusisque & aliis quibusdam Urbibus Coloniæ Romanorum ut essent, destinatis, in Græciam transmisit. Signanter autem de Catanensi Fazellus (a) *Cum postea Octavius, mutata Reipublicæ fortuna, orbis suscepto imperio Augustus esset cognominatus, Centuripen, & Catanam, quæ ad Sexti Pompei destructionem contulerant, reficit*.

XII Colonias porro per universam Romani Imperii ditionem ab Augusto deductas tot sanè legimus, ut Deductoris nomen, quod sibi Coloniæ assumpserant, Senatus decreto illi obveniret; adsignata enim toti terrarum orbi pace, milites pene omnes, qui sub Antonio, & Lepido demeruerant, nec non suarum Legionum emeritos, Colonos fecit alios in Italia, ubi duo de triginta Colonias instituit, alios in aliis provinciis; easque Urbes, quæ olim deductæ a Consulibus fuerant, dato iterum Coloniæ nomine ampliavit; sicque plura Urbis Romæ simulacra ubique gentium exhibuit. Coloniæ siquidem Aulo Gellio teste (b) jura atque instituta omnia populi Romani habentes, (*quæ conditio certe, & si esset minus libera, ac magis obnoxia, potior tamen et præstabilior extimabatur propter amplitudinem et majestatem Populi Romani*.) veluti parvæ effigies Urbis esse videbantur. Quod si ulterius in illorum mentem, qui primas deduxere, penetrare velimus, facilius Augusti finem in tot fundandis coloniis adsequemur. Ex his enim quinque caussis, ut Nicolaus Bergerius scribit (c) a S. P. Q. R. illæ creduntur institutæ: *Primo ut Provinciales ac subiecti in officio continerentur. 2. ut subitis hostium incursionibus veluti totidem Arces, & Propugnacula Imperii Romani opponerent. 3. ut Romanus sanguis undique propagaretur. 4. ut plebs inops, de-*

(a) *Dec. 2. lib. 5. cap. 2.*

(b) *Noc. Atticar. lib. 19. cap. 15*

(c) *de viis Imp. Ro. lib. 4. sec. 8*

ac Urbi imperanti gravis sic exhaurietur. 5. *denique, ut militibus emeritis præmia largirentur*: Ex quibus quidem hæc ultima Augusti animum vel maximè impulit; unde Coloniæ ab ipso deductæ militares a Velleio appellantur (*a*)

(*a*) *lib. 1. cap. 14.*

XIII. Sigebertus Avercampus de numis Catanensibus differens, aliquot illorum Augusti tempore cusos dicit a Colonis, eos vel maxime, qui conicas habent in postica facie figuras. En illius verba (*b*) *Lapsis Siciliæ rebus, ad Romanos cum fructu sese applicuit Catana, & Octaviano adherens, Pompeii furorem magnis beneficiis compensatum a victore Augusto sensit. Hinc multos illi dicavit nummos, nec simpliciter Greca arte adulata est; nunc enim sub Apolline eumdem veneratur, & in plerisque illorum ejusdem victorias celebrat*: (*In iis enim nummis conicas illas figuras designare puto, idem quod in aliis legitur nummis Siculis* Imperator I. II. III. *nunc Venerem Genitricem cum columba sua exprimentes, nunc ipsum Imperatorem tamquam verba ad illos facientem. Sed nec Agrippæ obliti fuerunt, memores tamen a Cæsare suo non esse divellendum, quos utrosque tamquam Pastores suos sunt venerati, immo tamquam Deos Palicos signatè impresserunt*. Sed hæc uberius, ubi de numismatis explicanda.

(*b*) *Introduc. ad Numism. Cat.*

XIV. Dum sub Augusto externa pace Sicilia frueretur, Seleurus quidam, qui se Ætnæ filium dictitabat, ex montis accolis justo tantum non exercitu collecto, per totam pene Insulam, sed frequentius circa Catanam, ejusque fines rapinis, cædibus, ac vastationibus debacchatus, tandem a Romano Prætore, milite atque armis in eum motis, subjicitur, ac Romam missus in Gladiatorum publico foro bestiarum morsibus est

laceratus. De eo Strabo, qui ætate sua damnatum Seleurum scribit (*a*) *Nuper etiam ætate nostra Selurus quidam, qui sese Ætnæ filium prædicabat, exercitus ductor, cum diutius circum circa Ætnam loca prædator discursaret, missus est Romam, ubi in foro gladiatorum certamine instituto, belluarum eum morsibus discerpi, laniarique spectavimus. In sublimi namque ad id compacto positus ædificio, per inde ac in Ætna, cum de repente dissolutum una concidisset, in insolubiles belluarum cavas ad hoc ipsum præparatas præcipitatus est.* Hinc Philotheus Seleurum,(Lucium appellat) sub Tiberio reponit, quod Strabo Tiberii tempora sit assecutus. Verùm sub Augusto potius cum Fazello ille locandus; nam Augusto etiam imperante adultus erat Strabo, atque quum orbi tranquillitatem Augustus fecisset, terram Strabo peragravit, quam suis in libris postea descripsit.

a de situ Orbis lib. 6.

XV. Urbis conditæ anno septincetesimo secundo Olympiade cxciv. ab ortu mundi termillesimo noncentesimo nonagesimo nono Augustus provinciis omnibus compositis, ac Romani Imperii hostibus undique superatis, pace terra, marique parta Janum clausit; hanc Jesus Christus verus Dei, atque Hominis filius e Virgine conceptus, suo adventu piissimo consecravit, cuius deinceps Ærã sectando, Annos à mense Januario inchoabimus, hactenus enim a Septembri auspicati sumus. Hæc porro Æra quadriennio post veram Christi Domini nativitatem suum habet initium, ac Vulgaris ab Historicis appellatur. In hunc eumdem annum definit Catanensis Historia ab Eruditissimo Petro Carrera summo ingenii acumine adornata; quem, sicubi a recto veritatis tramite minime aberrantem deprehendi, libenti animo

mo, ſeduloque ſtudio ſectatus ſum; in quibuſdam vero modeſtè emendavi, ac notavi, non ea quidem contradicendi libidine (hanc enim procul habui) qua pleroſque ſcriptores laborare probè novi, ſed ut veteres Patriæ faſtos longe majori luce donarem; nonnullas denique ejuſdem divinationes potius, quam conjecturas, ac ea ferme omnia, quæ ex Diodori Epiſtolis recitat, facinora, penitus diſſimulavi; neq: enim ampulloſam, ſed ſolidam conſectamur gloriam; nec indiget illuſtris Catana fucatis, aut adſcititiis quũ veris ac propriis abundet laudibus.



Non ſumus ignari multos ſtudiosè contra eſſe dicturos; quod vitare nullo modo potuimus, niſi nihil omnino ſcriberemus.

Cic. Tuſc. lib. 2. initio.



LIBER



CATANÆ ILLUSTRATÆ LIBER TERTIUS

CAP. I.

CATANA SUB ROMANIS PRINCIPIBUS POST CHRISTUM NATUM.

Anno Xpti 14. I Moriens Auguſtus, quoniam ſiniſtra fortuna, ut ipſe ait, (*a*) Cajum, & Lucium filios ſibi eripuerat, ſupremis tabulis, ut Liviæ uxori morem gereret, Tiberium Claudium hæredem inſtituit, quem mox Senatus callida cunctatione reſpuentem Auguſtum nominavit. Sub ejus Imperio Chriſtus Dominus, ut mortis vincula rumperet, Crucis mortem oppetiit, exurgenſque die tertia, diſcipulos ad Legem Gratiæ evulgandam per univerſum terrarum Orbem emiſit.

(*a*) *Sueton. in Tib. cap. 23. & 24.*

37. II Poſt Tiberium Cajus Caligula Germanici Optimi Patris peſſimus filius dominatum Reipuplicæ invaſit, eumdemque moribus maliſque actibus fœdavit. Hic in Siciliam ſemel, & iterum venit, ac primò (*b*) Ludos Aſticos (Actiacos legunt alii) Syracuſis exhibuit, ejuſque mœnia ac templa reſtituit, hinc irriſis ex Deorũ contemptu nonnullis miraculis, quibus Sicilia abundat

(*b*) *Sueton. in Cajum Calig. cap. 20. & 51.*

undat, alicubi observatis, quum Ætnæ fumum *Anno Xpti.*
vidisset, mugitus ac tonitrua persentisset, repente Messanâ solvens noctu profugit pavefactus. Ætnæ fumum in itinere, quo Syracusis Messanā advehebatur, conspectum ab eo credimus.

III Annum XLII. Catanæ faustissimum S. 42.
Berylli adventu nonnulli ex nostris putant (a) Pirrus de anno incertus appulsum hujusmodi nōmultum abfuisse ab anno XLIV. scribit (b) cui Cajetanus adhæret, (c) Baronius in annum XLVI. rejicit, sed in Baronii Historiam circa annorum notas error irrepsit, ut Pagius, & alii advertunt, hinc XLVI. anno XLIV. respondet. Id citra 44.
dubium Beryllum post Pancratium, & Martianum a S. Petro Apostolorum Principe, quum nondum adhuc Romam venisset, Catanam directum tertiam ibi inter Siculas fundasse Ecclesiam. *Beryllum Catanæ Episcopum a Petro Apostolo ordinatum Martyrologium Romanum, cæterique scriptores, & Menologia testantur. Addunt Græcorum Menæa fuisse Beryllum genere Antiochenum, & B. Petri discipulum, cum eo in occidentem venisse, atque ab Apostolo delectum Catanensi Ecclesiæ regendæ. Mihi verisimile est hoc anno id factum, qui fuit Christi 44. dum Petrus Apostolus Tauromenii versaretur, hinc Beryllum Antiochenæ navigationis socium ab Apostolo Catanam missum, urbem Tauromenio proximam, claramque, & multis rebus merentem. Inde Catanensis Ecclesiæ antiquitas cognoscitur, quæ quatuor post Syracusanam, & Tauromenitanam annos, tertio loco fundata est.* Hæc Cajetanus (d) sed an ante Beryllum fides Catanæ affulserit opera Pancratii, aut Martiani incertum. Idem Cajetanus (e) *Existimo Beryllum, quem suæ navigationis*

(a) *Grossi Catan. Sac. §. p.*

(b) *Not. Eccl. Cat. lib. 3.*

(c) *In Vitis SS. Sicul. tom. p. Isagog. cap. 15.*

(d) *In Isagog. ad Sic. Histor. cap. 18.*

(e) *SS. Siculor. tom. p.*

Anno Xpi. *tionis socium detulerat B. Petrus, Tauromenii substitisse, atque inde in propinquam Catanæ* Urbem
44. *Evangelii lucem vel primum intulisse, vel si fortè jam effulserat longe, lateque auctam effudisse.* Ferrarius vero in Sanctorum Catalogo: *Beryllus Antiochenus B. Petri Apostoli discipulus cum eo in Siciliam veniens, Catanæ Primus Episcopus ordinatur*. At lapsum Ferrarium scribit Grossus (*a*) Beryllum cum Apostolorum Principe minime in Siciliam venisse asserens, sed ab eo Antiochiâ missum. Id autem unde eruerit nescimus. Potuit enim vel in prima Antiochena profectione anno circiter XL. vel in secunda, postquam e manibus Agrippæ elapsus, secundo Antiochiam invisit, anno XLII. Beryllum dirigere; potuit & in sua Romana profectione secum illum adducere, ut Menæa Græca innuere videntur, & Cajetanus, Ferrariusque scribunt.

(a) Cat. Sacr. §. p.

IV Cæterum ex his nedum hujus nostræ Urbis felicitas, sed & præstantia elucet. Apostolum quippe in constituendis primis illis Ecclesiis in id animum præsertim adjecisse advertit Baronius (*b*) ut florentissimæ tantum urbes Episcopali dignarentur honore: *Sanè decuit*, Pirrus erudite suo more, (*c*) *ut huic Urbi Catanensi adeo nobili, atque celebri Antistes daretur ab Apostolo Petro, ut inde facilius, ac felicius ad reliquas Urbes Christiana Religio deduceretur; id enim maximè ipsum respexisse in constituendis Ecclesiarum Sedibus constat; Catanam vero quamflorentissima dignitate præstantem, Romanorum Prætorum sedem fuisse certum est*. Hæc ille. Hinc Catanenses Pontifices Archiepiscopali honore donatos ex hac ipsa eorum institutione ab Apostolo liquet colligere: *Apostolorum Successores*

(b) Ad annum 46. tom. p. Annal.

(c) Not. Eccl. Cat. lib. 3.

cessores; inquit Rupertus de divin. offic. apud (a) Pirrum, (a)*Patriarchæ sunt dicti, Petri autem Successor pro excellentia Principis Apostolorum Apostolicus nominatur; qui autem ab eis*, scilicet S. Petro, aliisque Apostolis, *per Provincias missi sunt, tam ipsi, quam Successores eorum Archiepiscopi vocantur*.

(a) *Not. Eccl. Panormit. lib. p.*

V. Sed jam de Berylli prædicatione, ac felici morte hæc habet Martyrologiū Romanū die XXI. Martii: *Catanæ S. Berylli, qui a B. Petro ordinatus Episcopus, cum multos gentilium convertisset ad fidem in ultima senectute quievit in pace*. Græcum vero Menologium: (b) *Beryllus Antiochenus B. Petri discipulus ab eo in Siciliam missus veniens, Catanæ primus Episcopus ab eo ordinatus, qui verbo, & exemplo populum sibi commissum erudiens ex gentilitate ad Christum convertit, prædicationem miraculis comprobans, cumque ad summam senectutem pervenisset, Ecclesiā Catanensium optimè constitutā, ad cælestem Patriam evolavit* 12. *kal. Aprilis*. Fusius denique Cajetanus in Vitis Sanctorum Siculorum (c) ubi hæc inter alia ex Græcis Menæis scribit: *Acta quæ Berylli vitam, sanctissimosque mores declarēt, non habemus, sed in Græcorum Menologiis, ubi, quæ maxime insignem reddidere Sanctum hominem, brevissimo compendio tradi solent*, de S. Beryllo *ad diem* 20. *Martii hæc leges* (*cum rectè ac sanctè gregem suum pasceret, atque multa miracula operaretur plurimos ad Christi fidem convertit*) *Celeberrimum vero oportet fuisse prodigium illud, quod in ea brevissima rerum summa cæteris posthabitis in eodem narratur Menologio*. (*Fons erat amarissimā manans aquā, sed dulcissimo Dei nomine per preces implorato quidquid ibi salsum amarumve inerat* 44.

(b) *Apud Grossum Cat. Sacra §. p.*

(c) *Tom. p. fol.* 18.

Anno Xpi. 44. *inerat, exterfum eft.) Iterato plane magni Elifæi miraculo, qui aquas fanavit Jericuntinas. Subdit ibidem Menologium eo prodigio attonitum Græcum hominem Idololatriæ apprimè deditum, & cum eo plerofque alios Chriftianam fidem lubenti animo fufcepiffe... Græcum hunc hominem ad fidem traductum facile quempiam ex Attica regione exiftimo; nam quamvis tunc Siculi Græcis adnumerari facile poffent, quorum idiomate uterentur, fæpe tamen Græci dicuntur, qui Gentiles Ethnicique funt, & hìc exterum hominem, fed infignem Menologium indicat. His clarus facinoribus Beryllus extremam attigit fenectutem, quod divina quadā providentia in plerifque Ecclefiæ luminibus primo illo Ecclefiæ ævo contigiffe certum eft; ne fcilicet fides adhuc in cordibus hominum adolefcens, fi magiftris deftitueretur, vel detrimentum caperet, vel nimis inufitata Providentiæ ratione fine præceptorum induftria promovenda effet.* Eadem omnino habet Martius a Clemente XI. dum in minoribus effet, e Græco in Latinum tranflatus.

VI. Ad Beryllum fpectat antiqua illa traditio, quæ apud noftros invaluit: de S. Petri adventu Catanam, ad quam aliquando divertiffe, dum e Syria Romam navigaret, vel circa an. XLIV. ut docet Baronius, vel anno XLVII. ut Pagio arridet, firmiffime credunt, ac uberrimum animarum fructum Beryllo olim difcipulo gratulatum, Templum inanium Deorum cultui addictum, vulgo Pantheon, uni Deo, ejufque SS. Genitrici, ac Virgini dicaffe, affirmant. Meminit hujus traditionis Rocchus Pirrus: (a) *Hac forte occafione ablato vetuftatis errore S. Petrus Apoftolus primum Catanæ Templum Dei Genitrici dedicavit, ut fama narrat.* Cajetanus animi

(a) Not. Eccl. Cat. lib. 3.

animi ambiguum se esse circa illam fatetur: (a) *Pertransierit ne Catanam, Petrus, Urbem Tauromenium inter, & Syracusas, firmare, aut divinare non ausim.* Præ aliis vero firmiorem Thomas de Angelo credit (b) *Ex Scriptoribus Siculis, quilibet Patriæ prospiciens Petri inde excursum ad alias Civitates, & missos aliò Episcopos obtrudit, vel hariolatur; Suam Messanam adiisse censet Morabitus; Syracusas suas Cajetanus; Agrigentum misso Libertino gloriatur; Panhormus Philippo, sed unius Catanæ traditio firmior, quod Beryllum Episcopum suscepit.*

(a) Isagog. ad Sicul. Hi. cap. 18. n. 3.

(b) In Ann. Hist. Crit. Sicul. lec. p. §. 1.

Anno Xpi. 44.

VII. Eamdem denique multis firmat Grossus, Petri enim appulsus in Siciliam adstruitur primo ex Metaphraste Orat. de SS. Petro, & Paulo ad diem 29. Junii, cui subscribunt Baronius, Vincentius Bellovacensis, Ugo Etherianus, Guillelmus Spirensis, Galesinus, Spondanus, & ex nostris pene omnes cum Cajetano in Isagoge, & in Vitis SS. Siculorum. (c) His accedit Nicephorus longe majoris authoritatis, qui ex eodem Cajetano *post constitutam in Sicilia Ecclesiam Romanæ navigationis a S. Petro susceptæ meminit.* Scio Baronium (d) singula, quæ Metaphrastes in ea congerit oratione, nō approbare, multa prorsus rejicere. At Siculas Traditiones sicut & aliarum Ecclesiarum, quāvis nulla scriptura firmatas, nec rejicit, nec falsitatis arguit. Quod vero ait Palatius: (e) *Scripta Metaphrastis de S. Petro nullo testimonio antiquo probari*, ultro fatemur; at plura majoribus olim explorata, nunc nobis obscura ob veterum monumentorum jacturam, nemo non novit. Denique ex antiquioribus cartis exscripsisse Metaphrastem ea, quæ de S. Petro refert, Baro-

(c) Isagog. cap. 17. & in vit. SS. Sic. tom. p.

(d) Ad Annum 44 n. 11. & 18.

(e) De Rom. Pont. tom. p. de S. Petro.

Anno Xpi. 44. Baronius ipse testatur ad eumdem annum XLIV.

VIII. Hinc optime conjectare licet, quod & Catanam, ac Syracusas, & Tauromenium, ubi Episcopos constituerat, inviserit Apostolus, ibique Apostolici zeli monumenta reliquerit. Sane id innuit Ciaconius illis verbis: *Cum autem Philippis Olympium Episcopum constituisset, & Tessalonicæ Jasonem, & Corinthi Silanum, migravit in Siciliam, cumque pervenisset Tauromeniū, diversatus est apud Pancratium virum Sapientissimum. E Siculis Neapolim in Campania appellentem &c.* Quod enim ait, migrasse in Siciliam, forte intellexit, aliò, Syracusas scilicet, primo pervenisse, inde Tauromenium ad Pancratium divertisse. Accedit Constantini Cajetani Bened. Casinensis conjectura, qui in Vita S. Gelasii Papæ S. Petrum Syracusis versatum refert, unde Tauromenium migravit. Constat autem eunti e Syracusis Tauromenium terrestri, aut maritimo itinere Catanam stationem esse.

Ad Ann: 44: de S:P: tom:p:

Fol: 116:

IX. Nec negotium facessit, quod traditio subjungit de Templo Pantheon in honorem Virginis addicto; quandoquidem adhuc viventi Deiparæ Ecclesias dicatas legimus; ut probant quāplures, quos congerit noster Grossus (*a*) Quod si navigationis Romanæ tempora ad mentem Pagii emendemus, ac in annum XLVII. rejiciemus Petri in Urbem adventum, potuit id Tēplum Virginis jam in Cœlum assumptæ nomini, ac numini consecrari, juxta nonnullos enim vix illa sexagesimum ætatis annum attigit. Vide Baronium (*b*)

(a) Decacor: Cati Card: 2: mod: p:

(b) Ad Annum 48. num: 4: & seq:

X. De S. Pauli Apostoli appulsu Catanam forte aliquis Patriæ studiosus conjecturas me hìc omittere causabitur; At quænam istæ nū

m. s.

m. s. Codex apud Urbem inventus, ex Epimenide, & Ferecide Chaldaico idiomate conscriptus, dein Græce redditus, aliisque notitiis auctus ab Orophone Ævi Rogerii Comitis scriptore, demum latinitati donatus a Gerardo de Palestina, atq: a nostris Grosso, (a) et Guarnerio quoad res tantum Catanenses vulgatus? Sed fabulæ prorsus, fabulæ; ut pudeat nedum exscribere, sed & legere, quæ otiosus aliquis, Reipublicæ litterariæ pestis eo in libro commentus est. *Anno Xpi.* 54.

(a) *Decacor. Cat. corda 6. mod. 12.*

XI. Quæ huc usque protulimus Claudio Principe sunt gesta, Caii Caligulæ successore, sub quo deductas Religionis Christianæ colonias per universam Siciliam à Martiano, Pancratio, nostro Beryllo, aliisque Episcopis, censet Cajetanus. Claudio sublato XIII. Imperii anno Nero Agrippinæ filius successit, qui Seneca, & Burrone optimis ministris principio Imperii usus optimus Princeps, mox ad mores, et instituta Caii conversus, illum ut primum imitari statuit facillimè superavit, adeout post immania ac turpia, monstro, quam homini similior, Patriæ faces sola nocendi libidine, submitteret, facinorisque authores Christianos falso rumore vulgaret, in quos proinde cum Romæ, tum in aliis Provinciis ejusdem decreto sævitum est. 64.

(b) *Sueton. in Neronem Dio Cassius Rom. hist. lib. 26. Tacitus lib. 15.*

(c) *Ibid. cap. 26.*

XII. Atrocissimam Neronis persecutionem in Sicilia fuisse multis ostendit laudatus Cajetanus, et in suis Annalibus Thomas de Angelo, in qua forte passionis triumphum sunt assecuti ss. Martyres Stephanus, Pontianus, Actalus, Fabianus, Cornelius, Sextus, Flos, Quintianus, Minervinus, et Simplicianus, ut idem de Angelo subdubitat, & Cajetanus se nescire scribit. Agit de his Romanum Martyrologium pridie

Anno Xpi. 68. pridie Cal. Januarias, at, qua Tyrannorum persecutione gliscente, quibus tormentis, quove mortis genere martyrium subierint, non aperit. Aliud Martyrologium, quod S. Hjeronymi nomine insignitur, enumeratis juxta Romanum, alios undecim Martyres, ac quinque fortè virgines seu fœminas adjungit. *In Sicilia Provincia Civitate Catana Stephani, Pontiani Attali, Fabiani, Cornelii, Sexti, Floridi, Cottæ, Quintiani, Minervini, Symphoriani, Ammonii, Fortunati, Secundi, Sequentis, Amonis, Caledonis, Evelpisti, Exuperantii, Saturnini, Agnetis, Paulinæ Donatæ, Nominandæ, Rogatę, & Semnionis*. In Bedæ demum Martyrologio *Donati ac Pauli* etiam fit mentio. Cajetanus ex Philostrate, Siciliæ Civitates circa hæc tempora inter se diffidentes, non aliam ob caussam inducit, quam fidei Christianæ, ac persecutionis Neronianæ. Potuit hæc igitur, quæ plures in Sicilia Urbes afflixit, ut vidimus, multosque Christianorum glorioso affecit Martyrio, & nostros auferre. Neque enim est, cur primo illo Ecclesiæ sæculo Catanam tanto honore fraudemus; ferventibus maximè sub præceptore Beryllo fidei Christianæ studiis, quę altas egisse radices duodeviginti annorum spatio oportuit, ut idem Cajetanus affirmat. Cæterum in tam obscura temporum caligine, certi aliquid decernere quis umquam ausit? Quum potissimum igne consumptis, Diocletiani edicto, sæculi quarti initio, Sacris codicilus, innumera Sanctorum Acta, Fastosque periisse doleamus.

69. XIII. Annus à Christo nato nonus, & sexagesimus Urbis conditæ DCCCXXII. tres in Republica suspexit Principes, Sergium Galbam Othonem, & Vitellium, quo a militibus, mense

Imperii octavo, interfecto, Vespasianus Orbis regimen suscepit; huic vero decimo post anno Titus humani generis Deliciæ merito appellatus successit, qui aliquando e Palestina redux Siciliam invisit. Tito mortuo Domitianus ejus frater omnium nequissimus fasces obtinuit. Sub eo sævior Christianorum strages, qua sublatum Beryllum Catanensem Pontificem nonnulli tradunt. Quamvis alii ætate confectum in pace quievisse contendant. Præstat de hoc Berylli felici transitu Cajetanum audire, qui in ejusdem vita post relata superius verba varias recitans opiniones subdit: *Quo mortis genere ad vitam commigrarit Beryllus incertum est: In Romano enim Martyrologio ad 7. kal. Aprilis dicitur in ultima Senectute quievisse in pace; sed certaminis, atque adeo Martyrii meminerunt aliquot Menologia Græca, atque in primis antiquissimum illud, quod latinitati donavit Guillelmus* Sirletus *Cardinalis... ibi enim hæc verba leguntur: Certamen sacrosancti Episcopi Berylli Episcopi Catanæ. In aliis tamen Menologiis dicitur tantum migrasse ad Dominum, nec additur ea vox: In pace, quæ in Romano Martyrologio, ut dixi, legitur.*

Ann. Xpi. 70.

83.

93.

XIV. *De Sepultura idem Menologium ait, Beryllum in eadem Insula Siciliæ perhonorificè sepultum curationes, & remedia morborum omnibus, qui ad ipsum accedunt, usque in eam diem exhibuisse. Et quidem Catanæ sepultum arbitramur; quamvis vero Catanæ ædicula Beryllo dicata sit juxta veterem divæ Agathæ ædem, ejusque Carcerem, an ibi tamen defossus sit, nescimus. Quod de miraculis additur, ea perdurasse existimo usq: ad* Saracenicam *Siciliæ cladem, qua etiam occasione traditio memoriaque loci, ubi sanctissimæ ejus*

Re-

Ann. Xpi. 93. *Reliquiæ jacent, extincta est*. Huc usque Cajetanus, cujus ævo ædicula S. Berylli extabat, sed inter terræmotus ruinas ea periit. Sitam porro fuisse ajunt, ubi nunc Peristylium Conventus Fratrum minorum de Observantia prope Ecclesiam S. Agathæ Veteris; Hæc, quum esset de Jure Canonicorum, Laico Sodalitio ab iisdem Canonicis concessa diu a Laicis culta fuit, ubi & arca lignea ex nuce videbatur, in qua olim S. Agathæ Reliquiæ conditæ jacuerunt. Hodie Sodalitium sub nomine Berylli institutum tanti Præsulis memoriam servat in Ecclesia S. Mariæ Majoris sub titulo Orphanorum. Extat porro apud Bollandi Martium (*a*) disticon ad Berylli alludens Martyrium.

(a) Tom. 3. die 21. Martii

Cyrillus moriens dona duplicia tulit

Ut Dominus æquè passionum et dęmonum

Ubi Beryllum, notant Actorum collectores, appellari Cyrillum, quod a compluribus factum.

XV. Male porro ex hac circa Berylli mortem varietate arguit Thomas de Angelo (*b*) *illum eadem navi ferri* ac Maximum Tauromenitanum, et Libertinum Agrigentinum Episcopos a Cajetano inductos, quos omnino suo loco excidere, contendit, Libertinum in tertium Christi sæculum amandando, Maximum ex Actis Evagrii Synchroni Authoris expungendo; nam et si aliquid momenti videantur habere expensæ ab ipso rationes pro Maximo, ac Libertino; prorsus infirma Criticis censenda illa, quam pro Beryllo profert: *Acta ejus omnino obscura*; Angeli sunt verba, *mors, quæ cunctorum hominum clarior adhuc caligine interspersa... culpanda saltem scribentium incuria, quæ ad suspicionem solicitat*. *Non ergo purum inficiale argumentum*.

(b) Ann. sac. Sic. differt. 1. sec. 1.

Nemo

Nemo præter Metaphrasten, et qui, eo glaciem frangente, scripserunt, de tribus hisce Episcopis Maximo, Libertino, Beryllo temporibus Petri mentionem faciunt. Ergo recentiorum, qui memorant, testimonia suspecta; sed positiva quædam dubio adstipulantur; inde minoris ponderis eorum dicta existimari permittunt Critici. At qui ad Critices normam exigere non unius aut alterius, sed omnium Ecclesiarum nostræ hujus Insulæ antiquas traditiones, in animum induxit, non est cur genticis Messanæ suæ traditionibus ita deferat: *de Bacchylo ab Apostolo Paulo in Episcopum consecrato*, ut has solummodo firmas, aliis in dubium revocatis, obtrudat. Ann. Spi. 93.

XVI. Eadem traditio quæ de Bacchylo apud Messanenses, de Beryllo, Maximo, Philippo et aliis apud alias viget Ecclesias, aut ergo singulæ corruunt, aut nulla. Atque, ut hic nostras agamus partes (nam agat quisque propriam) si Berylli acta obscura, si mors caligine interspersa, numquid ergo inter Episcopos a *S.* Petro missos minime recensendus? Quot enim SS. acta periisse dolemus, quot nedum tenebris offusa sed et mendaciis interspersa? Verùm nec Berylli acta adeo obscura, quæ superius ex Cajetano retulimus, nec Metaphrastis testimonium adeo floccifaciendum, quod firmat in suo novo Martyrologio Romana Ecclesia; hanc autem non ex solo Metaphraste, sed ex Menæis ac Menologiis, quorum aliquot ante Metaphrastem exarata, (ut de Menologio sub nomine Basilii vulgato tradunt Eruditi, cujus postremos menses sex edidit Ughellius, alios vero e Græco in Latinum vertit Clemens XI. dum esset adhuc in ephebis, ac publici juris factos habemus opera

Ann. Xpi. 92. pera Annibalis Cardinalis Albani) hausisse, quæ de nostro Episcopo profert, negabit nemo.

XVII. Mirari certe subit, hæc *Angelum* scripsisse, qui paullo superius de Siculis Episcopis loquens: *Ex his omnibus*, ait, *extra suspicionis aleam viri Eruditi arbitrantur eos, quos Martyrologia, et Menæa ab Apostolis missos consignant. Hi Beryllus, Pancratius, Marcianus, Bacchylus. Tanti hæc quippe ponderis apud ipsos, ut pro adstruendo Martialis in Gallias ab Apostolis missi adventu, hæc legi satis existiment: Lemovicis* S. *Martialis Episcopi, qui Romæ a Petro Apostolo ordinatus Episcopus primus illius Urbis est destinatus.* Id quod Natalis Alexandri authoritate confirmat differ: XVI. sæculi primi. An forte pro Bacchylo suo hæc illi excidere? Post Thomam de Angelo novissimè Dominicus Leo Tauromenitanus oratione in Panormitana Academia habita unum Pancratium ab Apostolo Petro in Siciliam missum, ac Tauromenii Pontificem ordinatum adstruit; reliquos vero, quos inveterata Ecclesiarum traditio Apostolicos veneratur Episcopos, aut negat, aut in tertium rejicit sæculum. Sed illius rationes erudite quidem, indiscreta tamen licentia prolatas Claris: Antoninus Mongitorius, aliique variis dissertationibus ac vindiciis confutarunt; Siculasque alias Civitates longe Tauromenio præstantes jure merito id decoris sibi etiam vindicare demonstrarunt. Videsis, quæ Franciscus Serius nuper in hanc rem intrego volumine congerit. Jamvero ad institutum redeamus.

XVIII. Lætiori germine per omnes Siciliæ Urbes id etiam temporis erupisse Christi Domini Religionem censet Cajetanus in Isago-

(a) Cap. 6. ge (a) plurefque alios martyrio coronatos in Domitiani perfecutione tradit, fed quorum definiri gefta, aut nomina vix poffunt. Romanum Martyrologiũ quamplures in Sicilia paffos memorat, longe multos laudatũ S. Hieronymi, atque alia ab Acherio edita enumerant, fed de Perfecutore ubique filentium. Anno Xpi. 92.

XIX. Poft Domitianum Nerva Princeps optimus Rempublicam tenuit, quem non diu Roma meruit; poft hunc Trajanus, fub quo crudelius in Chrifti Fideles bellum indictum circa fecundi fæculi initium anno CIX. ut Pagio, & Baronio arridet; novifque triumphis Sicula Ecclefia decorata, illuftri præfertim S. Pancratii Tauromenitani Pontificis martyrio, quem ad hæc ufque tempora fuperftitem fingulari Dei providentia Nicephorus teftatur, quod idem de Beryllo non pauci tradunt, ut Cajetanus docet. (b) 96. 97. 109.

(b) De SS. Sicul. tom. p. XX. Adrianum Trajani fucceflorem cupido inceffit magnam orbis terrarum partem peragrandi. Hinc de illo Spartianus: *Peregrinationis ita cupidus, ut omnia, quæ legerat de locis orbis terrarum, præfens vellet addifcere*. Et Dio Caffius: *Socias Urbes*, inquit, *atque fubditas Romano imperio multo plures quam ullus umquam Imperator vidit*. Eodem igitur Spartiano tefte, ex Achaja *in Siciliam migravit*, *in qua Montem Ætnam confcendit*, *ut Solis ortum videret*, *arcus fpecie*, *ut dicitur*, *varium*. Haud porro dubium, quin Catanam proximam, & non ignobilem diverterit, unde facilis in Ætnam afcenfus; quod de aliis etiam celebrioribus Infulæ locis intelligendum, adeout Numi cuderentur cũ epigraphe. *Adrianus Aug. Cos.* III. & in poftica parte *Adventus Augufti S.C.* in alio vero 125.

S. C.

Ann. Xpi. 124. S. C. *Restitutori Siciliæ*, ut Pagius advertit, & ex Erizio Mongitorius (*a*) Mediobardus, aliique passim tradunt. Profert Paruta inter Romana & Græca numis: num. 92. primum, in quo alma Ceres spicis coronata, ipseque Adrianus stans ante tripodem spectatur. Quæ sane opinandi ansam præbent, Numum Catanæ cusum, ubi Cereris Templum celebre, cultusque præcipuus, Cererique Adrianum Catanæ litasse. Ceres alioqui in numismatis Catanensibus passim obvia. Sed et in aliis Siculis frequentissima, perque Insulam universam peculiariter culta; potuit hinc numus alibi, aut Romæ cudi, nec magis una aut alia Siciliæ Urbs, quam ipsa Sicilia sub Cereris figura intelligi. In Annum CCXXIII. id numisma rejicit Mediobarbus, sed Augusti in Siciliam adventum biennio postponit. Carrera Adriani in Ætnam ascensum contrahit ad CXX. sed tertius eiusdem Consulatus cum annis CXXIV. & XXV. cohæret.

(*a*) Appar. ad Sic. Bibliot.

140. XXI. Adrianum excepit Antoninus cognomine Pius, sub quo Thermas majores a Baccho Dionysias appellatas conflagrasse, docet Græca inscriptio inter earum ruinas olim inventa, inde in publicas Senatus ædes translata. Quæ magnificentius inde a Q. Lusio Laberio Siciliæ Proconsule sunt instauratæ, ut ex alia Latina inscriptione in columnarum epistyliis opere Corinthio scitè celatis eruitur *Q. Lusius Laberius Proconsul Thermas*. Hic enim Lusius circa Adriani tempora floruit, ut Carrera testatur (*b*) potuitque sub Antonino Siciliæ Proconsulem agere, ac Thermas reficere, quarum prima origo Romanorum in Insula dominium longe præcessit, nec Lusio adscribi potest. De Thermis alibi

(*b*) Tom. 1. Hist. Cat. lib. 1. cap. 48.

alibi singillatim dicendum.

XXII. M. Aurelius Antoninus Itinerarii Author antequam imperium capesseret, in Siciliam 163.
venit, ut Mongitorius arguit, (a) delatusque Catanam creditur, quod illius distantias adamussim in eodem Itinerario expendat. Hinc eò termimari itinera, observat Cluverius, ad Thuscum mare a Thermis, ad Libycum ab Agrigento. Si porro verum, quod aliqui scribunt: M. Aurelium eo in opusculo Iter suum descripsisse, bis illum Catanam appulsum fas est conjectare. Sub eo res Christiana, quæ felici incremento altas in Sicilia radices egerat, turbata. Nec felicior sub filio ac successore Commodo. Sævissima autem persecutio in Ecclesiam Severo 202.
imperante exarsit sæculi tertii initio; quam anno ejusdem xxxv. Maximinus instauravit. In his persecutionibus complures cum in Sicilia, tum Catanæ illustri martyrio coronatos non erit incongruum opinari. Id enim de universis pene Ecclesiis posse affirmari docet Baronius, quamvis hujusmodi nulla supersint monumenta, a barbaris, in conflagratione illa Diocletiani penitus consumpta. An porro post Beryllum vacaverit Catanensis Ecclesia omnino incertum. Id nec novum, neque ævo illo inusitatum, ut Natalis Alexander (b) ostendit, quia et complures alias celebriores sedes circa hæc tempora aliquandiu vacasse Baronius in suis Annalibus testatur. 234.

(a) Appar. ad Bib. Sic. §. 2.

(b) Diss. sec. 3.

XXIII. Alexandro imperante, Agatha nobilissimis æque ac piis parentibus Catanæ oritur, quæ ab ipsa infantia Deo dicata, Christianisque legibus instituta, eos in virtute ac morum sanctimonia progressus fecit, ut ipsis Cælitibus admirationi esset, civibus autem, quorum ingens pars

Ann. Xpi. 234. pars Christo nomen dederat, innocentissimæ vitæ præclarissima exempla præberet. De ejusdem familia, pueritia, rebusque in ea gestis vix certi aliquid afferri a quoquam potest. Quæ vero ex conjecturis assequimur, suo loco expendemus, quum ejusdem vitam singillatim dabimus libro XII.







CAP. II.

CATANA

SUB ROMANIS PRINCIPIBUS AB ANNO CCXLIX. AD CCC.

Ann. Xpi. 249.

I. PHilippo occiso, quem fama Christianum vulgabat, Decius mox ut Imperium invasit, septimam excitavit in Ecclesiam persecutionem. *Continuo*, inquit Orosius, *cum invasisset Imperium, ob quod se etiam Philippos interfecisse docuit, ad persequendos, interficiendosque Christianos septimus post Neronem, feralia sparsit edicta*. Nactus autem in Sicilia Consularem Quintianum, virum sceleſtiſſimum, omnique impietate deturpatum Insulam nostram ac Urbem Catanam, quæ Proconsulum sedes erat, egregio illustravit ornamento; sub exitum namque anni CCL. quum Catanæ degens Quintianus Agatham Virginem nobiliſſimam ac divitem Christiana fide ab incunabulis imbutam variis tormentis exagitasset, morte demum Nonis Februariis, eodem Decio tertium Consule, affecit. 250.

II. Complures alios Catanenses cum Agatha martyrio coronatos ex S. Hieronymi Martyrologio eruunt. *In Sicilia Catana Civitate, Passio S. Agathæ Virginis, Saturi, Revocati, Gelasii, Felicis, Saturnini.* Gallonense quatuor tantum cum Agatha passos enunciat: *Saturnum, Revocatum, Felicem, et Saturninum, seu Saturnum*. Scio Bollandum in suo Februario hos quinque Martyres Africæ adjudicare; quod ex antiquo Richenoviense Martyrologio colligit, ubi Felix, & Saturninus, nam alios omittit, in A-frica

Ann. Xpi. 251. frica passi dicuntur ipso die Nonarum Februarii. At quum in reliquis, quæ etiam Bollandus adfert Martyrologiis, nulla expressa Provincia, et in laudatis Hieronymiano, & Gallonensi, absque interjectione S. Agathæ adjungantur, jure merito stat pro nostra saltem Sicilia possessio.

III. Verùm, ne Patriæ deferre videamur, Bollandi verba libet expendere: *Nuda nomina*, ait, *horum pugilum exhibent Martyrologia quædam vetera, certaminis tempore et modo prætermissis. Ita Martyrologium vetus Romanum, quod S. Hieronymi vocamus: Revocati, Saturi, Gelasii, Felicis et Saturnini; Tres habet Beda vulgatus: & SS. inquit, Felicis, Fortunati, et Saturnini. At Fortunatum omisimus, quia aberat a duobus mm. ss. Bavaricis, expressus licet in editione Basileensi anni 1563. & Antuerpiensi anni 1564. Hermannus Greven Carthusianus Coloniensis in addit: ad Usuardum: Eodem die Saturi, Aviti, Felicis. Omisimus Avitum, intrusum huc fortasse aliunde ob cognominem Avitum Episcopum Viennensem: Plures alibi passim Felices, Revocati, Saturnini &c. sed nusquam simul junctos reperimus. m. s. Richenoviense, qua in Provincia triumphum adepti sint, innuit, dum de duobus diserte explorat. In Africa Felicis, & Saturnini.* Quibus sane omnis scriptorum varietatem demonstrat, atque unius tantum Martyrologii nobis textum refragari docet; quem et fortasse depravatum adstruere prohibet nihil. Alii Afros eos Martyres dicunt, deducta conjectura ab nomine, quod Afris esse familiare contendunt; sed contra hos faciunt, et allata Bollandi verba, quibus plures alibi passim occurrere Felices, Revocatos, Saturninos scribit, et ipsum Romanæ Ecclesiæ Martyrologium,

ut

ut vel leviter illud evolventi satis patebit, in quo ut plures Felices, et Saturnini Africæ Martyres memorantur, sic & in aliis quoque provinciis ălii atque alii cognomines effloruisse narrantur. *Ann. Xpi. 254.*

IV. Longiori hìc dissertationi de Patria divæ Agathæ locus esset, at, quum de Viris Illustribus agemus, fusè illam expendere congruum magis duximus. Acta nihilominus Consularia præstat exscribere ex Bollando, quæ & Latina etiam dicuntur.

,, Passionis Beatissimæ Virginis et Martyris A-
,, gathæ, quæ passa est in provincia Siciliæ in Ur-
,, be Catanensi sub Decio Imperatore, ipso Decio
,, ter Consule Nonărum Februariarum recita-
,, mus Historiam: Quintianus Consularis Pro-
,, vinciæ Siciliæ audiens sanctam opinionem Vir-
,, ginis Deo dicatæ multifaria intentione per-
,, quirebat, ut ad eam pertingeret. Per singula e-
,, nim crimina mentis suæ singulorum in se vi-
,, tiorum exagitabat affectus, utpote pro glo-
,, ria sæculi concupiscens suam opinionem exten-
,, dere, nobilissimis ortam natalibus Dei famulam
,, fecit arctari. Ut qui erat de genere ignobili
,, natus, (*) per hoc personaret ad aures
,, vulgi, quod tantus esset, ac talis, qui pos-
,, set etiam spectabilium sibi subjugare personas:
,, ut libidinosus autem, ad aspectum Virginis
,, pulcherrimæ oculorum suorum concupiscentiam
,, commovebat; et ut avarus ad facultates ejus
cupi-

(*) Anno 235. L. Quintianus et C. Severus Rõæ Cõsules; hinc Bivarius apud Bollandum in notis ad hęc eadem Acta, eumdem, esse censet Quintianum Siciliæ Consularem; nec apparet, cur eius hìc ignobilitas perstringatur.

Ann. Xpi. 251. „ cupiditatis suæ fræna laxabat, atque ut idololatra, & dæmonum servus, fervore impietatis suæ inflammatus Christi nomen audire „ non poterat.

V. His & hujusmodi, ut diximus, furiis „ comprehensus B. Agatham a suis fecit apparitoribus coarctari, & fecit eam cuidam matronæ tradi, nomine Aphrodisiæ, quæ habebat novem filias turpissimas, sicut fuerat „ & mater earũ. Hoc autem fecit, ut per dies „ triginta quotidie blandirentur ei, mutarent „ animum ejus: & modo promittendo læta, modo terrendo asperis, sperabant ejus mentem sanctam a bono proposito revocare; Quibus S. Agatha dicebat: mens mea solidata est, & „ in Christo fundata: verba vestra venti sunt, „ promissiones vestræ pluviæ sunt, terrores vestri flumina sunt, quæ quantumvis impingant „ in fundamenta domus meæ, non poterit cadere, fundata enim est supra firmam petram. „ Hæc autem dicens flebat quotidie, & orabat, „ & sicut sitiens in ardore solis fluenta fontium „ concupiscit, ita desiderabat ad martyrii coronam attingere, & diversa pro Christi nomine supplicia sustinere.

VI. Videns igitur Aphrodisia, mentem „ ejus immobilem permanere, abiit ad Quintianum, & dixit ei: facilius possunt saxa molliri, & ferrum in plumbi mollitiem converti, „ quam ab intentione Christiana mens istius „ puellæ revocari. Ego enim & filiæ meæ sine „ cessatione vicibus nobis invicem successimus, „ & per diem, & noctem nihil aliud gessimus, „ nisi ut ageremus, qualiter animum ejus ad „ consensum boni consilii inclinaremus. Ego

„ autem & gemmas, & ornamenta insignia, Ann. Xpi. 251.
„ & vestimenta auro texta obtuli: Ego do-
„ mos, & prædia suburbana repromisi: Ego
„ varium ornatum domus, Ego familias diversi
„ sexus, & ætatis exhibui, sed ista omnia quasi
„ terram, quam pedibus suis conculcat, ita
„ pro nihilo computavit. Tunc iratus Quintia-
„ nus jussit, eam ad secretarium suum adduci,
„ & sedens pro tribunali hoc initium sermonis
„ arripuit: Cujus conditionis es? B. Agatha
„ respondit: non solum ingenua, sed ex specta-
„ bili genere, ut omnis parentela mea testa-
„ tur. Quintianus Consularis dixit: & si in-
„ genua probaris, & nobilis, cur moribus te
„ servilem personam ostendis? S. Agatha dixit:
„ quia ancilla Christi sum, ideo me servilem
„ ostendo personam. Quintianus dixit; certè
„ si ingenua eras, & nobilis quomodo te ancil-
„ lam esse commemoras? S. Agatha dixit: sū-
„ ma ingenuitas ista est, in qua servitus Chri-
„ sti comprobatur. Quintianus dixit: quid ergo?
„ Nos ingenuitatem non habemus, qui servi-
„ tium Christi contemnimus, & Deorum cul-
„ turam sequimur? S. Agatha respondit: In-
„ genuitas vestra ad tantam captivitatem deve-
„ nit, ut non solum vos faciat servos peccati,
„ verum etiam lignis, & lapidibus faciat ob-
„ noxios.

VII. Quintianus dixit: quidquid furioso ore
„ blasphemaveris pœnæ poterunt vindicare: dic
„ tamen antequam ad tormenta venias, cur De-
„ orum sancta contemnis? S. Agatha dixit: no-
„ li dicere Deorum, sed dic Dæmoniorum, Dæ-
„ monia enim sunt isti, quorum effigies in æra-
„ menta convertitis, quorum marmoreas, &
gy-

Ann. Xpi. 251. „ gypseas facies inauratis. Quintianus dixit: elige „ tibi unum e duobus, quodcumque volueris con- „ silium, aut diversas pœnas inter damnaticios quasi „ stulta incurrere, aut quasi sapiens, et nobilis, quod „ te natura dictavit, sacrifica Diis omnipotentibus, „ quos veros Deos esse vera divinitas demonstrat. S. „ Agatha respōdit: sit talis * uxor tua, qualis Dea tua „ Venus fuit, et tu sis talis, qualis Jupiter Deus tu- „ us extitit. Quintianus hoc audiens jussit eam alapis „ cędi, cui & dixit: in iniuriam Judicis noli temerario „ ore garrire. S. Agatha respondit: dixisti Deos tuos „ esse, quos vera Divinitas demonstrat; sit ergo uxor „ tua talis ut Venus, & tu ut Jupiter, ut et vos „ possitis in Deorum numero computari. Quinti- „ anus dixit: Apparet te hoc eligere, ut diversa „ tormenta sustineas, quæ repetitis me injuriis tu- „ orum sermonum exagitas. S. Agatha respondit: „ miror te virum prudentem ad tantam stultitiam „ revolutum, ut illos tuos dicas Deos esse, quo- „ rum vitam non cupias tuam conjugem imitari; „ & tu dicas, tibi injuriam fieri, si eorum vi- „ vas exemplo; si enim veri Dii sunt, bonum „ tibi optavi, ut talis vita tua sit, qualis eo- „ rum fuisse perhibetur. Si autem execraris eo- „ rum consortium, mecum sentis. Dic ergo eos „ tam pessimos esse, tamque sordidissimos, ut qui „ maledicere voluerit aliquem talem, illum optet „ esse, qualis fuit execrabilis vita eorum.

VIII. Quintianus dixit: Quid mihi super- „ fluus verborū cursus? aut sacrifica Diis, aut variis „ supplicis te faciā interire. S. Agata respōdit: si fe- „ ras mihi promittas, audito Christo nomine man- suescent

(*) *Non ergo ad Agathæ nuptias inhiabat Quintianus, qui uxorem hic habere dicitur, ut vulgari credunt opinione.*

,, fuescent, si ignem adhibeas, de cælo mihi ro- *Anno Xpi. 251.* ,, rem salvificum Angeli ministrabunt; si plagas & ,, verbera, habeo intra me Spiritum Sanctum per ,, quem universa tua tormenta despiciam. Tunc ,, Quintianus agitans caput, jussit, eam in (*) car- ,, cerem tenebricosum recipi, dicens ei: Cogi- ,, ta tecum, & pœnitere, ut possis evadere tor- ,, menta horribilia, quæ te fortiter laniabunt. ,, Agatha respondit: Tu minister Satanæ, tu pœ- ,, nitere, ut possis evadere tormenta perpetua. ,, Tunc Quintianus jussit eam celeriter trahi ad ,, carcerem, quia eum voce publica confutabat. ,, *S.* autem Agatha lætissimè, et glorianter carcerem ,, intravit, & quasi ad epulas invitata, agonem ,, suum domino precibus commendabat.

IX. *S*equenti igitur die impiissimus Quinti- ,, anus suis eam aspectibus jussit aptari, cui et dixit: ,, quid tractasti circa salutē tuā? Agatha respondit: ,, Salus mea Christus est. Quintianus dixit: Quous- ,, que infelix protrahis intentionem vanam? De- ,, nega Christum, et Deos incipe colere, &con- ,, sule tuæ juventuti, ne acerba morte consu- ,, maris. S. Agatha dixit: Tu nega Deos tuos, ,, qui sunt lapides et ligna, et Creatorem tuum, ,, qui te fecit Deum verum adora, quem si con- ,, tempseris, acerrimis pœnis, et perpetuis in- ,, cendiis subjacebis. Tunc iratus Quintianus, ,, jussit eam equuleo ingenti suspendi, et torqueri; ,, cumque torquerent eam, dixit ad eam Quin- tianus

(*) *Tot Catanæ urbis ruinis superstes Carcer hic videtur hodie mænibus adhærens, decenti templo obseratus. Aditus olim illi a parte occidentali; fenestra enim septentrionalis, et porta ad meridiem, ævi recentioris est opus, ut fidelium pietati fieret satis.*

Anno Xpi. 251. „ tianus: relinque intentionem animi tui, ut „ vitæ tuæ poſſit eſſe conſultum. *S.* Agatha reſ- „ pondit: Ego in his pœnis ita delector, ſicut „ qui bonum nuncium audit, aut ſicut, qui vi- „ det, quem diu deſideravit, aut ſicut, qui in- „ venit theſauros multos, ita et ego delector in his „ pœnis temporalibus poſita; nec enim poteſt tri- „ ticum in horreum poni, niſi theca ejus fuerit for- „ titer conculcata, et redacta in paleas; ita et „ anima mea non poteſt in Paradiſum Domini „ cum palma intrare martyrii, niſi diligenter ſe- „ ceris corpus meum a carnificibus attrectari.

X. Tunc iratus Quintianus juſſit, eam in „ mammilla torqueri, & tortam diutius juſſit eam „ abſcindi (*). B. Agatha dixit: Impie, crudelis „ & dire Tyranne non es confuſus amputare in „ fœmina, quod ipſe in matre ſuxiſti; Sed Ego „ habeo mammillas integras intus in anima mea, „ ex quibus nutrio omnes ſenſus meos, quas ab „ infantia Chriſto Domino conſecravi. Tunc „ Quintianus juſſit eam iterum in carcerem mitti, „ et juſſit, ne ulli liceret medicorū introire ad eam, „ et neque panem, neque aquam ei miniſtrari.

XI. Cumque fuiſſet incluſa, ecce circa me- „ diam noctē venit quidam Senex, (quem antece- „ debat puer luminis portitor) ferens diverſa „ medicamenta in manu ſua, qui ſe medicum „ eſſe commemorans, cœpit eam his verbis allo- qui:

(*) *Deſignatur hodie in Eccleſia S. Agathæ veteris locus, ubi in mammilla Martyr Sanctiſſima torta, cum epigraphe:* Hic Quintiani impietas, quod in matre clementer ſuxit, in Agatha crudeliter amputavit Anno CCLII.

„ qui : Licet te nimis corporalibus pœnis afflixerit *Anno Xpi.* 251.
„ Consularis insanus; sed tu eum gravioribus sup-
„ pliciis extorsisti responsionibus tuis, et licet u-
„ bera tua torserit, et excidi fecerit, sed illius
„ ubertas in fel convertetur, et in amaritudine
„ erit anima illius in æternum; tamen quia ibi eram,
„ qua hora hæc patiebaris, consideravi, et vidi
„ quia potest curam salutis tua mammilla susci-
„ pere. Tunc S. Agatha dixit ei : medicinam
„ carnalem meo corpori numquam exhibui; et
„ turpe est, ut quod tandiu ab ineunte ætate
„ mea conservavi, nunc perdam. Dixit ei ille
„ Senex. Et ego Christianus sum, et novi me-
„ dicinam, nolo me verearis. Dicit ei Agatha:
„ et quæ potest verecundia mea circa te esse,
„ cum tu sis Senior, & major natu? Ego vero
„ licet puella sim, ita totum corpus meum la-
„ ceratum habeo, ut vulnera ipsa non permit-
„ tant aliquid stimulari in mente mea, unde
„ possit verecundia excitari. Sed ago tibi gra-
„ tias Domine Pater, quia dignatus es mihi
„ solicitudinem tuam impendere; hoc tamen
„ scias, quia ad corpus meum medicamenta ab
„ homine facta numquam accedent. Dixit ad e-
„ am ille Senior: Et quare non permittis, ut
„ curem te? Agatha respondit: Quia habeo Sal-
„ vatorem Dominum Jesum Christum, qui ver-
„ bo curat omnia, & sermo ejus solus restaurat
„ universa: Hic si vult, potest me salvam fa-
„ cere. Tunc subridens Senior, dixit: Et me
„ ipse misit ad te; nam et ego Apostolus ejus
„ sum, & in nomine ejus scias te esse salvan-
„ dam. Et cum hæc dixisset, subito ab oculis
„ ejus sublatus est,

XII.

Anno Xpi. 251. XII. Tunc projiciens se in orationem S. „ Agatha dixit gratias tibi ago Domine Jesu „ Christe, quia memor es mei, & misisti ad „ me Apostolum tuum, qui me confortavit, & „ recreavit viscera mea. Et dum complesset o- „ rationem suam, respiciens ad omnes maculas „ corporis sui, salvata esse omnia membra sua „ cognovit; nam & restaurata erat mammilla „ ejus; ita autem per totam noctem lux reful- „ sit in carcere, ut præ pavore custodes car- „ ceris fugerent, & carcerem apertum derelin- „ querent. Tunc dicebant B. Agathæ personæ, „ quæ ibi erant inclusæ, ut abiret. Illa autem „ dixit: Absit a me, ut ego coronam meam „ perdam. Ego enim adjuta a Domino meo Je- „ su Christo perseverabo in confessione eius, „ qui me salvam fecit, et consolatus est me.

XIII. Factum est autem post quatuor di- „ es, jussit eam iterum Quintianus ante suum „ tribunal adstare, cui et dixit: Quousque furi- „ aris contra decreta Principum invictissimorum! „ Immola Diis; sin autem scias, te atrociori- „ bus tormentis aptandam. Agatha respondit; „ Omnia verba tua fatua, & vana sunt, præ- „ cepta tua aerem ipsum maculant; unde miser „ et sine intellectu es. Quis enim vult ad au- „ xilium suum lapidem invocare, et non Deum „ summum, et verum, qui me dignatus est ab „ omni plaga, quam in me exercuisti, ita cu- „ rare, ut etiam mammillam meam integram „ meo corpori restitueret? Dixit ei Quintianus: „ Et quis est, qui te curavit? Agatha respondit: „ Christus. Quintianus dixit: Iterum Christum „ habes nominare? Agatha respondit: Ego Christū „ confiteor labiis, et corde invocare non cesso.

Quin-

 Anno Xpi. 251.

„ Quintianus dixit: nunc video, si Christus tuus „ curabit te. Tunc jussit testas acutas spargi, & sub „ testas carbones vivos immitti, & in iisdem „ nudo eam corpore volutari. (*) Cumque hoc „ fieret, subito locus, in quo sanctum corpus „ volutabatur, commotus est, & pars parietis „ concidit, & oppressit Consiliarium Judicis „ nomine Silvanum, et amicum ejus nomine Fal- „ conium, quorum consilio perpetrabat scelera. „ Sed & omnis Civitas Catanensium a vi terræ- „ motus exagitata est. Denique omnes cucur- „ rerunt ad Secretarium Judicis; et cœperunt „ nimio tumultu agere, quod sanctam Dei famu- „ lam impiis cruciatibus fatigaret, et idcirco õnes „ periculum sustinerent. Tunc Quintianus fu- „ giens, ex uno latere terræmotum metuebat, „ ex alio autem latere seditionem populi formi- „ dabat. Iterum igitur jussit, eam in carcerem „ recipi; ipse autem ad posterulam Secretarii „ fugiens, in januis populum dereliquit. S. ve- „ ro Agatha ingressa iterum in carcerem (*) ex- „ pandit manus suas ad Deum, et dixit: Do- „ mine, qui me creasti, et custodisti me ab „ infantia mea, & fecisti me in juventute viri- „ liter agere, qui tulisti a me amorem sæculi, „ qui corpus meum a pollutione separasti, qui „ fecisti me vincere tormenta carnificis, ferrum, „ ignem, et vincula, qui mihi inter tormen- „ ta carnificis virtutẽ patientiæ contulisti, te depre-

cor.

(*) *Insigni templo locus decoratur, ubi Agatham super carbones volutari Tyrannus mandavit, quod ab illius nomine S. Agathæ a fornace dicitur.*

(*) *Pedum vestigia Ætnæis lapidibus impressa, vel quum primo glorianter iret ad carcerem, aut postremo paulo ante mortem, quum in eumdem retraheretur, in Templo Carceris cultu præcipuo veneramur.*

Anno Xpi. 251. „ cor ut accipias ſpiritum meum modo, quia
„ tempus eſt, ut me jubeas iſtud ſæculum derelinquere, & ad tuam miſericordiam pervenire. Hæc cum dixiſſet coram multis cum ingenti voce emiſit ſpiritum.

XIV. Quod audientes pii populi cum nimia celeritate venerunt, & auferentes corpus „ ejus poſuerunt in ſarcophago novo. Factum „ eſt autem, dum aromatibus condiretur corpus „ ejus, & cum nimia diligentia collocarent illud, venit quidam Juvenis ſericis veſtibus „ indutus, quem ſequebantur amplius quam cẽtum pueri, omnes ornati, & pulchri, quem „ nemo umquam viderat in civitate Catanenſium, nec poſtea eum aliquis vidit, nec inventus eſt aliquis, qui diceret hunc ſe ſcire. Hic ergo veniens intravit ad locum, ubi „ cuſtodiebatur corpus ejus, & poſuit ad caput „ ejus tabulam brevem ex marmore, in qua ſcriptum eſt: *Mentem Sanctam*, *Spontaneam*, *Honorem Deo*, *& Patriæ Liberationem*. Poſuit ergo hanc ſcripturam, ut diximus, intra „ Sepulchrum ejus ad caput, & tandiu ibi ſtetit, quandiu cum omni diligentia clauderetur. Clauſo igitur Sepulchro abſceſſit, & ut „ diximus non eſt ulterius viſus, aut auditus in „ regione, vel in tota provincia Siculorum. „ Unde ſuſpicati ſumus, quod Angelus ejus „ fuerit. Et hanc ſcripturam divulgantes qui „ viderant, omnes Siculos ſolicitos reddiderunt, „ & tam Judæi, quam etiam Gentiles, unanimes cum Chriſtianis communiter cœperunt „ venerari Sepulchrum ejus.

XV. Tunc Quintianus arripuit iter cum „ officio ſuo ad inveſtigandas facultates ejus,

„ & ut teneret omnes de parentela ejus, qui „ judicio Dei in medio flumine interiit. * Denique dum transiret flumen per navim, duo „ equi fremitum circa se dantes, calcesque jactantes unus eum fremitu invasit, & aliter „ calce percussum dejecit in flumen Symæthum, „ & non est inventum corpus ejus usque in præsentem diem. Unde crevit timor, & veneratio circa B. Agatham, & nullus umquã „ molestus fuit ejus generi. *Anno Xpi. 251.*

XVI. Ut autem evidenter Scriptura illa, „ quam Angelus Domini posuerat, firmaretur, „ post anni circulum circa diem natalis ejus, „ Mons Ætna eructavit incendium, & quasi „ fluvius torrens, ita ignis vehemens, & saxa „ & terram liquefaciens veniebat ad Catanensium Civitatem. Tunc Paganorum multitudo „ fugiens de monte descendit, & venerunt ad „ Sepulchrum ejus, & auferentes velum, unde „ erat coopertum Sepulchrum ejus, statuerunt „ illud contra ignem venientem ad se, & ipsa „ hora stetit ignis divisus. Cœpit autem ignis „ die Calendarum, & cessavit die Nonarum earumdem, qui est dies sepulturæ ejus, ut „ comprobaret Dominus noster Jesus Christus, „ quod a periculo mortis, & incendii eos S. „ Agathæ meritis, & orationibus liberasset, cui „ est honor, & gloria in sæcula sæculorum „ Amen.

XVII. Huc usque Notarii, quibus colligendi Acta SS. Martyrum in demandata ab Romano.

---

* *Ubi nunc S. Agathæ Scafa, in regione Catanæ, ac Leontinis, contermina Tyrannum aquis mersum vetus traditio docet. Hinc Quintiani trajectus olim dicebatur.*

Anno Xpi. 251. mano Pontifice Provincia cura incumbebat, quique tunc Catanæ ipsimet Agonem Virginis spectarunt. Id colligi potest, ut notat Bollandus, ex Quæstione tertia, ubi hæc habentur: *Unde suspicati sumus, quod Angelus ejus fuerit*. Addā & ex illis etiam: *Et non est inventum Corpus ejus usque in præsentem diem*; quod insulsè diceretur, ab eo, qui vel post menses ab interitu Tyranni scripsisset.

XVIII. Extant Acta ejusdem Beatissimæ Martyris Græcè a Metaphraste exarata, de quibus nonnulla occurrunt dicenda, nec inconsulto in tertiam nostræ hujus Historiæ partem quum de Viris Illustribus, quorum agmen ducit Agatha, sermo erit, illa rejicimus. Quę porro cursim hic Acta latina de Montis Ætnæ incendio innuunt post pauca fusiori calamo expendam.

XIX. In demortui Quintiani locum suffectum a Decio Tertullum Siculi Agiographi tradunt, qui adeo in Christianos debacchari cœpit, ut nusquam Siciliæ ager Martyribus fœcūdior; Hos inter celeberrimi Alphius, Philadelphus, & Cirinus Fratres Origine Vascones, qui Tauromenio sub militum custodia Leontinos missi, Catanam pretergressi, in arctissimis vinculis conjiciuntur; Ibi noctem in Dei laudibus insomnem ducentes altera die sese itineri committunt. *Ubi autem ad Symæthum fluvium perventum est* (inquiunt Acta) *quoniam vehementer exundarat, ac transmittere nemo poterat, compellebantur a Militibus Sancti fluvium subire, quin & capita eorum cædebant, ut ingredi cogerent. Cupidus enim illorum exitii Dæmon aliena forma milites inducebat, ut illos transire priores juberent,*

rent, dicens se ante horam trajecisse. Coacti ergo Sancti precibus ad Deum se convertunt, rese- Anno Xpi. 251.
ditque confestim ad breve spatium æstus, atque ita sine periculo transmiserunt, vix ut ad genua aqua pertingeret. Quod intuiti milites celeriter, & ipsi fluvium subierunt; verum aquis subito confluentibus obruti perierunt. Quatuor autem post dies reliqui etiam socii trajecerunt, & Sanctos perduxerunt Leontinos. Hæc apud Cajetanum. (a)

XX. Tenebricosum hodie ostendunt Carcerem in Arce Catanensi, ubi Sanctos Fratres ea nocte detentos ajunt. De eo noster Grossus: *Actæ rei monumentum perennant eorumdem Sanctorum Martyrum Icones in ergastulo, cui* la fossa *nomen impositum, depictæ, quas nostræ ætatis tẽpore jam animadvertunt*. Verum ab Imperatore Friderico hujus nominis II. Siciliæ Rege constructam arcem idem Author alibi dixerat; Quod autem Cereris Saturnia eodem in loco olim fuerit, ubi Arx constituta, ut ex m. s. Cæsaris Piscis opusculo colligit Archangelus in sua Urbis Catanæ Historia, fortè Carcer ille Saturniæ pars credi potest, in nova arcis molitione instauratus, ut Libro IX. dicemus. Imagines autem Sanctorum Martyrum effingi in memoriam aliquopiam sub Friderico, aut successoribus potuerunt, ut & Christi Domini e Cruce pendentis devotissima alioqui figura, quam Sanctos fratres delineasse ea ipsa nocte vulgus credit.

XXI. Quod vero attinet ad tempus, quo per Urbem nostram transgressi Beatissimi Fratres, Leontinos migrarunt, res valde implexa. Actis enim a Cajetano ex Græcis codicibus recitatis inhærendo, quampluribus difficultatum involucris oportet irretiamur, quas cum ipse Cajetanus, tum

(a) Tom. p. 55. Sicul.

Ann. Xpi. 251. tum Animadversor neglexere. Innuunt Acta, nec Baronius refragatur (a) sub Decio, & Tertullo Consulari, ultimo ejusdem Decii anno, qui CCLI. Christi respondet, ex Pagii, & aliorum sententia, Alphium ac Fratres agonem consūmasse VI. Idus Maii; atque a Tertullo nonaginta circiter dierum spatio ab eorum appulsu in Siciliam, in vinculis detentos. *Morabatur interim Tertullus per tractus illos Tauromenii, quin & Messanensium Urbem adiit, & Mylas Christi fideles ubique persequens; tertio vero post mense Leontinos reversus est*. His porro si reliquos dies addas martyrii, invenies Sanctos Fratres ineunte Januario ad Tertullum, a Valeriano Præfecto destinatos. At per idem tempus Quintianus Catanæ degens Provinciam administrabat, ut ex Actis S. Agathæ vidimus. Vel ergo duo in Sicilia Consulares, cū suprema in iisdem Opidis potestate, quod nemo dabit * Tertullus a quo torti Vascones, & Quintianus B. Agathæ tyrannus, vel Acta emendanda, & Tertulli mora in finibus Taurumenii contrahenda, aut denique Sanctorum martyrium in aliud tempus rejiciendum.

(a) *In notis ad Mart: die 10. Maii*

XXII. Nec posset aliquis quartum Decii Consulatum obtrudere, atque adeo Alphium, & Socios anno uno ac mensibus a nece Sanctæ Agathæ passos sub Decio; hic enim morte præreptus in expeditione contra barbaros mense Decembri periit, nec quartum iniit consulatū,

Zzz nec

* *Binos fuisse Consulares in Sicilia nonnulli apud Cajetanum in Isagoge tradunt, quorum alter orientalem Insulæ regionem, alius vero occiduam administrabat; Sed hanc opinionem communi calculo Eruditi rejiciunt.*

nec ad CCLII. anni Majum pervenit. Baronius *Ann. Æræ. 251.*
denique, qui quartum Consulatum Decio attribuit, more Augustorum, hunc tertium ordinarium appellat, sub quo & Agatham statuit. Minus etiam Actis congruit, si demandatam ante Quintianum Tertullo Siciliæ provinciam adstruimus, hoc est anno CCL. quo persecutionis Decianæ procella detonuit; nam occisis Fratribus per annum, & menses eumdem Tertullum in Christianos per Siciliam pene universam debacchatum Acta laudata tradunt: *Cognito autem plerosque Christianos Leontinis profugisse in Menæum Castellum, huc contendit Christianum nomen deleturus. In eo tractu cum per annum, & menses tres mansisset, versus Catanam regressus, omnes pariter Christianos undequaque insectatus est: Catanâ Leontinos rediit.*

XXIII. Itaque statim post dies a Quintiani excessu circa Martii initium Tertullus Consularis Siciliæ designatus, ut qui nequior illo erat, ac crudelior, in Vascones Fratres id temporis ad se delegatos desæviit; hinc Mamertinos ac Mylenses invasit, atque Aprili exeunte Leontinos contendens lanienam illam in Christi fideles exercuit. Mox Mœnas, inde Catanam ac vicinia afflixit. Hac serie servata, singula suis temporibus congruunt; sed illa nonnisi conjecturis innititur. Bis hinc colligimus Catanæ sub Decio editam Fidelium stragem sub Quintiano, ac sub Tertullo; sed horum triumphum male Cajetanus die XVIII. Februarii consignat; hic enim mensis anni CCLII. esse debuit, quo sane tempore Decii decreta Gallus abroganda curaverat.

XXIV. Ejusdem Februarii initio Ætna Mons solitò majori exarsit incendio, igneosque tor-

252. torrentes evomuit, qui ad certam agrorum ipsiusque Urbis perniciem decurrentes, ubi à Paganis Velum Virginis Agathæ e sepulchro sublatum, illisque objectum est, ipsa hora non sine ingenti prodigio constiterunt; adeo ut meritis amantissimæ Civis, ac tutelaris eximiæ anno ab ejus morte elapso die nonarum Februarii Patriæ liberationem Catanenses acceptam referrent. Miraculi hujus, simulque beneficii memoriam cum apud Latina, tum apud Acta B. Agathæ Græca reperies, neque illorum verba huc repetenda. Illud attamen primo discutiendum Quinam *Paganorum*, qui ad Martyris sepulchrum confugientes velum tulerunt contra ignem, nomine veniant. Et pagorum profecto habitatores debere intelligi affirmant, qui rectè sapiunt, etsi Vulgus Gentiles, seu infideles accipiat.

XXV. Novi apud complures Eruditos, doctosq; Scriptores pro *Paganis* hic nedum Ætnæ montis accolas, sed etiam a Christi fide alienos venire; hinc in Animadversionibus Cajetanus S. Damasi in hymno S. Agathæ verba refert: ***Ethnica turba rogum fugiens, hujus et ipsa meretur opem.*** Sed fortasse, ait Carrera (a) *Ethnica* pro *Ætnæa* levi mutatione Amanuensis, in Damasi hymnum irrepsit. Cæterum Cajetanus ipse fatetur, quod a Jurisconsultis *Pagani a pagis dicuntur, gens rustica*. Hausit sane Animadversor ex Græcis Actis, ubi legitur: *Qui vero circa montem habitabant, et si Gentiles, ignem fugientes properarunt ad templum Virginis, et auferentes amictum, qui erat Arcæ impositus, ex adverso ignis eum posuerunt.* Et ex Metaphraste, qui ait, *Accolæ igitur et qui prope mõtem degebant, Pagani licet essent, ignẽ fugientes*

(a) *Hist. Cat. vol. 2. lib. 2.*

entes, ad Martyris sepulchrum confugere, unde ablato velo, quo tumulus contegebatur, in conspectu flammæ posuerunt. Sed Græcos ex Actis Latinis mutuato vocabulo, in ejusdem intelligentia lapsos illud evincit, ævo nempe, quo Notarii Acta scripsere, a nemine *Pagani* vocem pro Ethnico usurpatam, sed aut rusticos, aut Urbanos nunquam militiæ adscriptos venisse.

XXVI. Hinc illud Suetonii de Augusto loquentis: *Nec non Pinarium Equitem Romanum, cum concionante se admissa turba* Paganorum, *apud milites quædam subscribere animadvertisset, curiosum, & speculatorem ratus, coram se confodi imperavit*. Firmant Lexicographi pene omnes; Basilius Faber in Thes: Erud: *Paganus idest Rusticus: Pagani jurisconsultis dicuntur omnes, qui non sunt milites: hinc & Pagani veteribus Christianis dicebantur Gentiles, qui Christi milites non essent. Sed alii a Pagis, ubi extra Urbes sub Christianis Principibus Idola colebantur, notionis hujus rationem ducunt; Orosius Præfat: lib. p. Ex locorum agrestium compitis, et pagis Pagani vocantur. August. 2. Retrac: cap. 43. Deorum falsorum, multorumque cultores Pagani*. Joan. Jacobus Hofmannus: *Pagani, quod nomen Gentilibus a vulgo Christianorum inditum esse jam ante annum Christi 365. patet ex leg. 18. Cod. Theod: de E is.* Samuel denique Pitiscus: *Pagani dicuntur, qui ruri in Pagis agri colendi causa agunt... Pagani dicuntur omnes, qui non sunt adscripti militiæ atque in paganico esse dicebantur, qui nondum inter milites censiti essent... Pagani dicuntur etiam Gentiles, et a Christi confessione alieni ab Authoribus in primitiva Ecclesia scribentibus; non enim antiqua, sed recens est ea vocis significatio. Unde hoc*

nomine

nomine dicti sint, varii varia tradiderunt. Nos opinamur, quod cum Constantini M. et filiorum edictis proscriptus esset ab Urbibus, & Civitatibus profanus Deorum cultus, eorumque fana passim in iis clauderentur, in pagos sese reciperent Gentiles, ibique Deos suos colerent, et clandestina sacra peragerent, Pagani dicti fuerint. Ex quibus illud evinci credimus: tertio nempe Ecclesiæ sæculo, quo Agatha floruit, nondum obtinuisse Ethnicos ab Agiographis Paganos appellari; Rusticos proinde, aut Cives nondum militiæ adscriptos ad Virginis sepulchrum pro communis Patriæ tutela confugientes velum inde contra ignem extulisse.

XXVII. His conjectura accedit a Petro Carrera allata, cujus hæc sunt verba apud Vander Aa, (a) *Alii verò per vocem (Pagani) intelligunt turbam rusticam, ita ut non distinguant, Gentiles, an Christiani fuerint; neque enim illud fugiens ad sepulchrum Virginis, intelligi de Catanæ incolis potest, verùm de rusticis, qui a radicibus montis fugere. nam si Ecclesia de Catanensibus dictam voluisset Paganorum multitudinem, non dixisset fugiens ad sepulchrum Virginis, sed currens. Fuisse autem Christianos patet ex Antiphonæ verbis; contulerunt enim sese ad velum martyris S. Agathæ, ut propter ejusdem merita gratiam evadendi periculum, illis largiretur Deus, ut comprobaret Dominus, quod a periculis incendii meritis Beatæ Agathæ eos liberaret. Quam sententiam Ethnicis hominibus applicare non possumus, verùm illis, qui fundati in fide laudabiles in operibus Christianis fecerint progressus*. Sed illud displicet apud eundem Authorem, quod de hoc ipso incendio subdit: *Tam terribile*, scribens, *hoc fuit incendium, ut cum duobus ferme milliariis ab urbe efflueret, igne peritura*

(a) Lib. 2. Mon. Ætna cap. 11.

ritura crederetur Catana (*) *Inde Rustici accurrentes ad sepulchrum* S. *Agathæ ejusdem rapuere velum, quod cum igneis opposuissent torrentibus qui rectà versus Urbem pergebant, coegere easdem flammas ad levam flectere manum, ita ut iter portum versus intenderint, illumque compleverint universum, amplam ibidem relinquentes copiam montanorum, & aridorum, quæ ibi hodie visuntur, saxorum. Loquitur, & de eodem incendio* S. *August. lib.* 3. *de Civit. Dei, affirmans usque ad littus maris prolapsum fuisse, ita ut rupes fuerint liquefactæ defluente pice ex navigiis*. Et progreditur Bembi, & Fazelli sententiam infirmando, qui *Incendium illud, quod Portum occupavit, fuisse paulo ante suam ætatem* scripsere.

(a) Catan. Hist. Vol. 1. lib. 2. cap. 2. n. 13.

XXVIII. Ab hac opinione deinde alibi (a) Carrera discessit, sed in aliam incidit longè falsiorem, ac Cives id temporis vicinum periculum, ignemque, sub ipsis mœnibus decurrentem spectasse adstruit. *Hinc rationabiliter*, ait, *credendum lapideos aggeres, quos prope aquilonarem, & occidentalem Urbis murum ad Templum usque S. Francisci Paulensis hodie etiamnum cernimus, eosdem esse, qui rectà contra Catanam effluentes vi ignis liquefacti, mox ad sacri Veli conspectum, itinere ad sinistram retorto, ab Urbis vastitate abstinuere.* At quam incongrua utraque sit scriptoris alioqui oculatissimi censio, vel ipsa incendii enarratio evincit; flammas enim Kalendis Februarii erupisse, Nonis verò, Civis amantissimæ intercessione, resedisse Acta cum Græca tum Latina testantur. Quotquot autem ignis Ætnei indolem noverunt, atque

(*) *Male hic Italicum Carreræ textû reddit Avercampus illis verbis*, ut qui igne peritura crederetur Catana, per duo fere milliaria inde discesserint incolæ.

Anno Xpi. 252. atque alterius incendii oculares testes fuere, quam lentè progrediatur ille, optime callent; decursamque duodecim circiter passuum millium intercapedinem, quinque dierum spatio ab igneo torrente, atque e montis pede ad mare usque intra id parum temporis gravem materiem properasse, minimè sibi persuadēt. Incendiū igitur hoc, quod thaumaturgi Veli conspectum exhorruit, non illud a *S.* Augustino memoratum esse potuit; minus aliud, quo impletum fuisse portum scimus, id quippe & recentioris est ævi, & longè etiam ac latè est debacchatum; denique non illud, quod ab Oriente ac Septentrione urbem obsidet; vetustissimæ enim ætatis, ac ante Domini adventum indicia præseferre videtur, ac diuturniùs effluxisse oportuit. Quodnam porro fuerit, divinare non ausim. Id citra dubium, medio in itinere, nedum ab Urbe vastanda, sed et ultra progrediendi Agathæ meritis illi interminatum. *Et ipsa hora stetit ignis divinitus*, inquiunt Acta Latina. *Atque de repente*, habet Metaphrastes, *Divina Providentia factum est, ut ignis ille reprimeretur, qui Kalendis Februarii erumpere cœperat, cessavit verò Nonis*. Si stetit ergo ipsa hora, si fuit repressus, non aliò certe iter reflexit, neque ulteriùs effluxit.

XXIX. Jamvero majus facessit negotium, quod de ipso Velo discutiendum occurrit. Metaphrastes Velum hoc arcæ, seu *sepulchro circumfusum* fuisse scribit. Codex Vaticanus *circumpositum arcæ*, et Codex S. Mariæ Majoris: *quo erat coopertum sepulchrum*. Acta Latina: *unde erat coopertum sepulchrum ejus*. Hinc Ecclesia *Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum Virginis, tulerunt velum ejus contra ignem. Velum ejus*, inquit

 Ann. Xpi. 252.

quit Cajetanus, *minimè quidem Virginis, ut quidam existimant, quo vivens tegendo capiti utebatur, mortua involvebatur, sed sepulchri accipio, quod sepulchro superimpositum erat*. Fazellus antiquæ innixus traditioni Catanensis Ecclesiæ, Paganos tumulum aperuisse refert, Velumque, quo Sanctæ Martyris corpus tegebatur, adversus ignem extulisse. Idipsum affirmant Philotheus, Carrera, Grossus, aliique ex nostris. Addit Bartholomæus, a Paternione in vita Beatæ Agathæ vulgari sermone carminibus exarata. Velum, quo operiebatur corpus in sepulchro, viventi Agathæ capitis tegumentum extitisse; quod quidem audacter dictum censet idem Cajetanus (a) *Quorsum*, inquiens *ad sepulchrum Virginis accursum est! Ut velum sepulchri adversus flammas raperetur; & ratio suadet ablatum enim a Paganis, quia promptius erat, extimulante periculo, urgente incendio. Idemque tuetur priscus mos; enimvero sepulchra Martyrum velo obtegebantur. Concludo igitur velum contra ignem a sepulchro raptum Agathæ sepulchri tegmen fuisse. Hoc clarius sole*. At igneus, lapideusque simul torrens non adeo præcipiti cursu volvitur, ut urgeat; locus hinc Paganis esse potuit, ac tempus, ut aperto sepulchro Velum, quo Martyris corpus tegebatur, contra incendium sumerent.

(a) *In Animadv. ad Acta Græc.*

XXX. Pergit verò Cajetanus: *Sanè hoc Velum, quod e sepulchro S. Agathæ ab Ethnicis raptum, Ætneque objectum ignes restinxit, fama est illud esse quod Catanæ magna cum religione in sacrario ædis maximæ servatur*: Et post pauca. *Quid? Profitearne hoc Velum illud ipsum esse, quod sepulchri integumentum fuit? Plura occurrebant, quæ retrahere quempiam possent. Primum*

velo-

Anno Xpi. 252. *velorum mox ad sepulchra, vela enim antiquitus sive pura, sive picta foribus prætendebantur, obumbrando loco, in quo sita sepulchra SS. Martyrum. Porro in hunc usum hoc B. Agathæ Velum ineptum est; convincit veli forma, quod latum palmos duos, & semis, longum palmos decem et octo. Secundum religio majorum retrahit, quæ sacro velo, quo B. Agatha velare solita caput, nequaquam rude saxū operuisset. Sedenim vela non modo sepulchris prætendebantur reverentiæ ac religionis ergo, sed etiam insternebantur, ut paulo ante retulimus ex Metaphraste, aliisque Cod. m. ss. cum Græcis tum Latinis de velo B. Agathæ, quo sepulchrum ejus amiciebatur. Neque impedimento est, quia velo capitis sepulchrum insterneretur. Quid enim hic contra religionis nostræ cæremonias? Sacrum Virginis caput, sacrum Martyris sepulchrum, sacer usus utriusque, velandi capitis juxta, atque sepulchri. Nihil est igitur, quod vetet, si dicas velum capitis fuisse simul ac sepulchri, idem velasse Virginem, mox Martyrem. At inquies vetat id veli tenuitas; nam istragula sepulchrorum crassiora fuisse oportuit; sed hoc multo levius: tenue, ais, velum est. Quid tum? Religionem veterum commendat, honorandis Martyribus profusam.* Hæc Cajetanus, qui mox quid ipse sentiat ingenuè edisserens: moveri paullulum ab ipsa veli forma, ait, quin indubitatò affirmet, velum hoc esse, quo Martyris sepulchrum cooperiebatur. *Latum quippe palmos duos, & semis, longum vero decem et octo parum aptum sepulchro velum*; nam justo brevius, nec velare frontem sepulchri, nec tegere operculum poterat. Subdubitans itaque, fuerit ne hoc velum, quod sepulchrum operuit, atque ex eo contra erum-

 pen-

pentes Ætnæ ignes desumptum est, se revocari Catanensis sive Ecclesiæ, sive populi traditione fatetur, quam evertere piaculum duxit; æquum esse, dicens, interdum famæ potius, quam proprio credere judicio. Anno Xpi 252.

XXXI. Superest veli, quod adhuc servatur, usum, formam, coloremque discutere: Catanæ opinio est: velum hoc esse, quo B. Agatha caput solita velare. *At rumor is*, inquit Cajetanus, *difficultatem facessit, nam ævo illa vela capitum brevia, & fere quadrata, quale est velum capitis B. Luciæ latum, juxtaque longum palmos duos, & semis. Verum B. Agathæ velum multo longius .... An majora Syracusanis fuere vela, quibus alibi aliæ Virgines utebantur velando capiti? Iis enim intortis obvolvebant caput, collumque, ac pectus ore detecto. Sculptus id docet vetus lapis supra fores Antistitum domus.* Confirmat Carrera, qui de eodem velo sic habet: *Apparet vero S. Agatham dum viveret, eo fuisse usam pro ornamento capitis, prout ex Græcorum more, hodieque fieri solet passim in Sicilia.* Sed quamvis hæc Cajetano minus arrideant, illudque in primis de veteri simulacro *cujus habitus*, inquit, *non videtur Virginis, qui honestior esse debuit.* Attamen post multa traditioni adhærens subdit. *Quid igitur censuerim? An vela capitum diversa pro tempore? Brevia, quale Syracusanum, quibus virgines privatum intra larem utebantur, ut ex editiores essent, longiora, quale est, de quo loquimur, quibus in publicum egrediebantur, et virginalem verecundiam præseferebant, operta facie? Hæc excogitata a me sunt traditioni tuendæ, quā magnifacio ac veneror, esse velum, quo diva Agatha dum viveret, velando capiti usa est. Ego*

 vero

verò hoc censeo, atque ex Fazelli, Philothei, & Bartholomæi monachi dictis dumtaxat probo velum hoc esse, quo B. Agathæ corpus, aut caput a Christianis in sepulchro tectum est.

XXXII. Quod ad colorem spectat putāt plerique, & vulgo, album olim fuisse, objectum vero erumpenti incendio a Paganis velum igni similem colorem induisse. *Id ex tabulis in Ecclesiæ majoris tecto effictis* probare conantur, in quarum una velum e sepulchro sublatum coloris omnino albi, in altera delatum adversus ignem coloris fçculenti cernitur. Sed inane commentum meritò laudatus censet Cajetanus, qui depicta in Ecclesiæ tecto vela accuratissimè vidit, ejusdemque coloris adnotavit, sed alterum vitio temporis exalbuisse advertit. Hodiernus deniq. color *ad rosam siccatam accedit*, teste Carrera (a) *neque enim, ut erroneè appellat Leander Albertus violaceus est. Si quis russeum, sed obscuri coloris appellat, non errabit*. Hæc ille, cujus ultima aridens verba; cunctis enim videntibus cōstāt rubrū subobscurum colorem referre sanguini nonnihil concreto potius, quam rosæ siccatæ persimilem. Sed qualis forma, materia, textura denique ejusdem? Materia profectò, ex qua velum constat. *Sericum est, sed ad extremam summitatem auri quid reliquum apparet per lineas, ut clarè cernitur, intertextum quondam; adeo autem exili licio, atque nobili, sicut & arte texendi & coloris est præstantia, ut per mille quadringentos, & amplius annos perdurare potuerit*. Hæc Laudatus Carrera; Illud mirabile, quod adeo recens, vividumque apparet, ac si fuisset nuperrime contextum. Olim in vase crystallino servabatur, hodie in sacculo, seu folle serico auro contexto, liciæ

(a) Mon. Ætnæ lib. 2. cap. 12. Edit. Vand. Aa

ciæ involutum cum aliis ejusdem Sanctæ Martyris lipsanis in arca conditur argentea, quumque populorum cultui exhibetur, ex argenteo baculo pendens complicatum ostenditur. Vocatur communi, & vulgari appellatione *Grimpa seu Grimpia*. Post tã insigne prodigiũ cœpit impensius Virginis sepulchrum ab universis civibus, immo & Siculis coli, moxque extructum super illud augustum, ut ferebant tempora sub Ethnicis Principibus infensa, templum, quod totâ insulâ celebre evasit. Anno Xpi 252.

XXXIII. Anno CCLXII. Everii Catanensis Episcopi memoriam exhibent acta S. Neophiti Leontinensis, quæ a mendis per Clarissimum Cajetanum expurgata hæc habent. *Erant per idem tempus apud Leontinos Principes viri piique Anatolius, Strovelius, & Eræus. Consilio cum eis inito Neophitus Aquilam, & Andronicum cum literis, & precibus misit ad B. Everium Catanensem Episcopum, ut ad Ecclesias una consecrandas veniret. Ei Neophitus Episcopus ad Cyparissum occurrit pridie Nonas Septembris. Everium Neophitus in speluncham, induxit, ubi corpora erant SS. Alphii, Philadelphi, & Cirini, & Pastophorium, quod Thecla condiderat. Illuc ingressi Sanctos adorarunt, ferre non valentes suavitatem odoris, & splendorem, quo martyrum ora collucebant. Deinde ad ædem Virginis Deiparæ ascenderunt, eamque consecrarunt, in qua baptizarunt viros* CCCCXXX *in veste candida, quorum omnium mater fuit Thecla cum Justina, & Eutropia, & peracto divino sacrificio receperunt Corpus* Sanctissimum *Dñi Nostri: Mox* S. *Everius Episcopus Catanam rediit, erat enim grandævus.* 262.

Cata-

Ann. Xpi. 262.

XXXIV. Catanam ut venit Everius nonnulla ibidem Sanctorum templa, ac præsertim B. Mariæ Bethlehemiticæ juxta sepulchrum illustris Poetæ Stesichori erexit, si Pirro credimus. Subdit Grossus, quod Sacris de more adhibitis cæremoniis id etiam templum consecravit. An idem Episcopus sacram ædem supra D. Agathæ Sepulchrum etiam excitarit, incertum; Laudatus enim Grossus in *Diario Catanensi* Everii opus illam fuisse suspicatur, in quam ad Sacrum Martyris corpus venerandum B. Lucia cum Matre venit. Sed hæc, an eadem, quæ *S.* Mariæ de Bethlehem fuit dicta? Quandoquidem constat Agathæ Sepulchrum eodem in loco olim situm, ubi S. Mariæ de Bethlehem prope Carmelitarum ædem extra Stesichori portam, unde ad locum martyrii, ubi nunc jacet, translatum. Meminit nostri Everii Cajetanus (*a*) & Philippus Ferrarius in suo Catalogo ad diem 16. Novembris, quem sub Decio, & Volusiano Principibus constituit, quum potius sub Gallieno, & Valeriano esset reponendus, ut Pirrus, & Grossus scribunt. De eo Menologia Græca a Sirleto Cardinali, & Andrea Scotto vulgata. Ad annum CCLXXXVII. superstitem illum facit Grossus, sed facile non assentior; Anno enim CCLXII. Senex jam in Græcis Actis appellatur, adeout longo tempore jejunus adstare, post Ecclesiæ consecrationem apud Leontinos non posset. Festus porro ejus dies Catanæ ex Pirro die VI. Julii, sed ante Breviarii reformationem XVI. Novembris celebrabatur; Cajetanus in diem XXIV. Martii rejicit.

(*a*) *Vit. SS. Sicul. tom. p.*

XXXV. Hæc ex laudatis Scriptoribus congessi; verùm, ut juxta morem ingenuè loquar, plu-

ra prorsus displicent; Acta enim sublestæ omnino fidei, ut quæ Festi Nativitatis Deiparæ, & Exaltationis S. Crucis multa post sæcula instituti mentionem ingerunt, usumque consecrandi sollemni ritu sacras ædes ante Sylvestrum Pontificem inducunt. Everium certe expungere non audeo, ejus autem facinora obscura dixerim potius, ne falsi aliquid videar imponere. Anno Xpi. 262.

XXXVI. Varii post Decium fuere in Romano imperio motus, ac intra quadriennium quatuor Principes Respublica vidit, quos demũ Valerianus, & Gallienus excepere. Longè majores sub Gallieno a triginta Tyrannis excitæ turbæ, nec suis caruit malis Sicilia undique a latronibus vastata, qui ægrè tandem sunt milite deleti, ut Trebellius in Gallienum scribit.

XXXVII. Circa id temporis Porphyrii celeberrimi Philosophi in hanc Urbem nostram, aut ejus fines adventus, atque apud Ætnam mõtem mora est reponenda. Appulit sane Porphyrius in Siciliam anno XV. Gallieni, Christi Domini CCLXIX. ut Probi Lilybetani Philosophi doctrina frueretur, quod ipsemet in præceptoris sui Plotini Vita testatur, traditque Lucas Holstenius (a) quumque ei Crysagorius nobilis Juvenis æque ac dives, sciendi cupidissimus adhęsisset, hanc nactus occasionem, ut Ætnæ incendia, eorumque naturam, ac indolem scrutaretur, Catanensem adiit regionem, in qua diu substitit, ac librum Introductionis ad Aristotelis Categorias ejusdem Crysagorii rogatu elucubravit. Rem habet Ammonius in Isagog. Commentario, ubi caussam, quæ ad eum librum exarandum impulit Porphyrium, edisserens: *Crysagorio*, ait, *illum nuncupavit, cui & alios libros inscripsit.* 269.

(a) Diss. de vita Porphyr cap. 2.

De-

Ann. Xpi. 269. *Dedicat autem illi hujusmodi de causa. Præceptor Crysagorii erat, cumque eum disciplinis imbueret, petiit, ut incendium Ætnæ coram cognosceret. Usque eo professus fuit. Reperit intereà tempus Crysagorius Categorias Aristotelis, quarũ mentem nequaquam assequi poterat. Quapropter Porphyrio litteris rem significat peregre tunc degenti, rogatque, ut si incendii naturam explorasset, domum redeat; sin minus, ut introductionem aliquam scribat, cujus ope libri sensum assequeretur. Cumque Porphyrius nedum redire posset, scripsit ei hunc libellum, quem ferme e verbo ad verbum ex Platonis dictis colligit*. Observat Mõgitorius (*a*) Ammonii locum ab Joanne Baptista Rosario aliter verti: *Porphyrius Crysagorium docebat, cumque ei Mathematica declararet, rogavit Porphyrium, ut de Ætneo igne componeret historiam. Tunc professus Porphyrius &c.* ex quibus nedum Ætnam prope consideraste, sed & ejus historiam scripsisse Porphyrium colligimus. An porro incendium examinaverit per agros excurrens, an vero in ipso summo cratere, ex Ammonii verbis satis intelligi non datur. Fortasse montis cacumen ascendit, ibique de igne disseruit, quum apud Historicos nulla id temporis Ætnę eructatio memoretur.

(*a*) *Appar. ad Bibl. Sic. §. 3.*

XXXVIII. Probi Principatus Insulæ nostrę infaustissimus, ob Syracusas a Piratis præda cædibusque direptas; at longe teterrimum Diocletiani imperium ob immanem in Ecclesiam, ac Siculos Fideles motam persecutionis procellam, quam Maximinus sua adauxit præsentiã, ut colligit ex Græcis Menæis Morabitus, Cæsarem hunc Christiani sanguinis avidissimum cadẽte sæculo vidisse Siciliam, atque indoluisse, scribẽs.

CATANA

CATANA
SUB ROMANIS IMPERATORIBUS
AB ANNO CCC. AD CCCXII.

I. Novo ineunte Sæculo Urbs noſtra B. Luciæ Virginis Syracuſanæ nobilitatur hoſpitio. En actæ rei monumentum ex antiquis codicibus apud Cajetanum (a) *Dum per univerſum Siciliæ provinciam Beatiſſimæ Virginis Agathæ fama crebeſceret, Syracuſanus populus per millia prope* XL. *ad* Urbem *Catanenſium ſitienter pergeret ad ſepulchrum* S. *Virginis Agathæ venerandum, contigit Luciam venerabilem Virginem Syracuſanam ſimul pergere feſtivitatis gloria invitata, cujus mater Eutichia per annos quatuor fluxu ſanguinis fatigata, nullo poterat medicorum remedio ſanari. Igitur dum proceſſionis myſteria agerentur, Evangelii lectio fuit recitata, qua legitur fimbriâ tactâ veſtimenti Jeſu mulier a ſanguinis fluxu liberata, dum hæc lectio recitaretur, dixit S. Lucia matri ſuæ: ſi credis mater his, quæ leguntur, crede Agatham paſſam pro Chriſti nomine hoc meruiſſe, ut ſemper in preſenti habeat eum, pro cujus nomine paſſa eſt. Continge ergo ſepulchrum ejus & liberaberis. Igitur cum peractis omnibus populus abſceſſiſſet proſtraverunt ſe ante ſepulchrum* Sanctæ *Virginis, mater, & filia, & cœperunt cum lacrimis flagitare ſuffragium. Interea dum orationis prolixitas tenditur, ſomno Lucia Virgo corripitur, & videt in*

(a) Tom.p.SS.Sic.

Anno Xpi 301. *in somnis B. Agatham in medio Angelorum gemmis ornatam stantem, & dicentem sibi*: Soror mea. *Lucia Virgo Dei devota, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo? nam & matri tuæ fides subvenit, & ecce jam salvata est. Et sicut per me Catanensium Civitas sublimatur a Christo, ita per te Syracusana Civitas decorabitur, quia jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti. His auditis, expergefacta surrexit tremens, & ait matri suæ: Mater mea ecce salva es; per ipsam te deprecor, qui te salvavit orationibus suis, ne tu mihi aliquando sponsum nomines, neque velis de corpore meo posteritatis fructum prolemque mortalitatis inquirere, sed omnia quæ mihi datura eras eunti ad corruptionis meæ auctorem mortalem hominem, da mihi eunti ad integritatis meæ auctorem Dominum Jesum Christum. Cui mater ejus Eutychia ait: omnia, quæ fuerunt Patris tui, ante novem annos defuncti incontaminata custodiens, ampliavi potius, quam minui patrimonium tuum; mea vero, quæ sunt, vel possunt esse, tu ipsa melius nosti, tege prius oculos meos, & quodcumque tibi placuerit, de facultatibus facito.*

II. Eadem habet Codex Græcus. Cur autem ipso sæculi quarti initio hæc retulerim, paucis aperio. In eisdem Actis dixit Paschasio Lucia: *Sacrificium verum, & immaculatum apud Deum hoc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione earum. Ego vero per istos tres annos* (*) *nihil aliud egi, nisi sacrificavi Deo vivo. Jam*

(*) *Numerat annum tertiū, inquit Cajetanus, a reditu, ex peregrinatione ad sepulchrum S. Agathæ. Quoniam vero Lucia martyrio coronata est, Anno Xpi.* CCCIII. *exeunte, si relegas annos tres, reperies ejus peregrinationem in annum Xpi.* CCCI. *ineuntem incidisse.*

quia nihil habeo, quod sacrificem, me ipsam offero in sacrificium Deo hostiam viventem. Ubi pro sacrificio bonorum elargitiones pauperibus factas intelligit, qua de caussa ab eo, cui desponsata fuerat, Consulari Paschasio delatam legimus. Atqui per triennium sacrificiis hujusmodi vacasse se dictitans, ostendit, mox ut Catanâ, ubi divitiis valedixerat, in Patriam rediit, tres circiter annos excurrisse; quum igitur anno CCCIII. Martyrium subjerit, Catanam adire non nisi sæculi hujus initio potuit. Sæviente alioqui Diocletiani persecutione omnium immanissima sub extremum ejusdem Imperii tempus anno CCCIII. & CCCIV. insolens videtur, quod festus natalis dies Agathæ tanta sollemnitatis pompa, ut in Actis describitur, potuerit Catanæ nedum a Civibus, sed & a finitimis dissitisque populis celebrari. Quod denique Sigebertus Monachus obtrudit: S. Luciam passam anno CCCXI. scribens, prorsus non cohæret, ut multis ostendunt laudatus Cajetanus, & de Angelo (a)

Ann. Xpi. 301.

(a) In Ann. Sicul. Sec. 4. §. 2.

III. Anno CCCIV. Sub Calvisiano Consulari Euplium sanctissimum Diaconum martyrio coronatum Acta exhibent Consularia a Baronio in Annales Ecclesiasticos relata, a Cajetano, et aliis exscripta, quæ in tertiam hujus historiæ partem rejicimus, Græca hic ex m. s. Codice S. Salvatoris Messanensis recitando: (b) „ Diocletiano, „ et Maximiano Imperantibus is Idololatriæ furor exarsit, et omnes per Regiones, et Insulas Idola denuo erigerentur. Hinc Pentagorum quemdam in fines Provinciæ Siculæ Imperatores misere, cum mandatis, ut in quos „ nondum animadversum esset, omnino delerentur. Imperatorum Legatus Catanam primùm 304.

(b) Apud Cajetanū tom. p. SS. Sicul.

Anno Xpi. 304. „ mùm venit. Ingredienti Urbem, quod eſt
„ ſollemne Græcis, Civitas obviam proceſſit, ut
„ Calviſiano placuit, qui ſtatim poni in Achil-
„ leo (*) tribunal ſuum jubet, eòque populum
„ convocari per præconem. Illic una cum con-
„ ſediſſent, adſtante populo: Omnes ne, Pen-
„ tagorus dixit, Deos noſtros colunt? Cui Cal-
„ viſianus: *S*ane omnes, quos pietas tua videt.
„ Tum Pentagorus, cum populum dimitti im-
„ peraſſet, Calviſiano aperit, quæ ab Imperatori-
„ bus mandata perferret de cęde Chriſtianorum,
„ traditiſque edictis, ut ea Calviſianus exeque-
„ retur, ad alias ipſe Civitates digreſſus Agri-
„ gentum meditatus feſtinabat. Calviſianus igi-
„ tur, cum dæmonum facibus, tum Imperatorum
„ litteris inflammatus, præcipit Apparitoribus,
„ Civitatem, ſubjectamque regionem diligenter
„ perſcrutentur, etſi quem Chriſtianorum repe-
„ riant, adducant illico ad ſe, quiſquis fuiſſet,
„ cumulatam annonam, honoreſque præ cæteris
„ conſecuturum. Continuo aſſiſtentium quiſquam
„ Calviſiano Præſidi dixit: Domine hoſpes (*)
„ quidam hìc eſt, cui nomen Euplius: Is libellum
„ habet ſecum, quo multos in fraude inducit, con-
„ teſtans magnum eſſe chriſtianorum Deum. Au-
„ dito Calviſianus plurimum commotus, prope-
„ ratè hominem vinctum adduci coram jubet:
ſimul

(*) *Achilleus loci nomen erat, in Urbis medio, cujus mentio in vita S Leonis Epiſ. Cat. ubi Heliodorus Magus, quem in Urbis centro aliunde combuſtum fuiſſe conſtat, a S. Epiſcopo in locum, cui nomen Achelles deductus dicitur.*

(*) *Græcum Menologium Euplium ex Urbe Catanæ, & Troparion civem Catanenſ. appellant*; fortaſſe, *ait Cajetanus*, externus a Gentilibus exiſtimatus eſt habitu, quo erat indutus.

,, simul satellites Civitatem percurrunt, repertumque in cellula B. Euplum Dei Evangelia docentem aggressi, vinctum ad tribunal Præsidis ocius trahunt. Impius autem Calvisianus a Dæmone actus, B. Eupli manus, pedesque vinculis ad genua implicans; Tu ne, inquit, es fraudator Deorum, et Imperatorum contemptor; et quid illud est, quod in manu tenebas? Euplus dixit: Lex et testamentum Domini Dei mei Jesu Christi, quod jens cubitum, surgensque è strato idemtidem revolvo. Calvisianus dixit: Immola Diis. Et Euplus: quinam sunt isti Dii tui, quibus immolem? Calvisianus: Jovi, inquit, Esculapio, Dianæ, (*) & Galino. Tum Euplus dixit: Vere in his cæcus es, quod Jesum Christum Dominum nostrum ignoras, qui Cœlum et Terram condidit, hominemque e luto composuit, qui Christianos immortalitatis nos veste induit venerabili, glorioso, suo præfulgente, & incutiente terrorem Baptismate. Calvisianus dixit: Nondum tormenta ingressus tyrannicè adeo loqueris? Euplus vero dixit: Tormenta tua coronæ meæ sunt, tibi vero tenebræ, & perditio. Quibus auditis, nequissimus Calvisianus furore succensus a Diabolo parente suo, defigi palum jubet, Euplumque ex eo appendi; manus item e ferro confici, iisque carnes ejus sedulo dilaniari. Beatus Euplus respiciens Cœlum: Domine Jesu Christe, dixit, si isti lacerant carnem meam, et nudum, cruentumque sistere ad nefarium tribunal volunt, indue me Ann. Xpi. 304.

(*) *Galinus Græcis est Tranquillus. Crediderim Deum, qui mare tranquillum redderet, Galini nomine venire.*

Ann. Xpi. 104.

" me carne immortalitatis, neque tormenta, quæ
" parant adversum me, prævalescant. Tunc audita est e Cœlo vox: confide Eupli, et forti animo esto, nam vera illa vestis præparata jam tibi
" est. Exinde Calvisianus Consularis dixit; quod
" si velis desistere a nugis istis tuis, agedum accede, et sacrifica Diis; ita enim non modica præmia assequere ab invictis Imperatoribus, eris-
" que amicus noster. Euplus dixit: vel ex hoc agnosce te ipsum perditissime homo, & opera tua
" Diaboli esse, quod venerari me Idola præ auro, & argento suades. Calvisianus Tyrannus
" furore percitus, malleos ferreos confici præcepit,
" iisque B. Eupli tum tibias collidi, tum maxillas
" contundi. Euplus dixit: Fatue, & amens, quid
" his me crucias? Tormētis aliis, si potes, excrucia.

IV. " Statim autem Calvisianus Præses vinciri B. Euplum jussit, colloque ejus sacrum Christi
" Evangeliū alligari, eoque deridiculo in carcerem
" abire; cujus fores post Eupli ingressum obsignari annulo suo mandavit, insuper excubare
" milites ad custodiam. (*) Jam dies, noctesque
" septem B. Euplus in carcere transegerat, cum
" siti confectus, sublevatis in Cœlum manibus,
" sic orabat: Dominator Jesu Christe Fili Dei, &
" verus Deus noster, qui nulli animanti suam escam
" negas, qui Hebræorum satiasti sitim, aquis e
" saxo per Moysen famulum tuum miraculo expressis, qui Sansoni fontem, in demortua maxilla, quam
" fortè arripuerat, aperuisti, qui nos lætificas, in-
" duisque pretioso Baptismate, quo fluentum Jor-

 dan-

(*) *Sub Ecclesia s. Euplio dicata extra portam Stesichoream ejusdem Martyris carcer præcipua veneratione habetur; Fossulam in eo designant unde aqua emanavit.*

„ daneum, et immortalis vitæ lavacrum hostem „ conterens scaturire præstas; Domine Jesu Christe, vel nunc jube fontem aquæ vivæ, qua „ satier, hic prorumpere, ut cognoscant omnes, „ alium præter te Deum non esse. Finita prece, sub carcere repente fons erupit; Ille vero Deo gratias agere, consubstantialemque, & vivificam Trinitatem laudare non desistebat, simul ineffabilem Dei erga homines charitatem summa animi jucūditate celebrabat. Septimo exinde die rursus impius Calvisianus B. Euplum sisti vinctum ad tribunal suum imperat; neque id segniter a satellitibus præstitum est. Quibus fores aperientibus carceris, de improviso exundans aqua visa est, quæ, ut B. Euplus, quasi manu increpuit, statim exaruit. Apparitores vero, cum quod gestum erat, vidissent, invicem dicebant: Magnus est hujusce viri Deus. Dehinc B. Euplum e custodia ad Præsidem Calvisianum adducunt, qui contuitus vultum ejus: Vel nunc dixit, immola Diis nostris, priusquam gladio conficiare. At Euplus: Exlex, dixit, vecors, minister Diaboli, qui in eodem throno præsides, quisnam deserta luce diei graditur in tenebris? Calvisianus dicto turbatus præcipit apparitoribus, vincirent Euplū, uncisque ferreis aures ejus lacerarent. Cum reduceretur ad tribunal, universus populus quasi ad celebre spectaculum eò convenit. Nequissimus autem Calvisianus medio diei sellam suam juxta carcerem locarat; ubi cum sedisset, sanctissimum Euplum capite plecti jubet. Sed B. Euplus Calvisianum rogans, ut ad orandum sibi tempus concederetur, aperto sacrosancto Evangelio, mirabilia Domini nostri Ann. Xpi. 304.

Anno Xpi 304. ,, stri Jesu Christi mysteria enarrare cœpit, quo ,, factum est, ut per ipsum plurimi de plebe ,, fidem receperint. Dein intentus in preces vo- ,, cem hanc de cœlo audivit: Bono Euple, ,, animo esto. Beatus es, veni & cum his, ,, qui in vita complaciti mihi sunt, requiesce. ,, Qua accepta voce gladio percussus est. Pre- ,, tiosas ejus reliquias dilecti Christo Monachi, ,, quidam honesto loco posuere. Ubi frequen- ,, tes morborum curationes beneficio ejus præ- ,, stantur. Beatus Euplus martyrium laudabili ,, confessione consũmavit pridie Idus Augusti: ,, Impp. impiis Diocletiano, & Maximiano, re- ,, gnante vero in nobis Dño Jesu Christo.

V. Breviarium Gallicanum de morte Euplii hæc habet: *Sub Diocletiano nonies, & Maximiano septies Consulibus pridie Idus Augusti in Civitate Cathanensium apud Siciliam, cum esset B. Euplus extra velum secretarii, exclamavit dicens: Christianus sum, & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisianus Consularis dixit, ingrediatur qui clamavit. Et cum ingressus fuisset B. Euplus Evangelia portans, dixit Consularis: Torqueatur, quousque confiteatur, se Diis sacrificaturum. Sed cum nihil proficeret, jussit eum decollari, & facta prius oratione paravit cervicem; & septies a nullo potuit amputari, nec lædi collum ejus. Ob quod spectaculum illa hora multi crediderunt in Christum. Et cum iterum orasset, ut cum SS. Martyribus coronam acciperet, extensa cervice, excepit gladium. Et statim de collo ejus columba candida exiens tanquam nix cœlos penetravit. Et vox de cœlo dicens: Euple famule Dei veni, accipe coronam certaminis feliciter consummati.*

Varias

 Ann. Xti. 304.

VI. Varias porro animadversiones Actis S. Euplii cum Latinis, tum Græcis elucidandis edidit Cajetanus, illudque in primis de Anno martyrii discutit, quanam ratione Diocletiano octies Consule, Christi cccIII. mense Augusti Calvisianus Siciliæ Consularis Catanæ, proximo vero Decembri Paschasius Syracusis dicatur. *Nam is accusatus est a Siculis, quod Provinciam prædatus esset, & nonnullis ante demortuam Lucium menses delatus erat in judicium ad Imperatores, sive ad Senatum, quare non videtur Calvisiano succedere potuisse, qui Augusto mense Siciliam administrabat. Nam si ab Idibus Decembris, quibus Paschasius Consularis Romam vinctus deductus est, demas eos dies, quibus accusationes provincialium e Sicilia in Urbem delatæ; cognitæque a Senatu, eosque item dies, qui intercessere, donec ab Urbe missi, qui comprehenderent, in insulam pervenerint (duos aut tres menses fuisse saltem dicendum) quid temporis administratæ Reipublicæ Paschasio dabis! Vix menses duos; Brevissimo hoc tempore, tot avaritiæ exēpla, tot scelera patrasse, ut a Provincia dimoveri, vinciri, damnarique meruerit, non videtur verosimile. Quin inde revinci potius arbitror: Paschasium aliquot ante annos Siciliam rexisse; Calvisianum vero successisse Paschasio, ac proin S. Euplii martyrium in annum consequentem rejiciendum, scribendumque bis actibus Diocletiano 9. & Maximiano 8.* In Gallicano Breviario, ut vidimus, ita scriptum, *Diocletiano*, nempè, *nonies*: quamvis error irrepserit in Maximiani Consulatum, qui octavus, non septimus fuit. In m. s. Vallicellensi, & Colbertino Acta Latina nonum etiam Diocletiani, atque octavum Maximiani

Anno Xpi 304. ximiani, exhibent Consulatum. Hinc Clarissimus Mambritius, Ruinartius, Tillemontius, Fleury, aliique Recentiores cum Bollandistis Euplii martyrium in annum CCCIV. referunt. Ergo Lucia primo persecutionis anno sub Paschasio, quo exauctorato, Calvisianus Provinciam administrandam suscepit, ac sub eo Euplius martyr effectus. Idipsum Pentagori Legatio evincit *cum mandatis*, ut Græca habent Acta, *ut in quos nondum animadversum esset, omnino delerentur*. Ante Calvisianum igitur Persecutio Diocletiani in Christianos desævire cœperat. At hæc, ut Valesius (a) scribit, & Eruditi omnes hodie contra Baronium, & Petavium, censent, Christi anno CCCIII. initium sumsit; Euplii proinde triumphus in posteriorem incidit.

(a) In notis ad Eusebii chron. lib. 8.

VII. Jamvero in *Cellula* S. Martyrem a militibus inventum acta referunt, sed in Græco est in *Cellio*. An loci nomen, an Monasticum cubiculum? *Cellium* quippe est Monachorum cellula. *Igitur inclinat animus*, prosequitur Animadversor, *ut e monasterio S. Euplium extractum censeam; ac præterea moveor, quod extremis Actis dicitur: Corpus S. Euplii a duobus monachis honestè conditum, qui sane ex eadem B. Euplii familia esse debuerunt*. An insolens pro illo ævo Monasterii nomen? Laudatus equidem Cajetanus in Isagoge ad Siculam Historiam (b) in Christi annum nonagesimum Monachorum initia in Sicilia rejicit, ac monasterium in monte Crotaleo, cui præerat Agatho intrudit. Mox Tauromenii S. Niconem Monachos adlegisse ferme ad centum, scribit, qui Martyres dehinc sunt effecti. Rursus Valeriani, & Gallieni tempore monasterii S. Stephani in pago, cui nomen

(b) Cap. 41. fol. 34.

 Anno Xpi. 304.

Tyro meminit; Conjecturam denique ex hac ipsa S. Euplii vita, de Cellio ac monachis in ea memoratis, in medium adducit. Sed ut verum fatear, quæ Cajetanus congerit Criticis minime probantur: *Quod ad originem spectat monasticam*, inquit Thomassinus (a) *jam præsumptum illud animo est ac omnino exploratum, non potuisse eam ante Ecclesiæ pacem Imperio Constantini partam efflorescere. Detonuisset persecutionum crebra tempestas in hæc Christianæ pietatis sacraria, atque eorum originem siluisset Historia, non tacuisset certe ruinam. Cogimur ergo confiteri cum Hieronymo, & antiquis Patribus Ecclesiæ incunabula monastici instituti in ipsis Constantini Imperii primordiis collocanda esse*. Italia porro ex eodem Thomassino, hoc divino semine non ante fœcundari cœpit, quam Athanasius B. Antonii vitam Romam inferret; Ex Italia in adjacentes Insulas, facilis ac brevis trajectus, quæ sanctimoniæ monasticæ deinceps fœcundissima fuere seminaria. Non inficiar quosdam Ascetarum more in Ecclesiæ primordiis vixisse, at sub Regula & congregatione, speciali veste, exercitationibus, officiisque ad certas horas alligatis, & sui semper simillimis, scholis, coloniis, cœnobiis, id nusquam nisi post Antonium. Neque illa, quæ Cajetanus ex Actis martyrum profert, aliique, & novissime Benvenutus (b) ex ipsa Euplii historia, congerunt, obsistere; Acta enim Græca, mendis respersa, ut communiter Eruditi sentiunt, ac sublestæ fidei censēda. Sed hæc longius, quam par erat, me ab instituto revocarunt.

(a) Tom. p. discipl. Eccl. lib. 3. cap. 12. n. 5.

(b) De Com. vita Cleric. sec. 3. cap. 5.

VIII. Euplii Carcer superstes adhuc. Ejus parieti orientali, ædicula sive loculamentum in-

est

Ann. Xpi. 304. est, ubi columella opere Corinthio (æris Corinthii legit de Angelo) in qua, fama est, simulacrum Idoli insedisse, quod Euplius suis subvertit precibus; compulsus enim, ut vulgo tradunt, exhibentque antiquæ Icones, a Tyranno thus Dæmoni adolere, mox ut thuribulum duxit, Idolum corruit. Columellam in foro olim constitutam tradit Cajetanus, translatamque, & locatam in carcere docebat inscriptio, quam alibi dabimus, quum de hoc carcere fusius agemus.

IX. De mortis die dissidium inter Agiographos, sed levioris certè momenti. Surius enim ex Metaphraste *Euplii martyrium*, scribit, *ac sancta confessio completa est die xi Augusti*. Consonat Menologium Cardinalis Sirleti: *Die xi. Augusti* S. *Martyris Eupli*. Apud Tillemontium dies XXIX. Aprilis adsignatur primæ Euplii interrogationi, secundæ vero dies XII. Augusti, qua et mortuus. Codex, unde Acta a nobis recitata exscripsit Cajetanus, in diem Augusti IV. videtur quæstionem primam rejicere, mortem in XV. S. Notcherus denique in suo Martyrologio detruncatum die XI. sepultum sequenti scribit. An hæc verior Opinio, quæ & aliorum diversas conciliat?

X. Ageyero, quæ in laudato sæpius S. Hjeronymi Martyrologio leguntur, paucis fortasse ex nostris civibus nota, prodamus. Consignantur in eo passæ cum Euplio Veneria, & Nericia, an Virgines? Siculæ et Catanenses. At quia de illis mentio in Latinis Actis nulla, ideo eodem die, sed non eodem anno, eas martyrium subiisse, credit Tillemontius (a), Vereciam, seu Nericiam, & Veneriam Syriæ tribui in vetusto Antuerpiensi Martyrologio scribit Franciscus Floren-

(a) In notis ad vitam Euplii

(a) In notis ad Martyrol. Hieronymi. rentinus (a) Ex *silentio scriptorum, qui Euplio diacono Siculo socios non adduxit, Nericiam, & Veneriam dubitari posset alterius provinciæ fuisse indigenas, nisi id apertè doceret ms. vetustissimum Antuerpiense, in quo cum aliis Verecia, non Nericia, Syriæ, non Siciliæ adscribitur; quamvis ex proxima repetita Syriæ voce hæsitatio prorsus nō tollatur.* Ann. Xpi. 304.

XI. Idem Florentinus S. Serapionem Episcopum, & martyrem post Euplium diaconum statuit, cujus est apud scriptores sacros die XI. vel XII. Septembris memoria: En illius verba ad eumdem diem: *In Civitate Catana Eupli diaconi, & Serapionis Episcopi martyris. De Euplo diacono egimus ad diem 12. Augusti. Certaminis in eadem Urbe Catana socium Eupli diaconi fuisse Serapionem Episcopum improbabile non est; Quos, licet diversa die martyrium consummaverint, disjungere tamen noluerint, qui Martyrologium scripserint; unde in die natalis S. Serapionis Episcopi Euplum ejusdem diaconum iterata veneratione addiderint.* Idipsum antea adnotaverat pridie Idus Augusti, de Euplio scribens: *die* XII. *Septembris Catanæ cum Euplo Serapion etiam Episcopus additur.* Cajetanus (b) Euplium diaconum die XII. Septembris in sacris fastis memoratum confessorem credit ab Euplio diacono, & martyre diversum, & Serapionem Episcopum, a Ferrario inter martyres, nescit, quo fundamento locatum, quum in Adonis, Maurolyci, & Galesini Martyrologiis simpliciter legatur: *In Sicilia Civitate Catanæ SS. Eupli, & Serapionis.* Hinc ambos incertæ ætatis, ac ævi inferioris dicit. In Hjeronymiano demum Martyrologio, quod Acherius edidit: *In Sicilia Civitate Cathenas SS. Eupli diaconi, et Serapionis Episcopi, magni.* An hæc vox *Magni* Amanuen-

(b) Tom. 2. II. pag. 32.

nuen-

Ann. Xpi. 304. nuenſium vitio irrepſerit loco *Martyris*? Anceps igitur animi Serapionem per hæc tempora ſtatuo, rurſuſque de eo ſub oſtavi ſæculi finem.

XII. Morte etiam affectos ſexdecim illos ſanctos Martyres, de quibus ad annum LXIV. in hac Diocletiani perſecutione nonnulli contendunt, atque ita in Catanenſi Eccleſia diu traditum affirmant. Per idem denique tempus S. Felix Thibarenſis in Africa Epiſcopus per dies aliquot Catanæ a piis fidelibus hoſpitio recipitur, dum e ſede ſua Romam vinctus navi veheretur. Acta apud Surium: *Jejunus Felix in portum pervenit, & in Civitate Agrigento exceptus eſt a fratribus cum ſummo honore, inde venerunt in Civitatem nomine Catanam, ubi ſimiliter ſunt excepti; inde Meſſanam, inde Tauromenium, ibi ſimiliter ſunt excepti, poſtea per fretum navigaverunt in partes Lucaniæ*. Corrigit de Angelo Acta, quum enim excedenti Catanâ primo Tauromenium, inde Meſſana occurrat, hinc Tauromenium primo, mox adiiſſe Meſſanam S. Epiſcopum ſcribit. Acta ejuſdem Felicis apud Ballutium tom. 2. Miſcel: & Acherium in Spicilegio, de appulſu in Siciliam nullam ingerunt mentionem.

CAP. IV.

Anno Xpi. 312.

CATANA

SUB ROMANIS IMPERATORIBUS.

AB ANNO CCCXII. AD CCCCLIV.

I. AD Catanensis Ecclesiæ clavum sub ipsis Constantini Magni Imperii initiis sedisse S. Severinum Acta translationis S. Agrippinæ Virg. & Mar. Romanæ restantur: *Ergo ædificata ab Euprepia Ecclesia, ac* S. *Severino Catanensi Episcopo ad id muneris accersito consecratur in honorem Dei, & Martyris Agrippinæ* VI. *Idus Junii, Imperatore Constantino, & quiescente per Dei beneficium Ecclesia*. Memoratur noster Episcopus Cajetano, Pirro, Grosso, & aliis, qui nedum S. Agrippinæ ædem Mænis illum consecrasse, sed ejusdem Sanctæ Virginis Corpus sollemni ritu deposuisse anno circiter CCCXII. scribunt. Severini ad cœlum transitum die VIII. Junii annua celebritate Catanensis Ecclesia venerabatur, ejusque vitam ex antiquis erutam monumentis penes Cajetanum asservatam tradidit Grossus. Verum in opere, quod lucem jam adspexit, nihil tale editum, doletque Author, de Severino scribens, quod preter memoriam nominis, ævique, quo vixit, cætera longe potiora, ne posteris memorarentur, tempora obliterarunt.

II. Per idem tempus munifica Constantini Sacris Romanæ Ecclesiæ ædibus donatio inter

Ann. Xpi. 324. ter alia bona *Massam* (*) recenset *in Castis*, seu *in Capris*, ut apud Labeum legitur, *in territorio Catanensi præstantem solidos mille*, & *Massam Trapeas in eodem etiam territorio præstantẽ solidos mille sexcentum & quinquaginta*. Est in agro Catanensi sub Ætna amplissimus fundus *Capraria* appellatus. An idem, qui Romanæ Ecclesiæ a Constantino legatus, retinet adhuc fortasse nomenclaturam? *Massam Trapeas* eo in loco sitam putat Grossus, ubi nunc pagus, cui a Trapeto nomen. Illud non omittendum, nullibi ditiores fundos in laudata Constantini donatione Ecclesiæ Romanæ adsignatos; præstabant quippe solidos (*) bis mille sexcentos & quinquaginta, quos neque Sardiniæ insula, neque horti, & agri intra Romanos fines conclusi reddebant. Catanenses Massæ servitio luminum deputatæ; Romani redditus bis mille tercentos solidos non excedentes sacro fonti cum aliis adsignati. Donationem hanc anno CCCXXIV. reponit Baronius.

III. Jamvero ejusdem Magni Constantini opera apud Niceam Generale Concilium tercentum, & amplius Episcoporum adversus Arium cogitur, inter quos Siculos etiam assedisse cum aliis Occidentalibus ex uno Capitone Siculo incertæ sedis ab Athanasio memorato colligunt Historici, quamvis in ejusdem Concilii actis Occidentalium nomina exciderint. Damnato Ario, ac Fidei Catholicæ articulis firmatis, Nostri e Syn-

(*) *Est Massa Mansus, seu fundus, possessio, villa, unde Massarius, et lingua vernacula Massaria.*

(*) *Est solidus 72. portio libræ auri, seu sexta unciæ pars, ut Joannes Fridericus Gnovius lib. 4. de veteri pecunia cap. 15. statuit, ac Juliis Romanis 15. respondet.*

(a) Appar. ad Bibl. §. 4. Cajeta. Isag. c. 36. Synodo reduces, teste Mongitorio (a) Provinciale Concilium convocarunt, quæque in Niceno universali rite sunt constituta, Nicenæ fidei formula suis proposita, confirmarunt, ut ex Epistola ejusdem Athanasii ad Africæ Episcopos colligitur. Ann. Xpi.

IV. Anno CCCXXXVII. Constantinus Imperator tribus filiis Imperio diviso, e vivis excessit, Sicilia Constanti obvenit, quo mortuo Cōstantio paruit. Sub eo Sardicense Concilium congregatum, assidentibus inter tercentos sexaginta duos Patres Siculis etiam Episcopis (b) Athanasium restituit, damnatisque iterum Arii dogmatis Nicenam fidem probavit. Post Constantium Julianus Orbis regimen assecutus blādum in Christi fideles, sed eo perniciosius bellū indixit. Notat Libanius Sophista apud Carusium (c) Juliani ætate plures atque insigniores Siciliæ Urbes terræmotu periisse. An etiam Catana? magnamque annonæ penuriam universum pene imperium devastasse. Periit Julianus biennio nondum Imperii exacto, post quem Jovinianus optimus Princeps mensibus octo obtinuit. Huic in Occidente Valentinianus studio in Fidem Catholicam commendandus, in Oriente vero Valens vitiis, crudelitate, atque Ariana perfidia insignis, successores designantur. 337 363

(b) Cajet. loc. cit. Angelo An. Sic. Sec. 5. §. p.

(c) Sic. Hist. lib. 5.

V. Sub idem tempus altera in Sicilia Provincialis Synodus coacta Nicenam fidem denuo firmavit; At Macedonianos per dolum ad communionem admisit. De ea in Actis Conciliorum Labeanæ editionis Tom. 2. Terræmotus etiam ingens Urbem, ac Siciliam rursus, teste Paulo Diacono adeo concussit, ut mare littus prætergressum, Urbesque innumeræ solo equatæ ingentem populi multitudinem absumpserint. Hisce

Ann. Xpi. sce malis, cladibusque subjectam Catanam suspicari; culpanda tamen scriptorum incuria, ac temporum calamitas, quod nedum Catanæ, sed & totius Insulæ memorabilia toto hoc sæculo, alto premantur silentio. Vix enim credibile, ut cætera omittam, Ætnæ incendia a Decii tempore ad hanc usque ætatem siluisse.

375. VI. Valentinianum Gratianus, & Valentinianus II. ejus filii excepere; sub quorum Imperio Occidentis Provinciæ, atque in primis Sicilia sæva contagione depopulatæ. Gratianus porro oneri impar Theodosium regni socium sibi adscivit, in quo uno tandem rerum summa coaluit usque
395. ad Anni cccxcv. initium, quo Arcadius, & Honorius Theodosii filii, ille Orientis, hic Occidentis regimen sunt nacti. Honorius lege undique lata anno cccxcviii. cultum idolorum
398. gravissimis pœnis indictis damnavit, diruique delubra præcepit. Tunc, si Carusio credimus (a) celebris Deorum Palicorum ara, ac templum, quæ in finibus, ut alibi diximus, Catanæ sita, atque alibi passim per Insulam Dæmonum ædes solo æquatæ, quarum aliquot sacrificio, cultoribusque profanis destitutæ Christiano ritu initiantur.

(a) Sic. Hist. lib. 9.

VII. Insequens Sæculum orbi, & Siciliæ infaustum; parum quippe abfuit, quin Pelagiana Hæresi, quæ altas ubique egerat radices, tota Insula inficeretur. Mox Alarici Gothorum Regis minis tentata, non sine prodigio a barbarorum incursionibus servatur. Hinc Paulus Diaconus (b) *Gothi*, ait, *per Campaniam, Lucaniam, Brutiumque simili strage debacchantes Rhegium pervenere, in Siciliam transfretare cogitantes, qui cum transmeare ascensis navibus vellent, per-*

(b) Lib. 3. de Bel. Gothico.

 pessi

pessi naufragium, plures suorum amiserunt. Alaricus inter hæc, et dum quid ageret deliberaret, apud Cosentiam morte subita defunctus est. Sed Photius in Bibliotheca ex mente Olympiodori rem ita enarrat. *Rhegium Metropolis est Bruttiorum. Ibi hoc pacto refert Historicus, Alaricum, dum in Siciliam trajicere parat, territum fuisse. Statua enim inquit, inaugurata ibi stans trajectum vetabat. Fuerat vero hæc, ut fabulantur, ab antiquis inaugurata, cum ut Ætnæ montis ignes averteret, tum ut maris transitu barbaros prohiberet, altero enim pede perpetuum ignem, altero vero perennem aquam premebat. Ea igitur statua confracta, tandem, & Ætnæo igne, & a Barbaris Siciliam accepisse. Eversam vero statuam ab Asclepio, qui in Sicilia possessionum Constantis, & Placidiæ Curator erat.* Quæ profecto non arguunt statuam ad orientale Siciliæ littus stetisse, et ab Ætna inflammatam, ut Georgius Gualtherius interpretatur (*a*) nec vero in Insulę commodum locari potuit; *quò enim in alieno eam collocassent solo!* ait Avercampus (*b*) *verùm in ipsius Rhegii, ne scilicet vel Ætna mons limites supergressa, ipsam afflaret Rhegium, vel mare exuberans fines inundaret; quasi ita ignis alteri pedis aquam restingueret, aqua vero alteri pedis pariter ignem.* Quamvis autem hæc ex vana gentium superstitione conficta observet, passam tamen fuisse damnum ex Ætnæ incendiis Siciliam laudatus colligit Carrera circa annum ccccxx, Idque ex Olympiodori verbis apud Photiũ colligit. 420. Potissimum, quod Barbaricæ incursiones tot per Siciliam consequutis temporibus fuere, ut sinceram circa Ætnæa incendia Historici fidem arguere non immerito liceat; quamvis in caussa

Ann. Xpi. 410.

(*a*) In Tab. Sicil. cap. 19.

(*b*) Mon. Ætna lib. 1. cap. 13.

Anno Xpi. caussa adsignanda, ad statuæ scilicet subversionem cum clades, tum ignes referens, calamo Olympiodorus uti Ethnicus cespitaverit.

423. VIII. Honorio Imperatore mortuo Theodosius, qui loco Arcadii Patris in Oriente regnabat Valentinianum III. adhuc quinquennem Cæsaris donatum titulo in Italiam misit anno, ccccxxiii. qui mox Augustus salutatus sub Placidiæ Matris tutela regimen assumpsit. Sub eo an-
430. no ccccxxx Domninum Catanensem Episcopum quartum post Beryllum nostri statuunt, atque œcumenicæ Ephesinæ Synodo sub Cælestino primo indictę interfuisse credunt. Grossus superstitem ad annum ccccli. quo Chalcedonense Concilium celebratum, facit, sed labitur; inter Patres enim Chalcedonensis Domnini Episcopi nomen desideratur. Relata in eo Ephesini Actio cum Domnini subscriptione erroris caussa Grosso fuit; At Pirrus, et Cutellius in ms. Catanensium Episcoporum Catalago id advertunt, ac inter Ephesinos Patres enumerant quidem, neutiquam vero inter Chalcedonenses. Verumenim vero ab exemplari codice Conciliorum Surianæ editionis deceptos ita scripsisse constat; in quo Actione prima Concilii Chalcedonensis relegitur Actio sexta Ephesini cum subscriptionibus, ac in his Domninus *Carthanensis*, sive ut in margine notatur, *Catanensis Episcopus* refertur. Collatis porro aliis Ephesinæ Synodi Actionibus, Domninus quidem subscriptus legitur, at modo Episcopus *Cotiæ*, nunc *Catanæ*, seu *Cothiæi Provinciæ Phrygiæ Salutaris* dicitur. Quod ergo in relatione Actionis sextæ facta in Chalcedonensi *Carthanensis*, seu *Catanensis* vocetur, amanuensium incuriæ tribuendum.

Cæte-

IX. Cæterum in Labeana noviſſima editione, quæ aliis correctior, *Catanæ*, *Cotyæi*, & *Cutiæ* Epiſcopus Domninus appellatur, etſi Actione prima Domnini loco *Rheginus Conſtantiæ*, & in margine *Cattaniæ* ſubſcribat. At quis Rheginum ideo Catanenſibus Epiſcopis accenſeat? Denique in ipſo Concilio Chalcedonenſi juxta Labeanam Chryſogonus Presbyter Actione ſecunda, & ſexta locum tenens Pauli *Catanenſis* Epiſcopi ſubſcribit, & alibi *Cantanenſis*, *Cantani Candiæ* dicitur; neque idcirco Paulum nobis uſurpamus. Variant, inquies, Exemplaria, nec certum omnino, cui ſtandum. Quid, ſi Eccleſiaſtica refragatur hiſtoria? *In Synodo Epheſina*, ait Thomas de Angelo, *Domninum occidentalem Epiſcopum conſtituere, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem non redolet; cum eodem anno Cœleſtinus Romanus Pontifex ſacra Theodoſii Imperatoris accepta, Occidentalium Epiſcoporum conventum Romæ peregerit; & in eo ſoli Legati ex occidentalibus ſelecti Arcbadius, & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter, atque in Orientem miſſi, qui Cœleſtini Pontificis vices in Epheſino Concilio ſubirent ex ſolis Orientalibus congregato*. Id vero ex relatione Concilii ad Imperat: quæ prope finem Actionis 3. nectitur, ex Pagio, & de Alexandro, aliiſque colligit. Quæ quum ita ſint, ac veritati magis conſonum videatur Domninum expungere, non eſt, cur illum nobis adjudicemus. Ann. Xpi. 430.

X. Sub Valentiniano primus in Inſulam Vandalorum incurſus, quem alii CCCCXXXVI. ſalutis anno, nonnulli poſt triennium reponunt, Caſſiodorius vero in CCCCXL. rejicit. Eo maritimæ Urbes more piratico depopulatæ, ac Panormus obſidione preſſa. Verùm Caſſiodorio ſenio- 436.

re

Ann. Xpi. re Duce Barbari majori ex parte in fugam acti,
440. armisque deleti, reliqui cum Genserico eorum Rege in Africam ad propria tuenda sunt revocati. Necdiu, iterum redeuntes, tandem san-
442. cito fœdere recesserunt, unde optata Siculis trãquillitas eluxit.

454. XI. Hac frui pace vix porro datum; quandoquidem Valentiniano occiso, Gensericus sprcta pacis religione ad Siciliæ prædam animum adjecit. *Post mortem vero Valentiniani,* inquit Procopius (a) *aliquot annos Veris tempore longas fecit prædando, aut populando excursiones, nunc in Siciliam, nunc in Italiam, Civitates insuper partim diripiendo, partim solo æquando; Ubi vero omnia delevit, ad Orientis conversus imperium, Illiricum omne simul, & Peloponnesum, hisque adjacentes Insulas cum reliqua Græcia invadit. Ad Italiam rursus Siciliamque revertens, si quid erat reliquum diripuit.* Ab hoc sane tempore Sicilia pene sub Vandalis, & Gothis principibus jugo barbarico oppressa diu ingemuit.

(a) Belli Gothici lib. 3.



CAP. V.

CATANA

SUB REGIBUS VANDALIS, ET GOTHIS.

I. Siciliæ insulam post Valentiniani cædem Gensericum obtinuisse, ac superbe defendisse Victor Africanus testatur, & Paschasini Lilybetani Episcopi ad Leonem Pontificem docet Epistola, qua ille nuditatem suã, durissimamque deplorat captivitatem (a) sub Vandalorum jugo. Severo Principe, Marcellinus Patricius tanta clade Vandalos contrivit, ut tantum non deleverit, ac Flavii Ricimeris opera anno CCCCLXVIII. Gensericus ipse ad Agrigentũ, cęsus fugatusque dicitur apud Sidonium Apollinarem. Eumdem denique, post ejectum Augustulum ultimum Occidentis Imperatorem, Odoacri, cui tota pene Italia subdebatur, Siciliæ insulam vendidisse, refert Tillemontius. Quæ sane evincunt Vandalos ad annum CCCCLXXVII. Varia fortuna Siciliæ Regnum tenuisse, tandemq: Odoacri cessisse.

Anno Xpi. 461. — 468. — 477.

II. Odoacre occiso Theodoricus Italia potitus, quò Regni Italici fines amplificaret, Siciliam magna classe adortus eam tandem cum circumjacentibus insulis suo adjecit Imperio, ut scribit Fazellus (b) & Cassiodorium juniorem, qui erat illi a secretis, ad turbas aliquot sedandas, eò non multopost ablegavit, ut ex Epistola tertia libri primi ejusdem Cassiodorii colligitur. Anno circiter

493.

(a) Epist. S. Leonis post 63.

(b) Dec. 2. lib. 5. cap. 3.

Anno Xpi. 498. circiter ccccxcviii. Senatus Populusque Catanensis ab Theodorico Rege expetiit, ut diruti Amphitheatri ruderibus ad Urbis mœnia reparanda uterentur. Quibus ille rescripsit sub hac forma. *Honoratis Possessoribus, Defensoribus, & Curialibus* (*) *Catanensis Civitatis Theodoricus Rex: Optabilis nobis est & grata devotio, quæ bonam præcesserit jussionem; & merito acceptum redditur, si id quod possumus imperare poscatur. Felicitas enim Regnantis est, famulantes amare, quod expedit, quando nobis labor cogitationis aufertur, dum subditi sibi profutura disponunt. Atque ideo suggestionis vestræ tenore comperto, quam charitate civica in communiendis mœnibus suscepistis, absolutam hujus rei vobis censemus esse licentiam. Nec quicquam de hoc revereamini, unde gratiæ nostræ expectare præmia mox debetis. Vestra enim munitio nostra est nihilominus fortitudo, & quidquid vos ab incerto eripit, famam nostræ defensionis extendit; saxa ergo, quæ suggeritis de Amphitheatro longa vetustate collapsa, nec aliquid ornatui publico jam prodesse, nisi solas turpes ruinas ostendere; licentiam vobis eorum, in usus dumtaxat publicos damus, ut in murorum faciem surgat, quod non potest prodesse si jaceat. Quo circa perficite confidenter quidquid cautio ad munimen, quidquid ornatus expetit ad decorem: tantum nobis sciturí gratum fore, quod facitis, quantum exinde gratia se vestræ Civitatis extulerit.* (a)

(a) Cassiod. lib. 3. Var. Epist. 49.

515. III. Sub eodem Theodorico Seculi sexti initio Fortunatus Catanensis Episcopus effloruit. An etiam origine noster? Hunc Ormisda Romanus

(*) Magistratus Catanæ Possessores, Defensores, & Curiales hic intelligit.

manus Pontifex cum Ennodio Ticinensi Episcopo Viro clarissimo, sanctitate ac doctrina celeberrimo, Venantio Presbytero, & Vitaliano Diacono ad Anastasium Imperatorem Eutichiana hæresi infectum Legatum transmisit ad explorandum, num res ab eodem Imperatore, qui ad Concilium Generale Pontificem invitaverat, serio ageretur, paratumque eum invenirent, ad Concilii Chalcedonensis professionem, & S. Leonis Epistolam recipiendam. Constantinopolim ergo legati appulsi, a vaferrimo subdoloque Principe excepti, summisque honoribus decorati, omnia pene ad votum obtinuisse sunt visi. Simulata enim pietate, ut infensum sibi populum conciliaret, militesque adversantes ad destituta signa revocaret, articulis fermè omnibus ab Legatis exhibitis ille subscribens, atque Ormisdæ postulatis libentissime acquiescens, uni tantum dissensit, quod Byzantino catholico populo ingratum esse sciebat, de Acacii nomine olim Episcopo ejusdem urbis damnando. Quam nactus ad Orthodoxos fallendos opportunitatem, quum temporis dilatio ad suam causam conduceret, Legatos bona spe innutritos ad sequentem usque æstatem retinuit, omnibusque humanitatis officiis est prosecutus. Hæc Baronius (a) qui Miscellæ Historiæ authorem arguit, nedum salubria Legatorum monita sprevisse Augustum, sed eos potius e suo conspectu non sine contumeliis expulisse, scribentem. Quæ sanè secundę legationi ab eodem Ormisda institutæ conveniunt. Vitandus hinc Grossus, qui etiam secundam cum prima legatione confundens, plura infarcit, quæ nostrum Fortunatũ prorsus dedecēt.

Ann. Xpi. 515.

(a) Tom. 6. Annal. ad ann. 515.

Sequenti

Ann. Xpi. 516. IV. Sequenti anno detentos diu Fortunatum ac socios, magna spe alitos uniendæ Ecclesiæ, Anastasius dimisit, illisque Theopompum Domesticorum Comitem, & Severianum sacri Consistorii Præfectum suos ad Ormisdam Legatos addidit una cum litteris, in quibus suam Imperator confessionem inseruit. Hæc adeo sincera cuique videbatur, ut si rerum eventus dictorum fidem probasset; haud re inconfecta rediisse bona fide Legatos Author Libri Pontificalis diceret (a) Profecto enim in Augusti mentem penetrare solius erat Dei; neque de illius perfidia Pontifex ipse edoctus antea novit, quo blandimenta tenderent, quæve venena sub honorificæ Legationis melle delitescerent, nisi postquam Comites a fide alienos, atque hæreseos Eutichianæ defensores didicisset. Hæc paullo fusius recitata, ut Fortunati nostri Legatio, atque in Ecclesiam merita innotescant; nec enim leve Urbis Catanæ ornamentum Fortunatum Episcopum habuisse. Cæterum si ex Ennodii Ticinensis virtute Fortunati collegæ pensare merita velimus, hunc profecto nulli ex nostris Episcopis, aut saltem paucis comparabimus. De eo S. Gregorius Papa in Dialogis, Philippus Bergomensis in Chronico, & Genebardus, Episcopum Fortunatum multa prosa, ac versu scripsisse, quibus Ecclesiam illustravit, asserens in Chronico. Ennodii Elogium ac vitam habes apud Sirmondum, qui ejusdem edidit opera.

(a) *Anast. Bibli. in vita Horm.*

526. V. Longum Theodorici Regnum Italiæ ac Siciliæ diuturnam peperit pacem. Eo autem e vivis excedente Christi anno DXXVI. penes Amalasuntham imperii summa stetit, quæ pro filio Athalarico adhuc puero administravit. Hæc

cum Justiniano Orientis Imperatore amicitias junxit, ac diu coluit; Hinc quum ad Africam expugnandam a Gilimere Vandalorum Rege oppressam, Bellisarium anno DXXXIV. ille immisisset, ut commeatum, suppetiasque classi circum Insulæ littora enaviganti juxto exoluto pretio Siculi suppeditarent, ab ea expetiit, atque impetravit. Movit autem Bellisarius Methone cum navibus, & primo Zacinthum venit, mox levi vento, diebus sexdecim, in Siciliam delatus Ætnæ montis fines, & Catanæ forte littus attigit, unde Procopium Syracusas clam visitatum misit, tandemque in Africam vectus illam in libertatem asseruit. Ann. Xpi. 534.

VI. Athalaricus vix decimum, & sextum ætatis, atque octavum Regni annum emensus, ante matrem fato functus est. Hæc vero Gothos verita, in Theodorum consobrinum Theodorici nepotem sceptrũ transtulit, cũ quo & thorum communicavit. Sed homo pecuniæ avidus, regnandi ignarus, eò præter spem evectus, egregiam feminam, ac de se optimè meritam in Vulsini Lacus insulam prius relegatam occidi jussit. 535.

VII. Amalasunthæ necem ulturus Justinianus Petri Legati opera restitui sibi a Theodoro Italiam, Siciliamque expostulat, quod si abnuat, bello se eas repetiturum minatur. Ille pertæsus belli incommodi, ac sibi metuens, certis sub conditionibus assensit; mox Gothorum minis territus, fidem fefellit: Itaque Bellisarium magno armorum apparatu, simulata nova in Africam expeditione, Augustus in Siciliam festinare jussit anno Imperii nono, Belli Gothici a Procopio descripti secundo. *Hoc tempore*, ait idem Historicus (a) *Belisarium recens de Gelimere, Vandalisque reportata victoria commendabat.* *Impe-*

(a) Belli Goth. lib. p. cap. 50.

Ann. Xpi. 535. *Imperator vero simul ut de Amalasunthæ casu factus est certior, bellum suscepit annum agens imperii nonum... Belisarius appulsa in Siciliam classe potitus est Catana, inde movens Syracusas deditione, cæterasque Urbes labore nullo recepit præter Panormum*, quam nondiu expugnavit. E Joannes Magnus Episcopus Hispalensis (*a*) *Belisarius cum classe ex Græcia profectus.... nactus occasionem Civitatem Catanensem, quæ inter preclaras Siciliæ civitates tunc putabatur, adortus, repente occupavit*. Ab Urbe Catana auspicatus Bellisarius Siciliæ recuperationem illâ felici omine receptâ reliquam pene insulam subegit, ac Græco adjecit Imperio. Sed præstat Fazellum audire rem fusiori stylo prosequentem (*b*) *Turbatis Gothorum rebus, Belisarius cum classe navigavit in Siciliam; habebatque peditum delectorum copias satis magnas, quibus præerant Constantinus Bessa, & Herodianus; Equitibus vero etiam numero satis validis Valentinus, Innocentius, & Magnus, quibus omnibus supremus ille Dux imperabat. Proinde secutus Justiniani imperium, cum se Carthaginem petere confingeret, Siciliam in transitu applicuit, neque ibi quidquam hostile ab initio molitus est, sed quasi reficiendorum militum causa in iis locis, alia atque alia dissimulans tamquam inde exercitum in Africam trajecturus, tempus terebat. Subinde opportunitatem nactus, Catanam Urbem ex inopinato adortus, superatis Gothis, qui ibi præsidio erant, occupat; mox copias ostentans non alienam personam gerebat, sed aperte ad Siciliam se a Gothorum servitute redimendam venisse fatebatur. Deinde non multos post dies Syracusas petiit, quas parvo labore dedentibus se civibus cepit; quas secute plurimæ*

(*a*) *Hist. Goth. lib.* 10. *cap.* 15.

(*b*) *Dec.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3.

plurimæ Civitates certatim quodāmodo in ejus potestatem venere. Huc usque Fazellus, qui mox Panormi deditionem subdens totius Siciliæ dominium, XVIII. anno, postquam illa a Gothis fuerat occupata, Græcis cessisse, scribit. Verum quum jam ab anno CCCCXCIII. Insula sub Gothis fuerit, ut vidimus, post annum XLII. Græcorum in ea Imperium potius statuendum. Anno Xpi. 535.

536. VIII. Insequens annus felicior Siciliæ accidit ob S. Placidi eximii Monachorum Patriarchæ Benedicti discipuli appulsum prope Messanæ portum, exinde enim Sacra Benedictina familia per insulam universam diffusa, ac propagata, adeo profundas egit radices, ut aliquando supra centum triginta ejusdem Instituti Cœnobia recenserentur, perfectissimis Ascetis referta. Quod autem rem nostram propius tangit, donatio est a Tertullo Placidi Patre Casinensi Monasterio facta, in qua *Modia quinque millia centum quinquaginta terrarum enumerantur, juxta Civitatem Catanensium, cum Ecclesiis, Villis, Sylvis, Aquis &c. ad eas pertinentibus*. Habes integrum donationis hujusce instrumentum apud Pirrum (a) aliosque.

IX. Per idem tempus Bellisarius obsessa Urbe Neapoli, eaque mox capta, Romam aggreditur, ac facili negotio expugnat. Inde a Vitige, quem Gothi Theodoro subrogaverant, ipse intra Urbis mœnia obsidetur, nec multopost eo fugato, variisque cum Gothico exercitu commissis præliis, victor tandem Vitigem ipsum captivum ad Imperatorem adducit. Gothi Ildibadam, mox Erariсum Reges sibi adsciscunt, quibus interfectis Totilam assumunt. Hic bello cōtra Romanos instaurato Gothorum res erigit, Urbem-

(a) Sic: Sac: lib: 4. par: 2: not: p:

Anno Xpi. 544. Urbemque obsidione premit anno DXLIV. Belli Gothici nono.

X. Interim variæ in Ecclesia excitæ turbæ, Orientaliumq: complures se ab Romana Apostolica Sede abalienavere, atque ab orthodoxa fide defecerunt. Quibus malis, ut occurreret Justinianus Augustus Vigilium Romanum Pontificem Constantinopolim enixis precibus invitavit. Vigilius diuturnæ obsidionis incommoda pertæsus, ac simul periclitanti Ecclesiæ opem laturus, Româ abscedens, primo in Siciliam venit, nostrãque Urbem sua præsentia nobilitavit, quin ex patrimonio, quod satis pingue in hac insula Romana habebat Ecclesia suis civibus succurrendũ ratus, quamplures frumento onustas naves in portum Romanum transmisit. *Eodem tempore*, ait Procopius. (a) *Vigilius Romanus Pontifex e Sicilia, ubi morabatur, onustas frumento naves quamplurimas misit, persuasum habens eos, qui imposita ratibus onera agerent, Romam quomodocumque ingredi posse*. Mense deinde Decembri in maximo Ca-
546. tanensi Templo ordinationem habuit, qua Presbyteros, sacrosque Diaconos consecravit, & ex his Ampliatum Presbyterum Vicedominum suum Romam misit, Valentinum vero Episcopum ad Cleri gubernationem sui Vicarium delegavit. Valentinus hic Sylvæ Candidæ Episcopus a Baronio, SS. Rufinæ, & Secundæ ab Anastasio Bibliothecario dicitur, & navibus impositus ab laudato Procopio cum aliis asseritur. Hinc naves onustas e Catanensi portu solvisse, quod Catana frumento feracior præ aliis insulæ civitatibus audit, jure optimo credimus. De Vigilii porro itinere ita Anastasius (b) *Qui ingressus Siciliam in Civitatem Catanensem permissus est facere ordinationem*

(a) Belli Goth. lib. 3. cap. 15.

(b) In vita S. Vigilii Pap.

tionem per mensem Decembrem Presbyteros, & Diaconos, in quibus transmisit Româ Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum suum, & Valentinum Episcopum ad SS. Rufinam, & Secundam ad custodiendas Lateranas, & gubernandum Clerum. Eadem Baronius, & Ciaconius habent, sed hìc duplicem videtur agnoscere Vigilii in Siciliam adventum, alterum durante Urbis obsidione, ut ejusdem vitaret molestias, alterum, quum Theodoræ Augustæ opera, ut Anastasius testatur, Vigilius Constantinopolim in judicium vocatus, vi perductus fuit. *In Siciliam vero*, de secundo itinere loquitur, *perveniens, concedentibus, qui captum ducebant, quosdam ad sacros ordines adscivit, ex hisque Ampliatum Presbyterum, & Valentinum Episcopum, qui Clerum, & Romanam Ecclesiam interim gubernarent.* At fallitur cum suo Anastasio, ut Baronius, Pagius, & de Alexandro hìc observant, semel enim Vigilius in Siciliam navigavit, nec vi compulsus, sed liber, ut Justiniano Augusto morem gereret. Ann. Xpi. 546.

(a) In Addict. ad Ciaconium

X. Oldoinus (a) Decii Mediolanensis Episcopi, & Antiochensis Patriarchæ Legati cum Vigilio conventum Catanæ proculdubio gestum etiam commemorat: *At Justinianus cum quamplurimos primarum sedium Orientalium Episcopos e sui sententia cerneret aversos, & ad Vigilii Papæ arbitrium commissum esse discrimen illud, & ex ejus voluntate omnia pendere, necessarium fore existimavit ipsum Romanum Pontificem Constantinopolim advocare. Quod fecit anno* DXLVI. *ipsum summa celeritate venire rogans. Nec abnuit Vigilius, aut moratus quidem est; eodem enim anno recessit ab Urbe, & se contulit in Siciliam, qua in insula hyemem transegit, ut scribunt*

Ann. Xpi. 546. *bunt. Facundus, & Procopius, ambo illius temporis Scriptores. Quare aperti mendacii redarguitur Anastasius, & Ciaconius Anastasii sectator, dum alias profectionis Vigilii Constantinopolim causas fuisse asserit, ac subtractum violenter ab Urbe, insectatumque jurgiis, & blasphemiis tradit; res enim adeo ignominiosa minime latere potuisset Authores suorum temporum historias accuratissimè prosequentes; cum igitur in Siciliam Vigilius pervenisset, obvium habuit Datium Mediolanensem Episcopum Constantinopoli venientem, & Legatum suscepit ab Ephræmio Episcopo Antiocheno missum, a quibus cuncta, quæ Constantinopoli circa tria Capitula gesta essent, exploratius intellexit, litteras statim Constantinopolim scripsit, quibus nequid innovaretur usque ad sui adventum jussit. E Sicilia laboranti fame Urbe, frumentum misisse testatur Procopius. Catanæ ordinationem habuit mense Decembri, ordinavitque Presbyteros, ac Diaconos.* Pergit dehinc Oldoinus erroris arguere Anastasium dicentem pervigilio Natalis Domini Vigilium Constantinopolim adpulisse; mense enim Decembri ordinationes Catanæ habuit Pontifex, naves inde Romam direxit; haud potuit igitur tanto emenso itinere, die XXIV. ejusdem Regiam Urbem adire. Sed ex Procopio (a) discimus Vigilium exacta hyeme anni XI. Belli Gothici Bizantium venisse; non ergo die XIV. Januarii, ut Grossus tradit in suo Diario, Catanâ excessit.

(a) *lib. 3. cap. 16.*

XI. Sequenti anno Totilas Romam jamdiu obsidione afflictam quorumdam militum perfidia, ac Bessæ Ducis incuria tandem expugnavit, ejusque muros variis in locis diruit, *itaut ruinæ*, inquit Procopius (b) *tertiam fere totius*

(b) *lib. 3. cap. 22.*


totius ambitus partem efficerent. Mox vario Marte cum Bellisario pugnavit, arces urbesque per Italiam, integro biennio modo omittens, modo recuperans, victor modo, modo profligatus; tandem Romā secundò potitus ad invadendam Siciliam anno XV. belli Gothici Christi vero DL. properavit, quam nemine obsistente depopulatam diu afflixit. *Tum*, prosequitur Procopius (a) *equorum aliorumque pecudum abacta ingenti vi, frumento, ac ceteris omnibus frugibus ex insula convectis, cunctis denique opibus sane maximis in naves impositis, inopinato excessit, atque Italiam repetiit, hac causa ad id impulsus: Non ita pridem Romanum quemdam Spinum nomine ortu Spoletinū Totilas Quæstorem suum creaverat. Hic vir dum in Urbe Catana mœnibus exuta moraretur, casu quodam in manus hostium venit. Liberandi illius cupidissimus Totilas captivam nobilem feminam Romanis pro ipso obtulit. Negarunt Romani virum Quæstoris dignitate insignem bene cum femina cōmutari. Hinc veritus Spinus, ne ab hostibus neci daretur, Romanis promisit se statim Totilæ persuasurum, ut relicta Sicilia universum Gothorum exercitum trajiceret in Italiam*. Remissus ergo Totilæ persuasit; hinc relictis ille quatuor in locis firmioribus præsidiis, cum omni præda cæterisque copiis in Italiam transfretavit. An porro Totilæ vi Catana muros amiserit, an nondum hi sub Theodorico, ut vidimus, reparari cœpti, fuerint Totilæ ævo absoluti, incertum.

XII. Hæc Gothorum migratio a nonnullis anno DLII. statuitur, sed rectius alii in DLI. rejiciunt. Cæterum non diu Gothi, tota Sicilia excedere, ne relictis præsidiis ab Artabone coacti sunt, Græcisque Imperatoribus Insula nostra hosti-

Ann. Xpi. 547. — 550. — 551.

(a) lib. 3. cap. 40.

Ann. Xpi. 552. hostibus demum undique profligatis, anno belli Gothici XVII. pacifica obvenit. Barbaris in Sicilia integro pene sæculo dominantibus Catanam Episcopos habuisse, quorum nomina interiere, ultra Fortunatum, de quo egimus, non ambigo. *Ecclesiam S. Joannis Hospitalis Catanæ* erexisse Stephanum Syracusanum Episcopum ex quodam antiquissimo Catalogo eruit Scobar. *Templum D. Joannis Hospitalis Catanæ id esse*, ait Pirrus, *quod ad nostra tempora maximam antiquitatem redolens durat. Commenda est militaris Ordinis S. Joan. Jerosolymitani de Flore nuncupata*. Vixit porro Stephanus circa annum DXXXII. Bellisario Syracusis Justiniani Augusti vices gerente. Quæ sanè arguunt, post Fortunatum vacasse aliquandiu Catanensem Cathedram, minime vero suis deinceps Pontificibus fuisse destitutam; quum alibi per Siciliam alii effloruerint Episcopi, ut apud eumdem Scobarem, ac Pirrum legimus. Scobaris nihilominus Catalogum suspectum habent, confictumque ex parte non immerito aliqui credunt.





CATANÆ ILLUSTRATÆ
LIBER QUARTUS

CAP. I.

CATANA SUB GRÆCIS IMPERATORIB.

Ann. Xpi. 553. I. ANnus Belli Gothici XVIII. Vulgaris Æræ DLIII. Narsetis Justiniani Ducis, qui Totilam acie victum in fuga obtruncavit, celeberrimâ de Theja Totilæ successore victoriâ clauditur. Hinc per Italiam cũ Gothis debellatum, quievitque etiam Sicilia in Provinciam Græci Imperii redacta; quæ nondiu 555. anno DLV. Vigilium Romanum Pontificem Byzãtio reducem denuo invisit, mortuumq: Syracusis ex calculi dolore mox indoluit. Ejusdem Narsetis opus forte Turris non longè ab Urbe millibus ferme quatuor in occidentali regione, quã *Nunciatellæ* vulgus hodiè appellat, nunc diruta; Nuper enim inter illius rudera, later inventus hac impressa Epigraphe: *Narses Excellentissimus fecit*. (*)

Episco-

(*) *Narsetes tres uno eodemque tempore illustres fuisse constat, quorum primus Spado noster Patricius, qui Gothos ex Italia exegit, & alter Aratii frater, de quibus Procopius lib 2. cap. 13. Tertius a Phoca crematus. Hunc porro numquam vidisse Italiam scimus.*

II. Episcopum incerti nominis per hæc ipsa tempora ad Catanensem sedem evectum Pelagii I. Vigilii successoris Epistola nobis exhibet ad Cethegum Siciliæ Patricium hæc habens: *Pelagius Cethego Patricio. Quod de ordinãdo Catanensis Ecclesiæ Episcopo salubris electione judicii fieri desideraftis, cognovimus: confestim sequenti die eum juxta morem discutientes, tertio, quo venit die, Episcopum consecrari curavimus.* Aliam Lucas Holstenius a se primum e tenebris erutam affert ejusdem Pelagii Epistolam *ad Elpidium Catanensem Episcopum*, quam habes tom. VI. Conciliorum Philippo Labbè collectore. Sed hanc meritò Pelagio hujus nominis II. attribuunt, sub quo Elpidius Catanensis Pontifex floruit, ut inferius dicemus. Anno Xpi. 555.

III. Anno DLXIV. Tabella Angelica, in qua nobile B. Agathæ epitaphium divinitus insculptum, ab ejusdem sepulchro, vel clam sublata, aut fortasse ab illius ævi Episcopo Cremonensi Presbytero dono data cum aliquot etiam ejusdem S. Martyris reliquiis Cremonam advehitur, atque in templo ad S. Agathæ honorem prope Pertusii portam erecto honorifice collocatur. Tradit id Ludovicus Cavitellus ad hunc annum (a). Subdit noster Grossus tanta religione tabellam hanc Cremonæ asservari, & coli, ut S. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus, dum visitationis munia ea in Urbe obiret, & Sanctorum Lipsana thecis apertis inviseret, occlusa theca, nec de more reserata, flexisque genibus tabellã sit veneratus; cujus exemplum Cardinalis Sfondratus Cremonensis Pontifex secutus obsignatam thecam manibus tractasse contentus, noluit illam aperire. Eadem Cremonensibus 564.

(a) In Annal. Cremonens.

nAn. Xpi. nensibus civibus in præsenti discrimine tutum
565. præsidium atque efficax, potissimumque contra ignes, & tempestates remedium semper extitit.

IV. Justiniano Augusto decedente, Justinus ejus Sororis filius regimen obtinuit, quo imperante Gregorius Summus dehinc Pontifex sex in Sicilia Monasteria ex proprio patrimonio ædificavit, quæ inter illud enumeratur, olim Catanæ in edito S. Sophiæ colle situm, bis mille ab Urbe passibus distans ad septentrionem. Pirrus extructa a Gregorio Monasteria intra Panormitanos fines concludit (a) Cajetanus cum Syracusis, tum alibi posita adstruens, nullam de hoc nostro mentionem ingerit. (b) Grossus vero totus est, ut probet veterem Urbis nostræ traditionem, quam alibi etiam firmare studui; Ut enim Pirro, & Cajetano non alia, citra traditionem, validiora suppetunt argumenta; Sic Catanæ, quum eadem omnino, nec interrupta suffragetur, non est sanè, cur tanto nostra hæc regio defraudetur honore.

(a) Sic. Sac. lib. 4. par. 2.

(b) Isag. ad Sicil. Hist. cap. 41.

568. V. Anno DLXVIII. Vitalem Altinæ Episcopum ex Paulo Diacono de Gestis Langobardorum Catanæ mortuum tradit in suo Diario Grossus; Verùm ille a Narsete relegatum, Pelagio Pontifice annuente, in Siciliam Vitalem scribit, nihil de morte innuens. *His quoque temporibus Narses Patricius, cujus ad omnia studiū vigilabat, Vitalem Episcopum Altinæ Civitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regnum confugerat, hoc est ad Agathiensem Civitatem tandē comprehensum apud Siciliam exilio damnavit* (c) Gualtherius inter Siciliæ Tabulas lapidem refert num. 43. hisce characteribus notatum M°. sc. Vitalis Kat., quos sic interpretatur: *Moritur S. Vita-*

(c) lib. 2. cap. 4.

Vitalis Catanæ; additq: in Animadverſionibus. *Sub idem fere ævum, quo hoc ſaxum exaratū dignoſcitur ex ſpecie litterarum, Narſes Vitalem Epiſcopum apud Siciliam exilio damnavit P. Diacon. Foroliv:* Ann. Xpi. 568.

VI. Juſtinum XIII. Imperii anno mortuum Tiberius Conſtantinus excepit vir ab lenitate, juſtitia, munificētia, ac pietate celebratus, ſub quo Romanus Siciliæ Prætor, rempublicam optimè adminiſtravit. Poſt hunc Leo ſuffectus, quē Catanæ diu verſatum, ubi Prætoria ſedes, ex Epiſtola Pelagii Rom. Pontificis ad Catanenſem Clerum colligimus. Hæc porro Elpidii etiam Epiſcopi memoriam nobis conſervavit. Fuit Elpidius Catanenſis Eccleſiæ Diaconus, quo in munere, quum egregia vitæ ſanctimonia, moribuſque ac ſcientia ſe probaſſet, mortuo Epiſcopo, a majori parte Cleri, populi etiam accedente conſenſu ſucceſſor deſignatur; verùm a nonnullis eidem honori inhiantibus exagitatus, rem ad Summum Pontificem retulit, qui Eucarpum Meſſanenſem Antiſtitem Catanā cum poteſtate ablegavit; Ab laudato deinde Leone Prætore Pelagius cauſſam edoctus, Elpidium ad ſe evocatum cum Eucarpi litteris in Epiſcopum Catanenſibus dedit, atque ad regendam Eccleſiam mox deſtinavit. En Pontificiæ Epiſtolæ fragmētum. (a) 580.

VII. *Pelagius Papa Clero Catanenſi. Talia quidem jam dudum ad fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Eucarpum de viſitatione Catanenſis Eccleſiæ ſcripta direximus, ut in eis judicium noſtrum potuiſſetis agnoſcere. Verumtamen quia quoſdam ibi non ſana intentione, ſed pravis ſtudiis diſſentiones ſuſcitare, veſtra etiam relatione cognovimus, qui ſcientes ſe ad Epiſcopatum, nec æta-*

te

(a) Tom. 6. Concil. Edit. Lab.

Ann. Xpi. *te, nec scientia, nec vitæ meritis posse perduci,*
580. *ad hoc tantum inquietare Ecclesiam volunt, ut sibi de his, quæ ex ipsa præsumpta sunt, impunitatem futurus promittat Episcopus & fiat rapinæ securitas Episcopatus ambitio; hoc etiam vos duximus commonendos, ut decretum in Elpidium Diaconum factum, & subscriptum ab omnibus, quos vestra relatio designavit, ad nos cum prædicti Visitatoris Epistola, & cum eodem Diacono maturetis Deo propitiante perducere.* Et post pauca: *Cum igitur huc filius noster Magnificus Vir Leo Prætor venisset, retulit nobis de singulis, quæ ibi mota sunt, & quomodo vota prope totius Civitatis in Elpidio Diacono concordarent. Unde quia de memorati viri testimonio omnino dubitare non possumus; idcirco sicut dictum est, Elpidium Diaconum ad nos facite properare. Nec expectetis ulterius, ut admonitio ad eum nostra debeat destinari. Quem tamen hoc per vestram dilectionem in præsenti jussione specialiter admonemus, ne cui se aliquid dare, vel daturum esse promittat, sed neque de Ecclesiasticis præteritis causis aliquam securitatem cuiquam audeat facere, sive promittere, aut quasi factus Episcopus, ea quæ direpta sunt non repetat, sed apud eos, a quibus direpta sunt, permanere libere patiatur; sciens quod si tale aliquid fecit, aut fecerit, nec a Nobis omnino permittitur valere ista promissio, & cum judicii nostri, quod de ipso habuimus damno ad pastoralis consecrationis ordinem promoveri non poterit.* Ex his, turbas aliquot in Catanensi Ecclesia ante Elpidii electionem extitisse edocemur, ejusdemque bona a pravis hominibus dilapidata, quæ sane diu vacasse sedem evincunt. Habes eamdem Epistolam *Can. Talia* 8. *quest.* 3. Meminit Elpidii

pidii nostri Gregorius Rom. Pontifex Epist. 21. lib. 8. quæ in Editione a PP. S. Mauri adornata est 22. lib. 10. ubi Pelagii prædecessoris sui servari rescriptũ Leoni Episcopo Catanensi mandavit. Rescriptum hoc idipsum credunt laudati PP. S. Mauri, quod superius exscripsi, sed id circa Episcopi electionem versatur, adeoque omnino incongruum cum iis, quæ in Gregorii ad Leonem Epistola tractantur. Eam igitur, quam Gregorius commendat, illam fuisse arbitror ab Holstenio, ut supra innui, Pelagio I. attributam: *Pelagius Elpidio Catanensi Episcopo. Sicut unumquemque Clericorum tuorum Ecclesiasticis utilitatibus vel dispositionibus dilectionis tuæ pro eadem Ecclesia, usque ad justitiæ, legumque rationem procedentibus fideliter obedire perspexeris, ita dilectionis tuæ affectu contineas secundum fidem, diligentiamque suam, uniuscujusque merita prosequendo.* Ann. Xpi. 580.

VIII. Post Tiberium quarto Imperii anno demortuum Mauritius virtute, ac rei militaris peritia clarus successit. Elpidio vero Catanensi Episcopo Leo hujus nominis primus circa annum DXC. subrogatur. Quo sane tempore Gregorius Magnus ad supremam Petri Cathedram evectus Petrum subdiaconum in Siciliam, ad Romanæ Ecclesiæ Patrimonium administrandum delegavit, eique suas commisit vices, ac, ut semel per annum, aut Syracusis, aut Catanæ Episcoporum Synodum cogeret, mandavit. *Quatenus*, ait in Epistola ad universos Siciliæ Episcopos (a) *Quæ ad utilitatem ipsius Provinciæ, Ecclesiarum pertinet, sive ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandam, sive admonitionem omnium, atque correctionem eorum, quorum*

(a) Lib. 1. Ep. 1.

Marginal dates: 585. 590.

Ann. Xpi. *rum excessus contigerit demonstrari, congrua cum*
590. *eodem Petro Subdiacono moderatione disponantur.* An porro Syracusanæ, & Catanensi Ecclesiæ hæc prærogativa fuerit a Gregorio attributa, quod ab Apostolorum Principe fundatę, an secularis politiæ caussa, an denique ob loci opportunitatem, hic decernere non audeo.

591. IX. Jamvero noster Leo apud eumdem Pontificem delatus, Romam contendere jussus, districto examini subjicitur; at de objectis quum sese purgasset criminibus, suamque innocentiam Gregorio probasset, liber ad suam Ecclesiam cum gloria remittitur, ac Justino Siciliæ Prætori Catanæ de more degenti commendatur. En Gregorii ad Justinum Epistola. *Gregorius Justino Prætori: Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetrationem, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra Sacerdotale propositum de Leone fratre, & Coepiscopo nostro sinister rumor asperserat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri, & nullam in eo de iis, quæ dicta fuerant, culpam invenimus. Sed ne quid videretur omissum, aut nostro potuisset dubium cordi remanere, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus prestitis, magna sumus exultatione gavisi, quod hujusmodi experimento innocentia ejus enituit. Pro qua re gloria vestra prędictum virum cum omni charitate suscipiat, & reverentiam ei, qualem Sacerdoti decet, exhibeat. Nec quędam cordibus remaneat, de iis quæ sunt jam purgata, dubietas, sed ita suprascripto vos Episcopo devotissime oportet in omnibus adhære-*

re, *ut congruè decenterque Deum in ejus persona, cujus Minister est, videamini honorare*. Hanc Gregorii Epistolam, quę Grotii, & Pirri diligentiam preteriit, notis illustrarunt Clariss. PP. S Mauri, ac *Justino Prætori* scriptam, non autem *Presbytero*, ut antea legebatur, adstruunt. Justinus enim Prætor Sicilię id temporis erat, cui Libertinus successit, nec alius inter Siculos Episcopos *Leo*, nisi Catanensis. De jurejurandi ritu ad S. Petri corpus id etiam advertunt: Jure Canonico introductam fuisse purgationem, ac super Evangelia, et SS. Reliquias, aut quid simile Sacramenti præstationem, quam a Leone super Divi Petri corpus peractam, mandato Pontificis, ex Epistola discimus. Hęc porro in Collect. a Paulo Diac. adornata die III. Nonarum Junii Indic. X. scripta perhibetur, ut laudati PP. adnotarunt. Ann. Xpi. 592.

X. Subdiaconis, ac Diaconis permissum id temporis uxores ducere, dummodo ab iis abstinerent, quum sacris mysteriis interesse contingeret; 593.
contrarius porro usus Catanę inoleverat; hinc Gregorius Leoni Episcopo suis pręcepit litteris (a) *ne Subdiaconi cum suis uxoribus misceantur; unumque ex duobus eligant, idest, aut suis uxoribus abstineant, aut altari nulla ratione ministrare præsumant. Speciosi autem Diaconi uxor in Monasterium ob secundas nuptias detrusa dimittatur*. An hoc Monasteriū illud fuerit, de quo traditio habet, quod eumdem summum Pontificē recognoscit auctorem, subdubito. Scripta Epistola dicitur Indic. XII. quæ in Christi annum DXCIII. incidit.

(a) lib. 4. Ep. 36.

XI. Sequenti, mortuo Maximiano Syracusarum Episcopo, cui Gregorius vices legaverat 594.
suas, perscripsit hic Cypriano Diacono, ac Patrimo-

Ann. Xpi. trimonii Ecclesię in Sicilia Rectori *suæ voluntatis*
594. *esse*, ut Electorum vota in Joannem Catanensis Ecclesiæ Archidiaconum, si fieri posset, convenirent. *Quia nullus*, inquit, *mihi in eadem Ecclesia post Dominum Maximianum tam dignus videtur, quam Joannes Archidiaconus Catanensis Ecclesiæ*. Subditq. mox. *Quod si factum fuerit, etiam Frater & Coepiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri*. Ex quibus Joannis promerita satis dignosci possunt. Electus deinde Pallii ornamentum, a SS. Pontifice accepit, ut ex Epistola 28. lib. 6. Immo, ut ei Leo noster quemdam proprium Presbyterum etiam concedat, quo in novæ Ecclesiæ administratione utatur, Cypriano laudato Diacono
595. in Epistola 20. ejusdem libri Pontifex insinuat mense Novembri Indictione XIV.

XII. Nondiu post secunda ad Leonem Catanæ Episcopum data est a Gregorio Epistola, quam integram exhibeo (a) *Gregorius Leoni Episcopo Catanensi. Res ad nos detestabilis, & omnino legibus inimica pervenit, quæ si vera est, fraternitatem tuam vehementer accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem, quod Samaræi* (*) *degentes Catanæ pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere ausu temerario præsumpserint, atque ideo necesse est, ut omni modo zelum in hac causa sacerdotalem exercens, cum omni vivacitate, ac sollicitudine studeas perscrutari; & si ita repereris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus vindica, & Ecclesiasticam eis tuitionem impende*

(a) Lib. 6. Ep. 23. alios 22.

(*) *Samaræi idest Judaicæ superstitionis homines*.

pende, nec quidquam Dominos eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris, qui non solum hoc damno mulctandi, sed etiam erant alia pœna de legibus feriendi. Ann. Xpi.

XIII. Jamvero tertiâ ad eumdem Leonem Epistolâ Indic. prima quæ est 7. lib. 8. præcipit Pontifex, ut *segregatam ex Ecclesiæ suę redditibus quartam portionem Clericis juxta laboris meritum dividat; Ex hac autem quarta portione ut discretè fiat divisio, iniungit, nec unam in Sacro loco positi, ut Cyprianus Diaconus decreverat, reliquas vero duas Clerus accipiat.* Eadem Epistola habetur Canone Ad hoc locorum 16. q. 1. cap. 63. 597.

XIV. Eodem anno mense Junio perscribit Pontifex Joanni Syracusano Episcopo, ut Catanensibus Diaconis *Compagum* usum vetet, quum id solummodo Ecclesiæ Messanensis Diaconis speciali Romanæ sedis privilegio sit indultum. Exponunt hìc Pirrus, & Grossus quid Compagis nomine veniat, sed præstat eruditissimas PP. S. Mauri notas audire. *Compagus*, inquiunt, *est Calciamentum, quo Prælati in Missa utuntur, a græca voce Flexura. Lege Saussasium Panopliæ Epis. lib. 7. cap. p. art. 4. Compagos eosdem fuisse cum calceis antiquis Patriciis Salmasius in Trebellium. Patricios hosce calceos decussatim adnecti consuevisse ait Isidorus. Illos Hesychius cavum & profundum calciamentum appellat, quod usque ad medias tibias ascenderet. Rubenius de re vestiaria lib. 2. cap. 15. Sandaliis vult similes fuisse Compagos; et ita intelligit Amalarius lib. 2. de Eccles. offic. cap. 10. de Compagis seu sandaliis Episcoporum: est, inquit, genus calciamenti incisi, quo pes partim tegitur, partim nudus cernitur.* Hactenus illi.

XV.

Ann. Xpi. 598. XV. Alia rursus Epistola ad eumdem Joannem, queritur Gregorius quosdam fuisse, *qui de se murmurarunt, quasi in ordinandis Missæ ritibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines fuerit secutus*. Quod sane falsum ostendit, mandatque nihilominus, *ut cum occasio dederit, ad Civitatem Catanensem se conferat, ac eos, qui de hac re murmurare potuerunt, facta collatione, seu collocutione doceat, & quasi alia ex occasione instruere de rei veritate non desistat*. Habes hanc ex integro exscriptam apud Grossum. Subsequentibus porro Epistolis de Patrimonio Ecclesiæ *in partibus Syracusanis, Catanensibus, Agrigentinis, & Mylensibus* fit mentio (*a*) ad quod regendum atque administrandum idem Pontifex Romanum Defensorem destinavit. Huic quoque commisit caussam inter Leonem nostrum, & Leontium Exconsulem, (*b*) ut ex Epistola ad laudatum Joannem colligimus, ubi de Leone præcipuè, quod *præcipitanter, & leviter egisset*, queritur. Extat denique eodem anno ad Romanum Defensorē 50. Epistola, qua præcipitur, ut *Colixeno cuidam filio Stephaniæ domum Catinæ possessionis Ecclesiæ Romanæ olim collatam relaxet, non obstante, quod notitia ejusdem donationis non esset de Polypticis charazata*; idest de libris prædia, & census Ecclesiæ summatim exhibentibus deleta, seu transversis lineis, ut fieri assolet, *cancellata*.

(*a*) lib. 9. Epist. 18.19.20.21.

(*b*) Lib. eo. Epist. 23.

599. XVI. Liber decimus Inditionis III. quartam habet ad Leonem Catanensem Episcopum Gregorii Epistolam (*c*) qua illum admonet, *ut S. Viti Monasterium in Ætna monte situm tueatur a quorumdam molestiis, junctos vero mulieribus Monachos digna emendatione corrigat*. Extat hodie in Opidi Paternionis territorio collis, cui ru-

(*c*) 22. aliis 21.

rale templum S. Vito dicatum insidet, incolarumque constans traditio est: S. Gregorii ævo ibi Monasterium fuisse Sacrarum Virginum, quę sub Monachis non longe in alio Cœnobio degētibus vivebant, & S. Benedicti institutis inhærebant. An id, de quo loquitur Gregorius in hac Epistola? sed ferventibus per ea tempora Benedictinæ Regulæ studiis, quod fuerat de Monachis Gregorio delatum, ab invidis confictum oportet; alia enim Epistola ad Adrianum Notarium Sanctus Pontifex ejusdem caussæ examen, ac Monasterii tutelam committit. Quod si mavis, sub alio tunc instituto Cœnobium, Ascetasque militasse, dehinc vero ad S. Benedicti castra sese recepisse, ut fert vetus traditio, non inficior. Severum quemdam virum magnificum eidem Leoni Gregorius demum commendat Epistola 9. libri 11. Indict. IV. tum Adrianum Patrimonii Romanæ Ecclesiæ Rectorem Leoni nostro aliisque Siciliæ Episcopis Indictione VI. Huic porro Adriano mox præcepit, ut Monasterio in Catanensi urbe ab Juliano nobili viro constructo decem annuos solidos de eodem Patrimonio attribuat. Constat ex Epist. ad ipsum Julianum, quæ est XIX. ejusdem Indict. *Monasterio itaque vestro, quod a vobis in Catanensi Urbe constructum est, per Adrianum Notarium, & Rectorem Patrimonii emissa præcepti pagina decem annuos solidos dari deputavimus, quos petimus sine injuria suscipi, quia non hęc vobis oblatio nostra, sed S. Petri Apostolorum Principis Benedictio offertur.* Hic certe Julianus Catanensibus Patriciis accensendus, ejusque Monasterium idipsum esse Monialium Cœnobium nonnulli credunt ab Urbe Catana ad duo circiter passuum

Ann. Xpi 597.

600.

602.

Ann. Dñi. 602. suum millia aquilonem versus S. Juliano Cenomanensi Episcopo dicatum, quod alii, ut vidimus, S. Gregorio attribuunt. Facile enim est opinari nobilem illum virum S. Episcopo sibi cognomini id Cœnobium nuncupasse.

XVII. Post Leonem Episcopum Juvinum Catanensi Ecclesiæ præpositum scribit Grossus (a) quem ex Epistola S. Gregorii lib. 11. ad Junium sive Ivinum Catanensem Episcopum scriptã, ut Editio habet anni MDLXXXVI. nostris incaute inseruit. Verùm accuratè Pyrrus advertit in recentioribus editionibus Epistolã *Maurentio Magistro militum* dirigi, subditque sibi non liquere: *utra lectio sit præferenda*. Et sane si Grossus Epistolæ contextum, quem integrum exscripsit, mature legisset, illam non Episcopo, sed viro in dignitate sæculari constituto missam a Gregorio advertisset. *Postquam Gloria vestra in Sicilia sese retinuit*, inquit inter alia, quæ certè formula *Gloriæ vestræ* sæculi viro, Patricio, Prætori, Consuli, aut similibus congruit. Episcopis enim scribens S. Pontifex *Fraternitatis* titulum perpetuò usurpat, ut vel leviter Epistolas omnes excurrenti patet.

(a) Cat. Sac. ff. 8.

XVIII. Illud accedit, in nullam aliam editionem errorem illum irrepsisse; in laudata aliunde Epistola 18. libri 13. Indict. VI. Leonis expresse fit mentio, nec ea dari potuit nisi anno DCII. Phoca imperante. Quo pacto igitur Ivinus a Grosso anno DC. Catanensis Ecclesiæ Præsul post Leonem, qui adhuc post biennium superstes, citra dubitationem dicitur, ejusque regiminis tempora designantur; illum denique *in Petri Cathedra quinque vidisse Pontifices, dum Catanensis Ecclesiæ clavo præsideret*? Ubi enim legisti

gisti o bone, confictum hunc Juvinum Bonifacii V. tempora assecutum? *Ann. Xpi.* *602.*

XIX. Per idem tempus Phocas, qui a militibus Augustus salutatus, Mauritium una cum filiis immaniter interfici mandaverat, Imperium pessime administrabat; hinc tyrannici dominii insimulatus, ab Heraclio octavo Regni anno interficitur. Senogallienses Episcopos enumerans Ughellius tomo II. hæc habet: *Maximus vixit anno Xpi. 623. Hunc Honorius Pontifex Constantinopolim legavit, ut Pyrrhi Patriarchæ reprimeret audaciam. At, cum pervicaci nullam potuisset facere medicinam, in Italiam revertens Cataniæ in Sicilia fato functus est; ubi adhuc sepultus quiescit.* Notat Tiraboschius Maximum, qui strenuè pugnavit contra Pyrrhum non fuisse Senogalliensem Episcopum, sed Monachum Constantinopolitanum, de quo fuse Baronius Ann. tom. 4. 8. *Unde vero hauserit Ughellius*, subdit, *missum ab Honorio Constantinopolim Maximum Senogalliensem ad reprimendam Pyrrhi Patriarchæ audaciam viderit Lector. Illud certum est Pyrrhum non nisi defuncto Honorio ad sedem Constantinop: evectum.* 623.
Sub Heraclio Catanensi Ecclesiæ Joannem præfuisse tradunt Pyrrus, & Grossus. Cutellius verò in suo msto. Catalago Joannis assumptionem in annum DCXLIII. rejicit, ac inter Patres Lateranensis Concilii sub Martino I. Rom. Pontifice contra Monothelitas coacti enumerat. Cõcilio huic Constans Augustus Heraclii ex Constantino filio nepos, suo Typo, idest nova fidei professione, quam Martino Pontifici subscribendum obtulerat, occasionem præbuit. Verum interfuisse eidem omnes fere Siculos Episcopos, Catanensi, & Syracusano exceptis, ex actis Consulta- 643.

Ann. Xpi. 643. fultationibus nempe, & Secretariis Concilii abunde colligitur. Hinc Joannes ille *Carinensis* Episcopus fuit, ut habent Surii, Binii, & Labeana editiones, quamvis alicubi loco *Carinensis*, levissima apicis unius mutatione, legatur *Catanensis* & *Catinensis*, Carusius ac Invegius, Episcopos, qui Lateranēsi Concilio hoc ævo adfuere, recensentes, dum Joannem prætereunt, erroris quidem arguendi, at hunc loco movere, nostrisque adnumerare citra veritatis dispendium vix possumus; habuit aliunde Carinis & suos Episcopos, ut Pirrus satis demonstrat in sua Sicilia Sacra (*a*) (a) Lib. 2. not. 5.

XX. Rejecto a Concilii Patribus Constātis Typo Monothelitis erroribus referto, in Ecclesiam hic, sacrosque viros desæviit, delatusque in Siciliam Syracusis imperii sedem statuit.
663. Tum Roma atque Italia furore barbaro expilata, per Siciliam etiam cædibus, rapinis ac sacrilegiis est debacchatus, sextoque, postquam in In-
668. sulam venerat, anno in balneo occisus interiit, Constantino filio successore relicto. Hic Patri omnino dissimilis, postquam Siciliam a Mazetio Tyranno occupatum armis sibi vindicasset, ad sacra conversus, ad Concilium Generale sextum indicendum totus incubuit.

679. XXI. Anno DCLXXIX. Saraceni nullo obsistente per Siciliam debacchantur, ac Syracusas vi capiunt. Catanæ Archadius presbyter Templum Protomartyri Stephano ædificat, quod ubi hodie S. Benedicti Monialium Cœnobium exurgit, situm docet inscriptio a Cajetano allata (*b*) Agatho Siculus per idem tempus Romanam Petri Cathedram moderabatur, quem Catanensem patria complures, atque in primis Bonfilius, faciunt, etsi Panormus illum suis accenseat civi-


(b) Tom. 1. ss. Sicul. f. 104

civibus. Pontifex hic sanctissimus, antequam Cō- *Ann. Xpi.*
stantinopolim generalis cogeretur Synodus, ex E- 680.
piscopis Italiæ, & adjacentium Insularum Romæ
conventum habuit. Inter Episcopos autem sub-
scripsit in Sergii, Pyrrhi, & aliorum Monotheli-
tarum damnationem *Julianus Sanctæ Catanensis
Ecclesiæ humilis Episcopus*, & reliqui fere omnes
Siciliæ Præsules. (*) Falluntur porro Pirrus, &
Grossus, dum scribunt, Siculos nostros Œcu-
menicæ Synodo assedisse, quamvis enim in A-
ctione IV. eorum nomina Epistolæ subscripta
legantur; neutiquam tamen eò convenisse dicen-
dum. Hæc enim Epistola per Legatos a Roma-
no Concilio ad Bizantinos Patres missa, Romę
signata jam dudum fuerat ab Italicis, nullusque
ex his, Thedoro quodam presbytero, loco Raven-
natis, Theophane Monasterii de Bajas Syracu-
sano Abbate, Legatisque exceptis, Generalibus
illis adfuit Comitiis, ut singula Concilii acta
legentibus patet.

XXII. Agathoni anno DCLXXXI. Leo II. 681.
successit, & ipse Siculus, græce ac latine doctus,
nec minus vitæ puritate conspicuus. Hunc Pa-
tria Catanensem Ciaconius in m. s. Opusculo
de Rom. Pont. a Cajetano, & Aprili laudato,
aliique ex nostris affirmant. Nonnulli Herbiten-
sem cum Pirro (Est Herbita Siciliæ Opidum
nunc dirutum prope Aydonum) Complures de-
nique Messanensem dicunt. Extabat olim Cata-
næ

(*) Concilio Romano Britannico, quod alii anno 680. Pagius vero 678. coactum scribit, interfuisse *Georgium Catinensem Episcopum* lego. An hic Juliani præcessor? An error irrepsit in exemplaria?

Ann. Xpi. 681. næ S. Leonis II. effigies plaſtico opere a dextris Aræ principis in majori Baſilica cum epigraphe: S. *Leo* II. *Papa Catanenſis*, quæ, viguiſſe apud noſtros hanc de Leonis patria traditionem, evincit. Sed de Leone, ejuſque Prçceſſore fuſius ſuo loco.



CAP. II.

CATANA

SUB GRÆCIS IMPERATORIBUS

AB ANNO DCLXXXV. AD DCCLXXX.

Constantinum Augustum anno Imperii vigesimo septimo mortuum Justinianus ejus filius excepit, qui quum rempublicam temeritate, impotentia, ac crudelitate pessum daret a Leontio exauthoratus in Chersonesum relegatur. Leontius post triennium a Tiberio pellitur, uterque vero ab Justiniano decimo exilii anno in Imperium restituto perimitur, mox & ipse a Philippico occisus. Hic biennium, ac menses pessimè administravit, successoremque habuit Artemium, qui & Anastasius appellari voluit, atque ad annum DCCXV. regimen tenuit. Post Anastasium Theodosius princeps optimus suffectus est, eoque renunciante Leo Isauricus imperavit.

Ann. Xpi. 685. — 715.

II. Leoni in Sicilia anno DCCXVIII. Tiberius quidam se opposuit, qui Augusti nomē, Sergii Protospatarii fretus auxilio, milite deferēte assumpsit, brevi tamen cum suis periit. Hinc sacris Imaginibus Leo, virisque orthodoxis bellum movit anno DCCXXVI. Willebaldus id temporis Ricchardi Anglo-Saxonum potentissimi filius e peregrinatione Jerosolymitana redux (*) in

718. — 726.

(*) *Catanam quoque adiisse Willebaldum quum Jerosolymam proficisceretur, Anonimus ejus vitæ Author testatur circa annum* DCCXXII. *quum rediret autem socios habuisse Pontificis, ac Cæsaris Legatos tradit Sanctimonialis Heidenheimensis in ejusdem s. viri itinerario.*

Ann. Xpi. 762. in Siciliam appulsus, Catanam ad D. Agathæ Sacrum corpus venerandum venit, inde in Italiam delatus, & Casinensis Monachus effectus, vitæ sanctimonia clarus Aureatensis Episcopus decessit. (a) (a) Acta Bened. Sec. 3. par. 2.

III. Isaurici persecutione Jacobum Catanensem Episcopum ex Græcis Menæis sublatum scribunt Hagiographi. Hic a pueritia Deum timere edoctus, monachi habitu assumpto, eos in
740. Christiana perfectione progressus fecit, ut dignus crederetur, qui nostræ Ecclesiæ cathedram administraret; dum vero Pastoris vigilantissimi partes exequeretur, captus ab hæreticis, qui tunc impunè grassabantur, pro sacrarū Imaginum cultu vitam libentissime profudit die XXI. Martii. DCCXXXX. de eo Menologium atque Anthologium Græcum; ex quibus exilium quoque Jacobum nostrum passum fuisse, Authores tradūt. Cajetanus *in Idea* vitam S. Jacobi penes se habere dicit, at in opere SS. Siculorum (b) hæc tantum protulit: *S. Jacobi commemoratio. Hic à puero monasticam exercitationem edoctus, jejuniis, ac vigiliis, & meditationi divinarum literarum intumbens Episcopatus dignitatem assecutus est; eumque Hæreticorum sacras imagines oppugnantium temporibus multas tentationes, & persecutiones perpessus esset, postremò fame, & siti afflictus in cruciatibus animam Deo reddidit. Hæc Menologium; sed Græci in Anthologio mense Martio eodem die ita habent*: S. *Patris Nostri*, & *Confessoris Jacobi Episcopi Catanæ*. Sedem *igitur locumque Episcopatus* S. *Jacobi*, *quod Menologium tacet*, *Anthologium promit*. (b) Tom. p.

IV. De mortis anno variant scriptores. laudatus Cajetanus in DCCLXXII. rejicit, quem

 sequi-

(a) Sicul. Ist. Sac. Par. 2. Chron.

sequitur Aprilis (a) Ferrarius, Pirrus, & Grossus Leonis Isaurici tempore statuunt, quibus adhesi. Jacobum an alii ex grege fuerint comitati, incertum; id liquet: sevissimam in Monachos per Siciliam decretam à Leone lanienam, complures ex illis Martyres effecisse. Jacobi cultum Catanæ promotum lego anno MDCXXXII. quo Senatus, Populusque Catanensis sollemni voto Urbis Patronum eumdem elegit, ac singulari cultu venerari cœpit. Ann. Xpi. 740.

V. Eiusdem Isaurici lege, Romana Ecclesia uberrimo in hac Insula Patrimonio privatur; Hinc *Massæ* etiam Catanenses, quæ pinguiores redditus, ut alibi dictum, eidem impendebant, ab Imperii administris deinceps occupatæ. Verosimilis idcirco (ait Carusius) illorum conjectura apparet, qui per hæc tempora paulatim ab Romani Pontificis immediata subjectione Siculas Ecclesias recessisse dicunt, & sub Patriarchatu Constantinopolitano constitutas diu perseverasse ad Saracenicam usque irruptionem, ac Northmannorum adventum. Hoc ipso ævo vixisse Leonem Catanensem Episcopũ cognomẽto Thaumaturgum Cajetanus in Animadversionibus affirmat, a Carusio, & Aprili laudatus: At Leonis Augusti Porphyrogenetæ ætatem illum attigisse Grossus, & Pirrus censent; mortuo enim 741. Isaurico Constantinus ejus filius longe immanior successit anno DCCXLI. sub quo sævissima pestilentia Siciliam, Calabriam, atque Orientis Imperium diu afflixit ad DCCL.

VI. Nec multo post Sabinus Catanensis Episcopus sanctitatis virtutisque opinione celebris effloruit. Hic præcessoris sui tenens vestigia Christi Domini fidem Sanctorumque ho- 750.

norem

Anno Xpi. 750. norem, ac sacrarum Imaginum cultum efficacissima dicendi libertate, sed vita in primis inculpabili studuit promovere, quibus, aliisque piis operibus cumulatus Leonem sui successorem prophetico spiritu designans animam cælo transmisit. Verba S. Sabini morientis in vita S. Leonis habemus apud Cajetanum; *Simul atque ego mortalitatem exuero, Leo quidam magnanimus locum, vicesque meas supplebit: Hic gregi sibi commisso beneficus, salutaria pascua ministrabit; lapis vero maximo erit terrori, quin etiam signis, & prodigiis sanctitatis suæ lucem per omnia Christianæ Reipublicæ loca diffundet. Idola, quæ neque ego, neque decessores mei deturbare potuimus, sua oratione confringet, eaque cum delubro in pulverem rediget.* Idem denique Cajetanus hæc de nostro Sabino litterarum monumentis mandavit. *Sabinus Catanæ Urbis Antistes fuit: hujus SS. viri res gestæ interiere, sed interire nomen minime patiar, testimoniis de sanctitate ejus allatis, quæ tempora reliquere. A Scriptore vitæ S. Leonis hoc exornatur elogio: Sabinus vir meritis conspicuus, fide, vita, moribus Deo dignus Antistes, quem non universi modo, qui in ejus diæcesi erant, verum etiam Siculi omnes præ sanctitate venerabantur, expleto cursu migravit e vita possessurus in cælo vitam cũ Christo æternam.* Subdit mox Græci Hymnographi versus, ubi Sabini oraculum de successore Episcopo habetur.

VII. Meminit ejusdem S. Episcopi Pirrus, Siculum Martyrologium, Philippus Ferrarius ad diem xv. Octobris, qui Sabinum sub Constantino Copronymo Catanæ Episcopum egisse scribit, nostramque firmat sententiam. Mortuus Vir San-

Sanctus creditur circa Christi annum DCCLX. die xv. Octobris. Post diuturnum imperium impius Constantinus horrenda morte sublatus, Leonem filium paternæ impietatis hæredem successorem habuit, quo regnante S. Leo hujus nominis II. ad Catanensis Ecclesiæ clavum sedisse dicitur; cujus gesta prolixiori stylo prosequimur. *Anno Xpt. 760.* 776.

VIII. De nostri Episcopi ætate id firmũ apud Agiographos Leonis nempe, & Constantini Imperatorum temporibus illum vixisse, ut ejus habent gesta. At quinam Imperatores Leo & Constantinus? *Caligo*, ait Cajetanus, *in ipsa luce*, (a) Quandoquidem Imperatorum ejusdem nominis paria tria, Leo scilicet Isauricus, & Constantinus Copronymus, circa annum DCCXX. Leo dictus Porphyrogeneta, & Constantinus ejus filius anno DCCLXXVI. demum Leo Philosophus, qui Constantinum etiam filium anno DCCCXII. Augustum declaravit. Sub hoc ultimo nostræ præesse Ecclesiæ S. Leo Episcopus haud potuit; quippe jamante Catanam, aut certe, magnam Insulæ partem Saraceni occupaverant, & S. Joseph Hymnographus, qui de Leone carmina scripserat, ut idem Cajetanus advertit, diem obierat. Superest ergo, ut vel ad Isaurici ætatem, vel Porphyrogenetæ revocetur. Et conjecturis quidem agendo laudatus Author S. Leonem sub Isaurico effloruisse tradit: *Moveor*, scribens, *ex antiquitate viri; nam B. Leo Archidiaconus fuit S. Cyrilli Rheginini Episcopi, quem patrii scriptores nullis subnixi actis, sed ex arbitratu a Pelagio Pont. primo ad Pelagium secundum, & Gregorium magnum pervenisse dicunt idest ad annum* DC. *sed falluntur; etenim multo plus vixit, atque ad annum ferme* DCC. *pervenit. Quod ex*

(a) Tom. p. SS. Sic. in animadver.

Anno Xpi. 776. *ex ætate* S. *Leonis Episcopi Catanensis constat, qui sub Imperatoribus Leone, & Constantino hujus nominis primis floruisse summum potuit. Hi autem imperium inierunt post Christi annum* DCC. *Sed D. Leonem Episcopum sub his Imperatoribus Leone Isaurico, & Constantino Copronymo vixisse suadet reliquiæ Ethnicismi, quæ, dum viveret B. Leo Episcopus, perdurabant. Eæ vero quamquam ad Impp. Leonem, & Constantinum Porphyrogenitas durare etiam potuerint, multo probabilius est, sub his omnino deletas fuisse.* Et paulopost: *At inquies Impp. Leo Isauricus, & Copronymus Hæretici fuere, & Ecclesiam virosque orthodoxos atrociter vexarunt; nec videntur eos honores B. Leoni exhibere potuisse, quibus illum a vitæ scriptoribus prosecutos fuisse traditur. Certe quidem non ignoro, Leonē Isauricum Hæreticum Iconoclastam multos pro cultu Sanctarum Imaginum martyrio coronasse; sed B. Leonem ingentium miraculorum effectorem vereri potuit timore perterritus.* Subdit denique: *Leonem Isauricum 7. post initum Imperium anno in Hæresim lapsum. Igitur ab anno 715. ad 723. evenire potuerunt, quæ de B. Leone Episcopo Catanæ memorantur, cum Leo Isauricus Orthodoxum se præferret.*

IX. En conjecturæ, quibus se motum affirmat Cajetanus, ut Isaurici ævo potius Leonem Episcopum statuat. Bona tamen Scriptoris eximii venia infirmas illas crediderim. Quandoquidem, ut de *S.* Cyrilli Rhegini Episcopi ætate non constat, minus de *S.* Leonis nostri, qui illius fuit Archidiaconus constabit, potuit namq. uterque sub Isaurico vivere, potuit sub Copronymo. Cæterum de S. Cyrillo agens Ughelli-

(a) Italiæ Sacræ. tom. 9 us (a) anno DL. illum locat, at id tempus minime congruit, ut vidimus. Lacunam in Rhegine Ecclesiæ Episcopis apud eumdem Ughellium adverti ab anno DCL. ad DCCXC. adeout æque possit Cyrillus Isaurici, aut Copronymi temporibus aptari, & Leo noster sub quarto Leone Imperatore Copronymi filio constitui. Jamvero quod Æthnici cultus reliquiæ potuerint sub Copronymo etiam perdurare, nec ipse Cajetanus inficiatur; Hæretica demum labe infecti æque Isauricus, ac Copronymus, verum de hoc secundo Zonaras scribens (b) tradit: *quod principio religionem, & observantiam erga monachos simulabat, quorum nonnullos in illustrioribus Urbibus ad Pontificatus evehebat. Cum autem magnam pecuniam in publicis thesauris reperisset, quam Pater ejus per injuriam coegerat, ea & ficta religione ad subditos conciliandos est abusus.* Dum igitur sub hac vulpina pelle latitaret, Leonem Episcopum Catanensem ad se venientem summo excepit honore, ut in Actis refertur. Anno Xpi. 776.

(b) Annal. tom. 3

X. Leonis ætate stabilita, ad ejus egregia enarranda facinora descendimus ex Græcis Latinisque codicibus eruta. Ac primo Siculi Catanensis Encomium, ubi ille, ad populum e suggestu verba faciens, Leonis gesta expressit, e Græco a Sirmondo translatum, e Cryptæ Ferratæ codice, e Vaticana, & S. Salvatoris Messanensis Cœnobii bibliotheca, Cajetani opera editum proferam „ Patres, filii, ac Fratres hortatur nos Catholica, & Apostolica Ecclesia, „ ut abjectis Gentilium Hæreticorumque profanis sententiis, a Deo missam ad nos sapientiã „ amplectamur, novique ac veteris Testamenti „ codices, ut Cristianis convenit, evolvamus.

In

Anno Xpi. 776. „ In his enim fons residet vitæ nostræ, quo ex
„ fonte mysticus Ecclesiæ hortus sacræ piscinæ
„ fluentis irrigatur, unde & naturæ nostræ antiquus hostis diabolus, ac Satanæ discipuli, & Satellites hæresiarchæ Sanctorum Patrum indefesso studio laboribusque prostrati ac penitus oppressi sunt. Sic igitur & nos orthodoxi Prophetarum Apostolorumque doctrinæ adhærentes, fidemque integram firmis animis conservantes, spem nostram semper in eo defigere debemus, qui per Evangelistas ad petendum nos provocat, & dicit querite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Qua quidem spe fretus Ego facundiæ expers, in medium prodii ad laudandum Leonem sua ipsius laude clarissimum e celeberrima Ravennatum Metropoli ortum, ubi rerum etiam Ecclesiasticarum curam sibi commissam strenue administravit.

XI. „ Defuncto autem Sabino Episcopo, „ cum in successore, qui sacerdotii munere dignus esset, investigando hujus Urbis incolę tumultuarentur, unum hunc aptissimum delegerunt B. Leonem virtutum omnium columnam, nec nomine solum illustrem, sed factis multo magis ac moribus S. Berylli Archiepiscopi nostri cathedram illustraturum. Dei enim, a quo electus fuerat, præcepta sedulo exequi studens, nullam officii partem omittebat; in primis vero assiduam pauperum curam gerebat, viduas & orphanos complectebatur. Fuit ergo ejus tempore Magus quidam Heliodorus Barbaræ Patriciæ filius verbis factisque nefandus dęmonum cooperator. Christianus quidem, & a Christianis progenitus, sed

,, ſed cum Præfecturæ adipiſcendæ deſiderio fla-
,, graret, nec eloqui auderet, ne inviſus ob
,, ambitum redderetur, Hebræum quemdam ma-
,, gicis artibus nobilem ad ſe advocans quæſivit
,, ex eo, num poſſet, quod velit efficere. Cui
,, Hebræus, ſi vis, ait, quidquid animo ſedet,
,, exequi, en tibi ſchedam offero. Abi intem-
,, peſta nocte ad Heroum (*) ſepulchra magnā
,, columnam conſcende; ibidem ſchedam in au-
,, ram diſcerpe, nec eſt pretērea, quod cures a-
,, liud; niſi cùm ad te venientem quempiam
,, conſpexeris, nihil pertimeſcas, & ſi deſcen-
,, dere te juſſerit, ne deſcēdas; mox enim ob-
,, ſequetur ille tibi, quidquid ab eo flagitaris.
,, Nec mora paruit Heliodorus, colūnam inſcen-
,, dit, ſchedam diſcerpſit, ſtatimque ejus oculis
,, ſpectandum ſe præbet Dæmon. Et quorſum
,, huc, inquit, ades o Juvenis? Et ille tua
,, cauſſa reſpondit. Tum Dæmon cervo inſi-
,, dens, ſi modo ait, Chriſtum ejuras ex animo,
,, jubeo tibi unum e famulis meis Gaſparem
,, adeſſe, qui tibi aſſiduus ſit, & obſequatur in o-
,, mnibus. Infelix vero Heliodorus, ejurato Chri-
,, ſto, deſcendit, Dæmonis dextram exoſculatur,
,, qui Gaſpare illi deſtinato, confeſtim evanuit.
,, Operæ pretium eſt autem in B. Leonis laudem
,, aliqua referre, ex iis, quæ Dæmonis ope po-
,, ſtea geſſit Heliodorus. Quodam ergo die, cum
Circen-

(*) *Heroum ſepulchra extra Steſichori portam ſita in area Eccleſiæ S. Mariæ de Annunciatione, Carmelitarum Cœnobio proxima, ubi hodie loculi, ac ſepulchrales lapides occurrunt. Magna vero columna, ea fortaſſe, in quam, dum novi Xenodochii fundamenta effoderentur, operarii inciderunt. De his ego alibi.*

Ann. Xpi. 776. „ Circensia (*) ut mos est Catanæ celebrarentur, „ Chrysim allocutus S. Leonis consobrinum, possum, inquit, si tibi cordi est, equum dare, qui „ cursu omnes antevertat coram Præfecto. Chrysis autem de magica ejus arte nihil suspicans, „ optare se dixit; statimque sistitur ipsi equus candidus, quo juvenis inscenso, cæteros omnes longo intervallo vicit, adeout „ stuperent universi, atque ipse in primis Præfectus, qui protinus milites duos mittit, qui „ equum una sessoremque ad se ducant; At equus peracto ludrico, repente ab oculis subductus est; erat quippe Dæmon; juvenis verò elinguis solus mansit.

XII. Hunc igitur ad Lucium Præfectum „ ducunt, quem ut vidit: Age, inquit, Præfectus, cede equum illum, ut in Urbem mittatur ad Augustos, neque enim decet, te equum „ tam bonum retinere, sed ad Imperatores mitti, „ ut ipsorum Circensibus inserviat. At juvenis hæc „ audiens, mente consternatus obmutuit, & carceri mancipatus est. Interim cum ad B. Leonem fama pervenisset, Præfectum adit, docetq. „ juveni illi nec atrum unquam, nec candidum „ equum fuisse, sed auctorem omnium horum esse „ Heliodorum. Quo cognito Præfectus hominem „ accersit, interrogat, an Chrysim seduxerit, equumque dederit, cumque magum illum esse pro „ certo comperisset, ac juveni imposuisse, juvenem

(*) *Ludi Circenses Catanæ in Hippodromo celebrari solebant, cujus rudera extra* Decimæ *portam olim spectabantur. De eo Cajetanus in Animadversionibus, & fusiori calamo suo loco dicemus.*

„ B. Leoni mox reddi jubet; magum verò in- *Ann. Xpi.*
„ vincula compingi. Dum autem a militibus du- 776.
„ ceretur Heliodorus, pactus cum eis auri libras
„ tres se daturum, si liber dimitteretur, lapidem e
„ via sublatum arte sua clam inauravit, & pro
„ auro dedit, liberque dimissus est; milites ad
„ Præfectum reversi, fabulamque commenti sunt;
„ Heliodorum equo sibi per magiam fabricato au-
„ fugisse, & quoniam id Præfectus, ut de mago
„ verisimile judicabat, innocentes illos pronuncia-
„ vit, & innoxios esse jussit. Ubi ergo aurum
„ quod acceperunt, penitius inspiciunt, lapidem esse
„ deprehendunt, & trutinæ impositum tres libras
„ pendere.

XIII. Talia vulgo faciens Heliodorus,
„ non Catanensem tantum Civitatem, sed & Sici-
„ liam universam conturbavit; Tanta enim erat
„ in eo vis præstigiorum, ut Simonem magum su-
„ peraret, quem Petrus, & Paulus indivisi comi-
„ tes oratione sua prostraverunt. Cum obviæ ali-
„ quando factæ essent mulieres, adstantibus impu-
„ ris sodalibus ait, quid si amici facio, ut denu-
„ dentur istæ *in* oculis omnium? Atque illico ne-
„ fariam artem adhibens, quasi fluvium præter-
„ labentem earum sensibus ostendit; adeo ut
„ velut aquam ingressuræ tunicas genua tenus
„ attollerent. Neque hæc tantum, quin Propo-
„ las etiam, emptoresque fraudavit, lapidem
„ plerumque, aut tale quid aliud, auri specie
„ porrigens, quo postmodum ad pristinam formam
„ redeunte, jacturam suam miseri, damnumque de-
„ plorabant, adeo ut nec vendere jam amplius,
„ nec emere præ inopia possent. Quæ omnia,
„ cum Heliodori fraude fieri cognoscerent,
„ eum graviter apud Præfectum accusarunt, ad-
den-

Ann. Xpi. 776. „ dentes ab eodem clarissimorum virorum filias „ amoris philtro ita percitas fuisse, ut paternis „ ædibus prosilirent, & quo vellent, & ad quoslibet convolarent. Hæc ita audiens Præfectus „ quæri jubet Heliodorum, & ad se duci, ut „ supplicio afficiat. Ceterum domi quæsitus nusquam apparuit. Cum ergo anceps animi, & „ consilii esset Præfectus relationem in hæc verba „ misit ad Imperatores.

XIV. Magnificentissimis Imperatoribus & „ Dominis nostris Lucius Præfectus. (*)

„ Æquum est Domini, quæ apud nos geruntur sacras aures vestras minime celare, sed patefacere omnia diligenter, quæ sub felici imperio vestro nobis contigerunt. Est siquidem „ in hac Civitate nostra Magus quidam Heliodorus nomine filius Barbaræ Patriciæ, adeo „ pestilens, & efficax, ut Simoni mago nihil cedat. Hic universam civitatem misere afflixit. „ Vidimus clarissimorum virorum filias ejus artibus ad philtrum incitatas paternis domibus „ exilire, ac passim pervagari; aliæ item facientes iter falsa fluminis specie objecta indecorè nudari compulit, & per siccum pulverem quasi aquam inambulare, lapidem aurum „ esse persuasit. Quin & populum ad Idololatriam „ instigavit. Præsens enim statua elementum aeris est, ne quando prorumpens Ætnæ flamma urbem incendat, quia ingens mons est „ aurisque Vulcani. Hæc sunt quæ sacris auribus suggerenda erant, Imperatores, Valete Domini nostri. XV.

(*) *Lucius hic in msto. codice Syracusano, ubi S. Leonis vitam latinè habes exaratam Proconsul dicitur. Et sane Siciliæ Præfectus Proconsulari dignitate fungebatur.*

XV. „Accepta relatione Imperatores noſtri Ann. Xpi. 776.
„ Leo, & Conſtantinus, eoque maxime indigna-
„ ti, quod Eccleſiam ipſam attentaret, Hera-
„ clidem Protocurſorem in Siciliam mittunt, e
„ veſtigio, Heliodorumque intra dies triginta
„ Conſtantinopolim perducere jubent. Vide,
„ ajunt, rem ſedulo agas; nullam ab eo cau-
„ ſam admittas, quin hic illum ſiſtas præfixo
„ die. Solvens ergo cum comitatu Heraclides,
„ ad inſulam appulit eodem menſe. Tum for-
„ te ipſo in litore obambulabat Heliodorus, &
„ nautas conſpicatus: ſalvete, inquit, fratres,
„ numquid Heliodorum quemdam quæritis? ne
„ vexamini, ego ipſe ſum, nec alium profe-
„ cto invenire eſt Heliodorum; ac certe mori
„ malim ad pedes Imperatorum, quam vivere
„ ipſis adverſis; ideo fugere nolui, cum faci-
„ le potuerim, ſed ultro vobis occurri. Quæ
„ audiens Heraclides miratus, quod ſponte oc-
„ currerit, teneri eum minime juſſit; ſed o-
„ blata ſecuritate quadam in urbem redire, ac
„ vinum, aquam, panem, & cætera neceſſaria
„ comportare. Hærente interim Heraclide, ac
„ ſubdubitante, num re vera is eſſet, quem quæ-
„ rebat: Date mihi, ait Heliodorus, ſecurita-
„ tem veſtram, & Imperatorum, faciamque, ut
„ uno die Byzantium appellatis. Admirans He-
„ raclides, triginta, inquit, dies præſtituti no-
„ bis fuerunt, & jam quindecim exacti ſunt.
„ Tum ille: quieſce igitur reliquis his diebus,
„ & cum ultimus illuxerit, ſolvemus hinc una,
„ & Byzantium illa ipſa die perveniemus, ut
„ dixi. Cui Heraclides, atqui hæc, niſi ut di-
„ xiſti, præſtiteris, demergam te in profun-
„ dum. Deinde Heliodorus: ingrediamur ergo

ſi

776. „ si libet, in balneas (*) cumque essent ingressi, jussit omnes in imam cellam descendere, vetuitque, ne Christum ullo modo nominarent; mox capita eorum in aquam depressit; quo facto repente vident se in regiæ urbis thermas translatos esse, seduloque circumspiciens Heraclides regium balneum prorsus id esse cognovit. Egressi ergo vestes suas reperiunt nullo custode intactas; profectique e vestigio ad Imperatores Heliodorum sistunt; omniaque enarrant, & quemadmodum, cum pridie Catanæ adhuc essent, Byzantium eo die pervenerunt. Quibus omnibus adeo indignati sunt Imperatores, ut ne inquirendum quidem amplius censerent; sed hominem capitali statim sententia damnari, & capite plecti præciperent.

XVI. At Heliodorus Cæsares per Christum „ obtestans, aquam saltem sibi dari petiit: dari jubent Imperatores, & quia satiari aliter bibendo non poterat, pelvim adferri: ut autem allata est, continuo in eam se projicit, & ex oculis abit cum hoc dicto: salvus sis Imperator, quære me Catanæ. Attoniti tanto prodigio Imperatores diu conticuerunt, tandemque ad se reversi, quia Catanam nominarat, Heraclidem in Siciliam redire jubent. At ille, vix ad litus iterum appulerat, cum obvius pariter fit Heliodorus: Et ne dubites, inquit, ipsum me cape, cape argentum, uno die faciam iterum, ut Byzantium attingas;

Vuu quod

(*) *Thermarum adhuc ætate nostra in Area principis Templi rudera cernimus, ex quibus illarum celebritatem licet conjicere. Earumdem meminit Cajetanus in Animadvers. hic.*

„ quod quidem Heraclides ita facturum nihil du- Ann. Xpi. 776.
„ bitans, hæsit usque ad ultimum diem in Ca-
„ tanensium Civitate. Et jam advenerat dies
„ præstituta, cum primus advolat ad portum
„ Heliodorus; insectabantur enim illum cives
„ universi, & flammis tradere cupiebant; quod
„ intuens Heraclides; absit, inquit, non decet
„ eum, in quem Reges ipsi judicium exercent,
„ ab aliis pœna mulctari. Arrepta igitur virga lau-
„ rea, Heliodorus navigiũ in mari effingit, & remi-
„ ges ad puppim proramque distribuit, viaticoque
„ omni, et si quid aliud præterea secum adve-
„ xerant illato, ultimus ipse cum Heraclide
„ ingressus est, statimque nullo impellente in
„ altum ferri maris cœpit; tum ad Navarcum:
„ ubinam sumus? inquit, & ille: in conspe-
„ ctu Rhegii respondet. Mox iterum: ubinunc
„ sumus? Ad Cotronem, inquit, & rursum
„ ubi, & ille ad Hydruntem, atque ita unius
„ diei spatio Byzantium navigarunt, cumque
„ Bucoleontem portum navis intrasset, excensio-
„ ne facta, statim evanuit.

XVII. „ Ut vero ad Heraclidis viri sui
„ conspectum e triclinio suo exiens, Stratorissa
„ Thalia, unaque cum illo vidit Heliodorum,
„ salivam ore compressam egerit, illiusque fa-
„ ciem conspergit dicens. Videte qualis hic
„ Mandrax, qui virum meum bis in Siciliam
„ navigare compulit. Excanduit hac injuria
„ Heliodorus, & feminam intuitus, nisi te,
„ inquit, infamem in Urbe hac facio, non sum
„ ego; & protinus magicis suis technis ignem
„ omnem tota Urbe extinxit. Postquam ergo
„ audierunt Imperatores, qua de causa ignis ex-
„ tinctus esset, Heliodorum fame confici jusse-
runt

Anno Xpi. 776. „ runt; at populus necari eum quantocius rogabat, quod Civitas ipsa fame vexaretur. „ Producto itaque ad Imperatores Heliodoro „ tu ne, inquit, hoc fecisti, ut civitas fame tabescat? Utique inquit Magus, & si quidem me adversus injuriam istam publicè vindicaveritis, faciam, ut ex ea ignis erumpat, alioqui enim ignem visuri non estis. Quibus verbis gravius commoti Cæsares obtruncari eum statim jubent. Sed cum dexteram sustulisset Spiculator, ut gladio ictum inferret, repente velut globi duo exilierunt, tectum bifariã diffecuerunt, elatusque inter utrumque Heliodorus abscessit, hoc repetens: Salvus sis Imperator, quære me Catanæ. Cives autem, cum egrè ferrent ad ignem usque processisse Magi præstigias, Stratonissam Thaliam in medium pertrahunt. Quid porro de ea statuerunt, supervacaneum duco commemorare; quin hæc ipsa non alia de caussa retulimus, quam ut B. Leonis virtus elucescat. Sæpe enim conatus est insanum hominem ad mentem reducere, atque ob eam rem, cum mortem illi Lucius non semel inferre pararet, dehortatus est vir Sanctus, expectans, ut resipisceret. Tantum vero absuit, ut consiliis pareret, ut Sanctum ipsum suis artibus aggredi non dubitaret.

XVIII. „ Aliquando enim, cum sacra Mysteria perageret, Ecclesiam ingressus, „ utpote Christianus, in conferta populi turba mulorum more calcibus impetere cœpit, „ partim quidem risum quibusdam movens, „ partim dolorem aliis, & indignationem. Immo jactabat etiam facturum se, ut Episcopus

cum

„ cum Presbyteris suis chorum ducens, publi- *Anno Xpi.* 776.
„ cè saltaret; quod ubi animo eum tractare,
„ sensit Leo, genibus ad aram advolutus, pre-
„ cibusque peractis ad Heliodorum festinat, ei-
„ que orarium suum in collum innectit dicens.
„ Per Christum Dominum meum nihil hìc va-
„ lebunt magicæ artes tuæ, deduxitque ad lo-
„ cum, cui nomen Achelles (*) ibique flam-
„ mis exurendum dedit; nec manum suam,
„ quæ illęsa cum orario mansit, ante subduxit,
„ quam miser ille in cineres redigeretur. Sic
„ itaque nos vir Sanctissimus præsenti ope ab
„ illius importunissimi Magi periculis eripuit:
„ Minime vero prætereundum est, quod Se-
„ natorii cujusdam viri uxori contigit, quæ
„ cum in Syracusarum metropoli sanguinis flu-
„ xu laboraret, magnisque in medicos faculta-
„ tibus impensis, sanari nusquam posset, Dei
„ admonitu ad sanctum hunc pastorem nostrum
„ Leonem contendit. Sed cum ad portam A-
„ rianam pervenisset, signumque in Ecclesia,
„ dari audiens, percontata caussam esset, obi-
„ tum cognovit divini, miraculorumque opifi-
„ cis Leonis, graduque festino properans simul
„ ac sacra ejus lipsana cum fide attigit, lethali
„ ex morbo Dei gratia statim convaluit. Sed
„ neque illud silentio tegatur, quod mirabiliter
„ gestum est a B. Leone; precibus quippe suis,
„ ac lacrymis detestandum Idolum, quod impius
Decius

(*) *Achelles locus in Urbe media situs; ex aliis enim actis Heliodorus in Urbis centro combustus, ante fores Ecclesiæ S. Mariæ. In S. Euplii græcis actis posuisse Proconsulem in Achilleo tribunal dicitur. Scheda Constantini Lascharis habent Achillium pro Achelles.*

Anno Xpi. 776. „ Decius colebat (*) (eratque in eo, quod
„ olim quidem Gentilium delubrum, nunc vero
„ venerabile fanum est SS. Martyrum quadraginta) minimo negotio disturbavit, ejusque
„ loco vivificam, ac salutarem crucem impofuit. Ut autem ad exitum veniat oratio; quoniam, ut ait Paulus, memoria justorum cum
„ laude est, & memoriale eorum in generatione, & generationem, quibus scilicet vivere
„ Christus fuit & mori lucrum. Obdormivit admirabilis Leo Præsul, ac parens noster vicesima die Februarii, sanctam, & undequaque
„ collucentem animam reddens Domino, cui
„ gloria, & imperium in sæcula sæculorum.

Hucusque Græcus Encomiastes, quem nōdiu post sanctum Pontificem vixisse, multa innunt in hac ejusdem enarratione, ut legenti patet. Ex Græcorum Menæis brevem S. Leonis vitam profert etiam Cajetanus, quam exscribimus.

XIX. *Leonem admirandis operibus, & sanctitate clarissimum Ravenna tulit. Parentes illi nobiles æquè ac pii (neque porro vulgaris homini fuit sacrarum literarum scientia) ceterumque ipsius erat vitæ puritas, & animi mentisque providentia, Ravennæ primum presbyter, deinde Catanæ, quæ tunc Ecclesia erat metropolitana in nobili Sicilia nobilis, ubi hodieque defluit Ætnæus ignis, Episcopus declaratur. Is ergo apto videlicet nomine Leo confidentis animi vir, ac luminaris instar effulgens omnes illustravit; sedulam gerens anima-*

Xxxx *rum*

(*) *Quondam Idolum hoc? Cereris celebre fanum S. Leonis precibus prostratum, cujus extant rudera, refert traditio; Cererem a Decio speciali ritu cultam nusquam legi.*

rum curam, defendens viduas, egentibusque prospiciens. Sed eo nimirum semper exarsit in hæreticos odio, tam acriter adversus impios, nunc coram disceptando, nunc scribendo se gessit, ut nemo manus cum eo conserere ausus, sine summa insignis ignominiæ nota victus afflictusque discesserit. Ita supra naturam longius evectum florere eum Dominus voluit operibus naturam ipsam excedentibus. Prius enim quum augustissimum illud egregiæ victrici martyri Luciæ templum (*) *suo elaboratum artificio poneret, Idoli simulacrum precum opera dumtaxat usus effregit. Sed ex eo in primis Thaumaturgi cognomen merito tulit, quod Heliodorum admiranda quædam per veneficia malasque artes edentem prodigia in cinerem plane redegerit. Is enim cum passim in vulgus editor miraculorum audiret, vanisque hominis imposturis illuderet, atque adeo sacrosanctam Dei Ecclesiam adoriri suis maleficiis ausus esset improbus, eum ubi e vestigio domuerat Leo, sacraque sua stola devinxerat, ingentem Urbe in media adornari pyram jubet; inde cunctas hominis imposturas, captionesque cum detexisset, collo cum arcte colligatum tenens, fornacem devocato cælitus igne, succensam ingreditur; neque vero prius inde pedem extulit, quam in cineres tandem redactus est miser. Id enimvero magnam in omnibus admirationem stuporemque excitavit; neque enim solum magnus vir exustus ab igne non fuit; sed ne sacras*

Anno Xpi. 776.

(*) *Insigne hoc S. Luciæ Templum a Leone extructum, illud fortasse, quod hodie intra Carmelitarum claustra exurgit, ac S. Leonis titulo donatur. Eo quippe loci S. Agathæ sepulchrum olim situm, ad quod Luciam, ut matri sanitatem impetraret, peregrinationem suscepisse constat.*

Ann. Xpi. 776. *cras quidem illius vestes quidquam attigit flamma. Quod sane miraculum cum ad ultimos usque fines pervasisset, inaudissentque Imperatores Leo, & Constantinus, accersiri virum sanctum ad se jubent, pedesque ipsius prebendentes obtestati sunt, pro ipsis ut precaretur. Exinde perhonorifice dimissum ad Ecclesiam suam, vitaque functum summus omnium Imperator, evocavit ad se. Jamvero hic non modo, dum viveret, operibus extitit supra naturam editis maximus, verum etiam ubi e vivis excedens terræ mandatus fuit, pluribus clarus miraculis in omnium animis vivit.*

XX. Jamvero Acta Latina prolixiori stylo exarata ab eodem Cajetano exscribuntur e m. s. codicibus Syracusano, Catanensi, ac Rhegino eruta; sed ea in compendium digesta Gallicanū exhibet Breviarium, quo & Siculi olim utebantur En illa.

„ Beatus Leo Italus in finibus Ravennatum oriundus oppido, ingenuos quidem, ac „ Christianos parentes habuit; Ipse vero a puerulo bonis operibus intentus degebat; Parentes autem ejus summopere custodiebant, ne „ ad exteras transiret nationes; ipse vero noctis silentio a patria recedens Rhegium Urbem Calabriæ petivit, permotus sanctitate Cyrilli Episcopi; a quo benigne susceptus, in „ Presbyteratus ordinem promotus est, ibique „ Sacramenta populis ministrando, verbo & exēplo cunctos jussu erudiebat Episcopi (*) Per „ idem vero tempus apud Catinam Urbem Siciliæ nominatissimam Sabinus vir sanctus habebatur

(*) *Archidiaconi etiam munere functum, alii codices Leonem perhibent, ac Cyrillo Rhegino Episcopo ministrasse.*

„ bebatur Antistes, quo ad Dominum migran- *Ann. Xpi. 776.*
„ te tota civitas indicto tridui jejunio futurum
„ Episcopum a Domino revelandum petebat.
„ Tandem singulorum mentibus inspiratum est
„ Leonem virum pontificatu dignissimum assu-
„ mendum, qui licet invitus, nimiumque relu-
„ ctans ad Episcopatum assumptus est, maxi-
„ moque cum honore Catanam deductus.

XXI. „ Erat tunc Catanæ quidam magus
„ nomine Theodorus (*) aspectu deformis, na-
„ tione Judæus, & post Simonem magum nul-
„ li in arte magica secundus; nam se atque a-
„ lios in omnes species belluarum transfigura-
„ bat: quare cum cives eum apud Constanti-
„ nopolitanum Præfectum accusassent, jussit illi-
„ co Præfectus ad se per Heraclium deduci.
„ Magus autem Heraclium cum multis a By-
„ zantio venientem lætus ad balnea invitavit,
„ sed statim per artem magicam apparuerunt in
„ balneo apud Constantinopolim, quo audito
„ Præfectus expavit, ipsumque magum decolla-
„ ri præcepit, ipse vero antequam decollaretur,
„ sitiens petiit vas aquæ, in quo submurmurans
„ ait: apud Catanam me quærite, & immer-
„ gens caput vasi, eodem momento Catanam
„ rediit. Iterum pro eo missus est Heraclius,
„ qui Catanam diebus xxx. perveniens delu-
„ sus est, & in trium horarum spatio Byzanti-
„ um, eo capto, reversus est; nam per artem
„ magicam tale navigium ille paraverat. Egre-
„ dienti autem de navi Theodoro omnis ætas,
sexus

(*) *Erratum in Magi nomine, qui & perperam Judæus dicitur, cum Barbaræ Patriciæ filius fuerit. Erratum quoque in Heraclio Protocursore, qui Heraclides vocabatur. Denique Imperator Præfectus Constantinopolitanus male appellatur.*

Anno Xpi. 775. „ sexus omnis occurrit. Uxor autem Heraclii „ cernens Theodorum, indignata dixit: o spurcissime omnium, tu tantillus atque deformis „ tantum fecisti viro meo laborem? & indignans in faciem ejus conspuit. Cui ille: Ego „ te per triduum inenarrabili opprobrio confusam cruciabo: omnemque ignem circa vicinam regionem extingui fecit, & ad posteriora pudendorum mulieris illius ignis accēsus est uberrimus, expositaque in plateis, sic „ cogente magia, ignem cunctis quasi ex fonte „ propinabat. Quare iterum Magus ducitur ad „ decollandum; sed attendens percussoris ictū, „ in dexteram ejus manicam insiluit, & per „ lævam exiens ex oculis evanuit, dicens: Evasi nuper, evasi hodie, si me vultis Catanæ „ adero, eademque hora per ministros Satanæ advectus est Catanam. Demum rediens „ B. Leoni adversare cœpit, Chrysionemque ejus „ cognatum molitus est decipere, cui dixit, „ si jubes, equum tibi dabo præ ceteris velocem; at ille annuens equum ascendit, sed „ cum ad præcipitium duci cerneret, Crucis „ se vexillo munivit, & sic equus evanuit, & „ ille sellæ insidens, pedestris lora tenens remāsit.(*) Missi illico apparitores Magum tenuerunt; quibus ille ait: dabo vobis libram auri, „ si me dimittitis, qui accipientes lapidem pro „ auro, eum non invenisse mentiti sunt; sed „ cum vellent aurum dividere, reperientes lapidem, delusi sunt.

(*) *In Mss. Græcis res aliter enarratur. Forte bis Chrysin Magus elusit.*

XXII. „ Erat tunc Catanæ delubrum summæ venerationis, in cujus summitate duo extabant simulacra staturæ prægrandis, & admirabilis pulchritudinis; nam erant indissolubili arte Magorum locata, quæ quoties ejus Prædecessores Episcopi evertere tentaverant, terra tremebat, fulgura coruscabant. Sanctus autem Præsul Leo fidei scuto munitus intrepidus ad fanum accessit, factaque oratione in quatuor scissum est partes; simulacra vero (*) in partes contrita sunt minutissimas. Fit stupor omnibus, & ingens universorum lætitia, quia Christianæ Religionis surrexisset in melius novitas. Post hæc B. Leo auram popularem perhorrescens cœpit loca secreta diligere, in quibus sibi vacans, & Deo, cum vigiliarum labore carnem suam domuit: tardus erat ad loquendum, sed ad iram tardior, promptus erat ad silendum, sed ad risum parcior. Ann. Xpi. 776.

XXXIII. „ Quodam die B. Leo ad Basilicam in honorem D. Mariæ constitutam, celebraturus processit, quò tota fere civitas convenerat; adfuit etiam Theodorus Magus cum suorum grege complicum, qui variis incantationum generibus a celebratione mysterii fidelium mentes conabatur avertere; nam adstantium vultus in multorum animalium effigies demutavit, & sic ingens cachinnus inter Missarum sollemnia diversimode exortus est. Sanctus autem Antistes non propter hoc, dimotus

(*) *Simulacra hæc duo utrumne Cereris, & Liberæ, matris, ac filiæ, quibus dicatum delubrum? Vide Cajetanum in animadversionibus ad Acta Latina.*

Ann. Xpi. 776. „ dimotus est a mysterio; nam illico flexis
„ poplitibus ad orationis arma recurrit, Magusque ille populi in medio vinctus divina
„ virtute tenebatur. Expletis itaque divinis mysteriis, Præsul perrexit ad Magum, & orarium suum intexuit in collo ejus, atque non
„ procul ab Ecclesia fossam fieri, ignemque succendi præcepit, & solo nexu contentus Orarii secum traxit Magum ad locum incendii,
„ signumque crucis incendio opposuit, & in igne Magum resupinans superastitit, nec vultum a flamma, nec ab igne manum retulit.
„ Magus tandem combustus est, & quando alii longe satis astantes, caminum vix ferre valerent, nullam tamen B. Præsul in orario,
„ nec in vestibus ignis notam contraxit, nec minus pilo nocuit, nam vultus ille angelicus integer, & ipse illæsus toto corpore apparuit.

XXIV. „ Reliquum vero vitæ suæ tempus „ solitaria sub conversatione decrevit agendū, & „ tandē febre correptus, vocatis sacerdotibus cererisq; Civitatis fidelibus, resolutione sui corporis imminere nunciavit, & sic inter omniū lamēta suorū sanctam ejus animā Angeli susceperūt, „ sepultusq: est in Monasterio suo non procul a „ Civitatis muris x. Kal. Martii. Subditur Syracusanæ fœminæ a fluxu sanguinis liberatio, quam brevitati studentes prætermittimus.

XXV. Anonimi Poetæ certè Catanensis Carmen Jambicum in S. Leonis laudem græcè extat in msto. Codice Bibliothecæ magni Monasterii S. Salvatoris Messanæ. Scriptor stylo & ætate probatur, vixit enim circa annum Christi DCCC. Carmen Græcum Augustinus Floritus socie-

societatis Jesu latinum fecit, & Cajetanus exscripsit. Hymnum quoque ex S. Josepho Siculo Hymnographo idem Cajetanus exhibet: versus hymnosque etiam cum Latinos, tum ex Græco expressos, noster Grossus profert; ex quibus S. Episcopi insignia quidem merita, ac celebritas elucent. Illud porro de Monasterio S. Leonis, cujus in Actis est mentio, subjiciam: Catanæ deducta a veteribus traditione famam dimanasse: Eremum olim sub Ætna monte duodecim fermè milliaribus ab Urbe dissitam, sub S. Leonis de Pannachio nomenclatura, a Benedictinis Monachis circa duodecimi sæculi initium ex donatione Henrici Comitis inhabitatam, Beatissimi Præsulis nostri præsentia, diuturnoque incolatu sanctificatam fuisse, eò quippe, ut populi sese tumultibus præriperet, secedens, aliquandiu quieti, ut ferunt, indulsit. At locus hic alius esse oportuit a Monasterio, quod non longe a mœnibus dicitur, in quo depositum S. Leonis corpus. Hymnographus: *S. Spiritus templum*, ait, *corpus tuum extitit Pater, & nunc quidem in divino templo, quod in Luciæ martyris gloriam, honoremque erexisti positum jacet*. Hinc idem Monasterium, & Templum s. Luciæ fuisse videtur, quod alibi etiam a sancto Episcopo extructum vidimus. *Oratorio, Temploque sanctæ Luciæ* (tradit Cajetanus) *Monasterium adjunctum crediderim, in quo suis cum Monachis Domino inserviret, quem morem sanctissimos viros, & Ecclesiæ Episcopos observasse video, in Gallia sanctum Martinum, in Italia sanctum Ambrosium, in Africa sanctum Augustinum, in Sicilia sanctos Eulalium Syracusis, & Leonem Catanæ. Assero conjecturam meam, quonam loco Templum sanctæ Luciæ, & Monasterium sancti Leonis fuerit ædificatum*

An. Xpi. 775.

Ann. Xpi. 776. *tum: Catanæ extra urbem ad septentrionem juxta Cœnobium sanctæ Mariæ Annunciatæ Ordinis Carmelitarum Ecclesia est sanctæ Luciæ, quam divi Leonis extitisse conjicio; quamquam non eadem quæ vetus, sed diruta illa, & instaurata. Certe quidem locus idem veteris instauratique Templi virtute sancti Leonis factum crediderim, ut Ecclesia, an Titulus Ecclesiæ, ad nostram usque memoriam perdurarit. Porro hæc divæ Luciæ Ecclesia extra urbem, neque a muris Catanæ, neque a mare procul, quod de Oratorio a sancto Leone condito membranæ M. S. Syracusanæ testantur. Monasterii verò, quod Oratorio proximum fuit, vestigia adhuc manent, intra claustra Cœnobii sanctæ Mariæ Annunciatæ, & ruinæ veteres ostenduntur, in quibus nostri majores Ecclesiam divo Leoni dicatam ædificarunt, monumentum Oratorii, & Monasterii eo loco a sancto Leone conditi, ut is ex sua possessione nullo unquam tempore exturbaretur.*

XXVI. Jamvero de sancti Episcopi corpore id etiam Cajetanus refert: Apud Catanenses traditionem esse: divi Leonis corpus Constantinopolim a Georgio Maniace fuisse deportatum. *Catanæ extra urbem ad Septentrionem Ecclesia est divæ Luciæ, quam supra memoravi, & in ea sepulchrum ostenditur, in quo tradunt Catanenses Corpora Ss. VV. & MM. Agathe, & Luciæ, & sancti* Leonis *Episcopi ab Exarcho Maniace donec Constantinopolim iter institueret, fuisse deposita; quorum triū depictæ imagines supra sepulchrum visuntur in pariete, qui ad septentrionem obversus est; profectumque Maniacem in Orientem ex eo loco tria sanctorum corpora secum abstulisse.* Extat hodie in sancti Nicolai de Arena sacrario ejusdem sancti os brachii argentea theca asservatum.

XXVII. Meminere sancti Leonis nostri Romanum Martyrologium die XX. Februarii in cujus notis Baronius: *Agunt*, ait, *etiam de eodem Greci in Menologio, magnorumque miraculorum effectorem prædicant*. Metaphrastes, Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Bollandus in suo Februario tom. 2. Majolus tom. 2. coll. 3. aliique. Gabriel Bucellinus Benedictini Instituti Professorem eumdem fuisse scribit. Quoniam vero de Heliodoro celebri Catanensi mago satis in sancti Leonis vita actum, nonnulla, quæ de eo penes nostros circumferuntur cives, cursim tradere non pigeat. Illum variè appellatum comperio *Theodorum* scilicet in actis Latinis, *Diodorum* a Fazello, *Leodorum* sive *Liodorum* a Silvagio, atq. ita penes vulgum audit. Hinc ab ejus nomine Elephas, Urbis Catanæ insigne, ex Ætnæo lapide effictus, quo, ut ajunt, magus ad popularium mentes eludendas utebatur, depravato etiam vocabulo *Liodorus* appellatur. Id olim simulacrum publicis Senatus ædibus incumbebat, inde terræmotu disjectum diu jacuit, hodie in Principis Templi area nobili basi substructa locatum, cui e Syenite lapide columna Hieroglifhicis notis litterata nobile vetustatis monumentum incubat. Ann. Xpi. 776.

XXVIII. Leonis mortē in annū DCCLXXXVI. rejicit Grossus, at labitur. Ultimo enim vitæ suæ anno Heliodorum magum sanctus Pontifex flammis comburendum dedit, eodemque ab Leone, & Constantino Augustis Constantinopolim evocatus, summisque honoribus affectus ad suam Ecclesiam est remissus; igitur ad annum DCCLXXIX aut sequentē summū vixit; Leoni quippe Augusto Annus DCCLXXX. vulgaris æræ quintus, & extremus Imperii fuit, post quem Constantinus, & Irenes ejus mater regno potiti diu imperarunt.

CAPUT III.

CATANA

SUB GRÆCIS IMPERATORIBUS

AB ANNO DCCLXXX. AD

SARACENORUM TYRANNIDEM.

Anno Xpi. 778. I. IMperii summâ penes Irenem Augustam devolutâ, Elpidius Siciliæ præficitur anno
781 DCCLXXXI.; qui cum nova moliri, provincialium fretus auxiliis auderet, Theodori Patricii opera fusus, pulsusque est.

Post Thaumaturgum Leonem Catanensi Ecclesiæ sanctum Serapionem præpositum nonnulli perhibent, quòd in sancti Hieronymi Martyrologio ab Acherio in suo Spicilegio edito pridie Idus Septembris Ss. *Euplii, & Serapionis Episcopi ac Magni* mentio habeatur. Quos Ferrarius in notis ad suum Martyrologium vixisse sub Constantino, & Irene tradit. Quamvis autem Beda, & Rabanus habeant: *In Civitate Cataniæ Natale Euplii*, ut Cajetanus advertit (a) nec de Serapione, & Magno aliquid innuant; Ado tamen, Maurolycus, & Galesinus scribunt: *In Sicilia Civitate Catana sanctorum Euplii, & Serapionis Confessorum*, Magnumq. reticent, ac de Episcopali Serapionis munere mentionem ingerunt nullam. Aliud sancti Hieronymi exemplar a Francisco Florentinio vulgatum Euplii & Serapionis Episcopi meminit; sed eos Martyres facit. Hinc in notis idem Florentinius Serapionem in tertium rejicit sæculum, & post Euplium Diaconum sub Diocletiano passum collocat, Euplium

(a) Tom. 2. SS. Sic.

pliumque hac die XII. Septembris memoratum ab illo neutiquam diversum credit. Ferrarius etiam laudatus in quodam Indice ad SS. Italiæ tertio Idus ejusdem mensis *Euplium*, & *Serapionem* Martyres recenset. Subdit Florentinius in codice Corbeensi, unde suum exscripsit Acherius Martyrologium, *Magni* nomen & *Julii* abundare, ac passim repeti supra alios codices; Hinc nonnisi *Euplium* & *Serapionem* esse colendos tradit. Ann. Xpi 781.

II. Sed illud negotium facessit, Serapionem circa hæc tempora Episcopum inducendo, ejus nempe a sancto Hieronymo neutiquam fieri potuisse mentionem, quum Serapion sæculo nono Hieronymo tertio effloruerint. Verùm complures in eo opere descriptos sancto Hieronymo posteriores, ut ipse Acherius advertit (1) ab aliis adjectos fuisse constat; hinc die V. Octobris Placidus Eutichius, & triginta Monachi, qui recentiores Martyres, subsignantur. *At ne ego tanquam germanum fœtum*, scribit, *integrumque eidem sancto Doctori velim id opus asserere, cum plures ipso recentiores sanctos constat diversis temporibus, tam a Clericis, quam a Monachis pro libitu fuisse adjectos, potissimè Patronos*. Similes etiam accessiones passa Bedæ, Usuardi, & Adonis Martyrologia testantur. Quod de Usuardo Cajetanus signanter docuit. Pirrus denique Euplium Diaconum, & Serapionem Confessores in an. DCCC. rejicit, quod nullius suffragio, aut testimonio probat. Cajetanus ævi incerti eosdem adstruit, sed ante Saracenos constituendos censet. In re tam dubia certè aliquid proferre non audeo, lucemque ab aliis expecto.

(1) *Præfatione ad mart. S. Hieron.*

Anno

Ann. Xpi. 785. III. Anno DCCLXXXV. Theodorus Catanensis Episcopus ejusque Diaconus Epiphanius effloruere, qui Catholicæ Romanæ Ecclesiæ operam strenuè navarunt, ac pro cultu Sanctarum Imaginum restituendo in Nicæno Concilio quammaxime adlaborarunt. Rem forte non injucundam me facturum reor, si paullo altius exordiar. Mox ut Imperii habenas Irenes tenuit, ac filium, seque liberam a factione Cæsarum vidit (Erant Cæsares viri sui Leonis nobilissimi fratres) prima illi cura fuit sublatum a Leone Stemma gemmis, ac lapidibus pretiosis distinctum Ecclesiæ restituere, tum de pace inter fideles componenda cogitare. Neque opportuna defuit occasio. Mortuo enim Paulo Patriarcha, quum de novo eligendo, multitudine congregata, sermonem Irenes instituisset, populo Tarasium acclamante, qui tunc a secretis erat, subdit Imperatrix, sese eumdem Patriarcham decernere, sed illum detrectare pertinaciter onus. Jussus hinc Tarasius, ut caussam palam exponeret, postquam multa pie, & eloquenter dixisset de Concilio Œcumenico indicendo, ut schismata ab Ecclesia tollerentur, illud attexuit: *Quod si Imperatores nostri rectæ fidei propugnatores, ut hæc mea petitio impleatur, jusserint, ego quoque consentio, vestramque electionem lubens amplector. Sin minus illud præstare nequaquam mihi possibile est, ne anathemati subjiciar.* Cunctis vero orationem hujusmodi probantibus, Concilium generale cogendum unanimi voto decernitur, inauguratusque Tarasius, libellum fidei suæ testem ad Adrianum Romanum Pontificem misit, a quo ad Ecclesiæ communionem est receptus.

IV. Sed & Irenes Augusta legatione ad eũdem Pontificẽ instituta, Constantinũ Leontinensẽ Episcopum & Dorotheum Episcopũ Neapolitanum Romã primo destinavit, ut ex Divali Epistola ad Adrianum colligitur (a) mox sequenti anno Theodori Catanensis Pontificis, ejusque Diaconi Epiphanii prudentiâ, ac dexteritate perspectâ, illis suas delegavit vices, atque Romanum Antistitem ad Concilium invitavit. Rem edocent Acta Concilii Nicεæ coacti Actione secunda; lecta enim Adriani Epistola ad Irenem, & Constantinum Augustum subditur: *Joannes magnificentissimus Logotheta dixit: Hæc noverunt, & honorabilissimi Siculi Deo amabiles Theodorus Catanentium Episcopus & qui cum eo est Reverendissimus Diaconus Epiphanius, qui locum tenet Archiepiscopi Sardiniæ. Ambo enim perjussionem piorum Imperatorum nostrorum profecti sunt Romã cum Reverendissimo Apocrisario Sanctissimi Patriarchæ nostri. Theodorus Deo amabilis Episcopus Catanæ dixit: Pio imperio jubente per honorabiles jussiones suas mittere Leonem Dei cultorem Presbyterum, qui una mecum est servus vestræ sanctitatis, simul cum pretiosa Epistola Sacratissimi domini mei, ille qui coluit sanctitatem vestram Siculorum scilicet meæ Provinciæ Strategus, misit me Romam cum pia jussione Orthodoxorum Imperatorum nostrorum.* Eadem habet Christianus Lupus in suis ad Concil. Nicænum dissertationibus.

Ann. Xpi. 786.

(a) In præfat. Conc. Nicæni

V. Præfuit Synodo Adrianus per suos legatos, duxit autem in ea Siciliæ Præsulum agmen noster Theodorus, seu veluti Metropolita, & ex legationis initæ prærogativa, aut quia ætate præ aliis enitebat, ut ex eorumdem Episco-

porum

Anno Xpi. 787. porum recensione statim in ipso Actionis primæ exordio, & ex sequentibus colligitur: Ubi inter alia hæc legimus: *Theodorus Deo amabilis Episcopus Catanæ, & qui cum eo sanctissimi Episcopi Siciliæ una cum Epiphanio Diacono Civitatis Catanæ, & locum tenente Thomæ Episcopi Sardiniæ dixerunt*. Primus porro in subscriptionibus subsignat etiam cum Actione secunda, tum reliquis, quarta Actione excepta, ubi Galato Presbyter vice *Stephani Archiepiscopi Siciliæ* inter alios Metropolitas ante Theodorum subscribit. *S*tephanus autem alibi Syracusanus Episcopus dicitur; quamvis in una *Episcopum Siciliæ* se quoque Theodorus appellet ut Grossus (*a*) & Picciolus de Jure Ecclesiæ *Siculæ* adnotarunt. Familiaris demum amicitiæ necessitudine Tarasio Patriarchæ conjunctum, atque addictissimum nostrum Pontificem ex ejusdem Concilii actis colligunt Pirrus in notitia Ecclesiæ Catanensis ac laudatus Grossus.

(*a*) Cat. Sacra §. 14.

VI. Jamvero non minora etiam de Epiphanio Diacono promenda occurrunt; Quoties enim subscribit suo etiam calculo, compositisque ad rem verbis errores, atque Hæreses convellit; quin etiam Actione sexta legenti Gregorio Neocesareæ Episcopo Acta Pseudo-Concilii Septimi Epiphanius respondet, confutationemque lectu dignam cuique articulo subtexit, ut Christianus Lupus adnotavit. Laudatorium denique sermonem ipse in Concilii fine Patribus ac Pijssimis Augustis pronunciavit, clausitque Synodum. Ex quo singularem ejus in sacris literis eruditionem, eximiamque doctrinam licet deprehendere, ut merito in *Sicula* Bibliotheca Clarissimi Mongitorii inter *S*criptores Siculos locum

cum habuerit. Sermonem ex integro referunt Acta ejusdem Concilii. *An. Xpi.* 787.

VII. Ab hoc tempore in Theodorum ejusque Successores derivatam Metropolitanã dignitatem censent Pirrus, Amicus (a) & Picciolus laudatis locis, ut Grossus advertit (b) Quamvis Picciolus paulo altius illam repetat scribens: (c) *Senserim igitur, ipso quidem initio, cum nondum fortasse Constantinopolitani Patriarchæ jus in Siculas Ecclesias radices altius egisset, solum Episcopum Catanensem Metropolitani nomine honestatum. Honori ne Agathæ celeberrimæ Virginis id tributum, non satis compertum habeo. An quod, cum in Nicæna secunda Synodo, quæ pro restituendo Sacrarum Imaginum cultu celebrata est, Theodorus Catanæ Episcopus familiam duxisse visus sit, ac plerisque in locis sic de eo scriptum reperiatur*: Theodorus, ac qui cum eo erant amabiles Siciliæ Episcopi. Sanctissimus Episcopus Siciliæ dicit. *Metropolites sit existimatus?* Sane, jam a tempore S. Leonis Thaumaturgi ea dignitate Catanenses Episcopos præfulsisse colligo ex vita ejusdem e Græcis Menæis eruta, ubi dicitur: *Catanę, quæ tunc erat Ecclesia Metropolitana in nobili Sicilia Leo Episcopus declaratur*. Idipsum latinus Encomiastes affirmat; & in vita versibus exarata eumdem Leonem Metropolitana dignum Ecclesia Vates appellat, ut liceat opinari ab avulsione Siculæ Provincię a Romana diœcesi, quæ Isaurici ævo probabilius evenit, nostris Episcopis eam obvenisse prærogativam titulotenus; idest sine suffraganeis, ut pene omnes, & Grossus ipse fatentur.

(a) Differ. de Arch. Jure Syracus.

(b) Decat. Catan. Cor. 2. mad. 3.

(c) De Jure Eccles. Sic. par. 1. cap. 26.

VIII. Pace Ecclesiæ parta, non parum res Imperii dissidia inter Irenem, & Constantinum 790.

Anno Xpi. tinum filium exorta perturbarunt, & Matri quidem abrogato dominio, Constantinus annis septē regnavit; sed ambitionis impatiens bona alioquin
797. mulier, filio per insidias capto, atque per summum nefas excecato, regiminis summâ potita, sola imperavit, ea dexteritate, ac prudentia, ut optimi probique principis partes adamussim
802. expleverit. Quinto autem post anno, & ipsa Nicephori Logothetæ insidiis appetita, ab eoque male habita, in Lesbum Insulam relegatur, ubi ærumnis confecta diem obiit.

IX. Nondiu post Saraceni Siciliæ littora frequenti excursione vexarunt, Nicephoro ra-
812. pinis, atque impietatibus dedito, nihil interim curante. Sed & Ætna mons e summo cratere ingentes ignes evomuit, adeout longinquos etiā & Carolum Occidentis Augustum fortasse in viciniis tunc agentem terrore afficeret, ut Goffridus de Viterbio in Chronico est author, cui Kircherius subscribit (a) incendium ad annum DCCCXII. referens. Sub idem tempus Pontificiam Catanæ sedem S. Severus vitæ integritate, eximiisque virtutibus illustrabat. De eo Pirrus, Cajetanus, Grossus, & Ferrarius, qui ex Græco Menologio scribunt: Sanctum Episcopum ob singularem animi moderationem, vitæque innocentiam ad Catanensem Ecclesiam vocatum, ita munus gessisse, ut vivens summam fuerit laudem assecutus, atque in cælum migrans inter Sanctos meruerit numerari. Excessit feliciter nono Kal. Aprilis anno circiter DCCCXII. apud Grecos maximè celebratus, & in Ecclesiæ suæ tabulis summa cum laude memoratus.

(a) Mundi Subter. lib. 4. tom. p. sec. p. cap. 8.

813. X. Nicephoro interim impio, ac scelesto Principe a barbaris in bello occiso, Michael Cu-

ropalotes vir strenuus, ac pius, Augustus inaugaratur, quem post biennium Leo Armenus vafer, sed militari gloria insignis excepit. Hic sacris Imaginibus atrocius bellum indixit. Sub eo Saraceni universam Siciliæ oram prædabundi excurrentes a Gregorio Insulæ tunc Præfecto auxiliaribus instructo cohibiti, quum exorta insuper tempestate ingentem etiam navium jacturam fecissent, pacis inducias postularunt, quas facile a Siculo Patricio obtinuerunt. Id totum habes ex Epistola Leonis III. PP. ad Carolũ Imperatorem, digna sane, quæ hic exscribatur, de Catana enim aliquid, ni fallor, videtur innuere. En illa. Ann. Xpi. 813.

XI. *Domino Piissimo, & Serenissimo Victori & Triũphatori filio Amatori Dei, & Domini nostri Jesu Christi Karolo Augusto Leo Episcopus Servus Servorum Dei* (a) *Tertio igitur Idus Novembris suscepimus Epistolam Gregorii Patricii Siciliensis responsum scilicet Serenitatis vestræ Epistolæ, quam illi per hominem nostrum emisimus. Vobis siquidem, pro qua causa ignoramus, Epistolam nomini vestro titulatam non emisit. Illam tamen quam nobis direxit Epistolam, de qua vobis exēplar, postquam eam legeremus, a nostro sigillo, vestræ Imperiali potentiæ dirigere petivit. Nos pro vestra satisfactione, neque eam ad legendum aperuimus, neque quod in ea continetur, cognovimus, nisi quod per illum Missum nostrum nobis in verbis direxit. Idest de illis Saracenorum Missis, cum quibus pactum confirmavit ipse Patricius in annos decem. Dicebat enim ad prædictos Missos Saracenorum: Quale nobiscum pactum facere vultis, cum ecce jam anni octoginta quinque, quod pactum nobiscum fecistis, & firmum non fuit? Im-*

(a) Tom. 9. Concil. Edit. Labca.

Ann. Xpi. 813. *mo, & Constantinus Patricius, qui ante me fuit, in decem annos pactum vobiscum firmavit, usque ad futuram octavam indictionem, sed neque pactum ipsum firmum tenuistis. Nunc autem quale vobiscum pactum faciemus, incognitum est. Ad hæc respondebant ipsi Saracenorum Missi, dicentes. Pater ipsius Amiralmumim, qui nunc apud nos regnare videtur, defunctus est, & iste relictus est parvulus, & qui fuit servus, factus est liber, & qui liber fuit, factus est Dominus, & nullum se Regem habere putabant. Sed ecce nunc, postquam omnia, quæ pater suus habuit, sibi subjecit, vult firma stabilitate hoc, quod paramus pactum servare. De Spanis vobiscum non spondemus, quia non sunt sub ditione* Regni *nostri, sed in quantum valemus, eos superare, sicut vos, & nos contra illos in mare dimicare permittimus; Et si soli nos non valemus, nos a parte nostra, & vos a parte vestra Christianorum finibus eos abjiciemus. Post hæc vero convenit illis, & confirmavere in scriptis inter se pactum in annos decem, & dedit eis Missum nomine Theopistum Notarium, & reddidit illis quantos habuit comprehensos de ipsis Saracenis, & illos Christianos, quos de suis partibus prædaverant, reddidissent. Et postquam jam dictum pactum inter se firmaverunt, & Missus ab ipso Patricio absolutus est, invenit* in Catena *unum hominem sub nimia velocitate ad* Patricium, *festinans nunciare, quod septem navigia Maurorum prædaverunt vicum unum in Regio, & duæ naves ex eis post eos ad littus exierunt vacuæ &c.*
Hæc ibi. Syracusis, aut Ennę firmasse cum Saracenis inducias Gregorium Patricium hinc colligo; Theophistus namque Notarius, inde cum illorum Legatis digressus, Catanæ nuncium invenit,

nit, qui depopulatum a Barbaris Rheginum littus significabat. Fractis nondũ post Induciarum fœderibus, ingenti manu Saraceni in Siciliam redeuntes; captâque Panormo, ac populatâ, reliquis vero finitimis populis terrore injecto per annum fermè Insulam vexarunt, sed ad propria mox tuenda in Africam evocati, magna præda onusti tandem recesserunt. *Ann. Xpi.* 820.

XII. Post Leonem Armenum conjuratione sublatum Michael Balbus Imperator sufficitur, qui Siculorum tandem precibus excitus ad cohibendos Saracenorum conatus classem sub Theodosio Duce in Siciliam mittit. Hic Venetorum etiam suppetiis fultus, Hostium naves, quæ dudum ad populandam Insulam regressæ eamdem impune vexaverant, disjecit, ingentique Barbarorum clade edita, integram de ipsis victoriam est consecutus anno DCCCXXVII. Sed Eugenii Magistri militum scelere, qui regia insignia a Michaele descifcens assumpserat, Saraceni nondũ in Siciliam evocati, sub Adelcamo Duce, Occidentalem Insulæ oram, quæ olim *Sicania* dicta, magna vi adorti, brevi ea potiuntur, ac passim per universam provinciam sese effundunt. Quo porro anno Catana sub Saracenico jugo captiva ingemuerit incertum; inter eas nihilominus urbes recensenda, quæ postremæ Barbaris cesserunt. Orientalis enim Siciliæ plaga longè post Occidentalem subacta. 827.

XIII. Anno DCCCXXVIII. Theophilus Michaelis filius regnavit. Hunc vivens Pater in Siciliam contra Saracenos direxerat; at ille munitis præsidio valido locis sub Græco adhuc Imperio se continentibus, vitata Saracenorum classe, 828.

quæ

Anno Xpi quæ longè suam superabat, Constantinopolim remeaverat, ubi mox Imperii fascibus assumptis, Iconomachorum Hæresi promovendæ præcipuè
832 intentus, Siciliæ jacturam neglexit. Hinc Barbari, Messanâ occupatâ, Panormum progressi urbem invadunt; neque unâ Siciliâ contenti Sardiniam, Cretam, aliasque Imperio subditas insulas sibi vindicant. Expeditiones sane quinque adversus Saracenos per Orientem Theophilum suscepisse Scriptores memorant, sed infelici semper exitu, ut Porphyrogeneta verbis illis prodit (a) *Nunquam pro Imperii Majestate, ac laude dignum adversus hostes trophæum erexit, &c. neque acceptam cladem resarcire unquam satis potuit.*

(a) Continuat. ad Theopha. l. 3.

841 XIV. Theophilo mortuo ad ejus filium Michaelem adhuc triennem sub Theodoræ matris religiosissimæ feminæ tutela Imperii summa delata est, cujus præcipua, ac prima cura fuit, ut pax Ecclesiæ, cultusque sacris Imaginibus redderetur. Eodem prorsus tempore Adelcamus Primus Siciliæ Princeps, seu verius Tyrannus (Amiram Saraceni vocant) decessit, ac Mahomet Bon-Abdalla in ejus locum Saracenis
846 præfuit. Sub quo Motycæ, atque Ennensis agri excidium reponit Carusius (b) Arabi Anonymi
847 Annalibus innixus circa annum DCCCXLVI. sequenti vero Leontinorum ac Ragusiæ direptio-
851 nem, quamvis Arabi etiam Chronici authoritate Ennæ casum quinto post anno sub Allaba Mahomet successore statuat Aprilis (c) nec abnuat laudatus Carusius, hæc de Allaba scribens: *E vivis sublato Mahometo Abdallæ filio anno Christi* DCCCLI. *Amira novus substituitur eodem quo Pater nomine Allabas Jacubi, & Phazare pronepos*

(b) Sic. Hist. l. 1 ex primi Tom.

(c) Sic. Chr. c. 16

Cccc c

nepos, qui memorabilem in Sicilia præfecturam effecerat magnis victoriis de Christianis reportatis, ac Ennâ præsertim captâ maximi momenti urbe Romano-Græcorum Prætorum assidua, quod monuimus, sedes, ut ex Arabibus Ismaelis Annalibus accepimus postquam Anno Christi DCCCLIV. *Buteram munitissimum Oppidum expugnaverant.* Ubi Ennam post Buteræ occupationem in Allabæ potestatem redactam quinto circiter ejus regiminis anno videtur innuere. Anno Xpi 854

XV. *Hisce,* prosequitur Carusius ibidem, *victoriis inflati Saraceni Orientales a Pachyno ad Pelorum oras peragrant, in quibus, præter Syracusas, Catinam, & Tauromenium in littore sitas, Notum urbs erat, Græcis olim Neetum, edito in monte, vallibus prealtisque rudibus circumsepta, non multum ab Hyblæo mari ac Promontorio Pachyno distans ... Ciaphejas igitur Amira successor extincti Allabæ Neetum obsidione capit, ut Anonymo placet Arabi* DCCCLXIV. *Christi anno* Quam *tamen jactarant Urbis Romano-Græci graviter ferentes brevi recuperant, post biennium iterum Saracenis oppugnantibus Urbem reddituri cum Ragusia non procul a Neeti finibus civitate, quam etiam nonnullos ante annos receperunt.* (a) Ex quibus illud inferre licet Catanam per hæc tempora Græci adhuc Imperii auspiciis subjectam in Michaelis ditione fuisse. 864

(a) In Bibl. Hist. Sic. Tom. p.

XVI. Præfuit porro ejusdem Urbis Ecclesiæ Euthymius, qui difficillimis temporibus regimen nactus, gregem sibi commissum, quammaxima dexteritate, & prudentia rexit. Illum Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitano Photio cum aliis Siciliæ Episcopis schismatis initio adhæsisse, necessitudo, quæ inter utrumque intercessit

Anno Xpi 864 cessit, clarissime evincit. Extat enim Photii ad Euthymium Epistola, quam Grossus exscribit (a), hæc habens. (a) Cat. Sac. §. 16.

Photius Patriarcha C. P. Euthymio Catanes Metropolitæ: Otium quidem suppetere mibi, ut tua narrem, deprecor, non opto; suppetere autem, ut audiam tu objecisti; Quid ergo reprehendis, quod nec ea, quæ sperabam audivi, & quod silentium in his tenui, iquibus nec aures libenter darem? Sed si propterea, quod hæc audivi, tandem subsimuli, ideo de Amicorum conceptu accusandus sum? quid facient, qui ea fecerunt, per quæ amicos libertate pro illis loquendi privaverunt, ut inimicorum linguas non solum contra se, sed etiam contra eos, qui propinqui aliquando fuerant, exacuerunt. Quid ergo facere oportet, a quo appellem? Et nobis, pro ea utinam libertatem, quam habemus, reddere, & nihil audire injucundum de te, sed omnes, qui tibi maledicunt os claudere, ad pristinum statum reddendo.

XVII. Quid hæc velint innuere, divinare vix possumus; fortasse apud Photium delatus Euthimyus, quæstus hic eidem fuerat, quod minime de objecta sibi calumnia monuerit. Hinc hisce verbis Patriarcha sese apposite excusat. Hæc autem amicitiæ consuetudo brevi disrupta est; Photii quippe intrusione, ac malitia cognita in Synodo Generali Octava, Constantinopolitana coram Apostolicis legatis celebrata,

870 Ignatio legitimo Patriarchæ adhærens Euthymius Actione secunda Photium schismatis damnavit, atque in supplici libello Patribus oblato secundus subscripsit; receptusque ad communionem, ac suo loco fuit restitutus. Interfuit dehinc tertiæ, quartæ, ac sequentibus sessionibus, ubi Ar-

chiepiscopus

chiepiscopus, & Metropolita perpetuo appellatur, ut inde colligas ea dignitate Catanensem Pontificem rite condecoratum, quum, non nisi ab Ignatio, aut Methodio ordinatos Episcopos in ea Synodo fuisse receptos ex ejusdem Actis apertissime constat, cæteros vero repulsam passos suo loco excidisse. Concilium hoc Generale octavum Adrianus II. Romanus Pontifex indixit; Basilius vero Imperator, qui Michaeli ab se occiso successit, auxilio eaque opera promovit. Sub eo variæ in Sicilia Saracenis illatæ sunt clades, sed quum novæ subinde ex Africa eorumdem copiæ quotidie in Insulam transfretarent, ac Basilius Templis extruendis, publicisque aliis operibus intenderet, Syracusæ demum post diuturnam obsidionem ab Ibraimo Siciliæ tunc *Amira* captæ, funditusque sunt deletæ, anno DCCCLXXVIII. vel ut Cajetanus contendit DCCCXXX. Quarum ruina nonnullis etiam provinciæ Civitatibus exitio fuit. Id Basilius advertens ingentem classem copiis instructam Nicephoro Phoca Duce in Siciliam transmittit, cujus opera aliquot in Calabria locis restitutis ac munitis, Tauromenium, ac reliquæ Insulæ Civitates, Catanaque cum primis Græcorum adhuc partibus studentes firmantur, adeout in spem non pauci sint adducti, fore, ut e Sicilia Barbari expellerentur.

878

880

XVIII. Euthymio interim Episcopo Antonius successerat, cujus numisma plumbeum penes Blascum Romano-Columnium olim asservatum, ut Grossus, & Blanditius testantur, hæc in antica parte præferebat: *Antonius Metropolita Catanæ*. Postica vero Crucis Signum græcis characteribus interpunctis repræsentabar, quorum

hæc

Ann. Xpi. hæc erat ſententia: *Jeſu Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti Servo Baſilio Imperatore*. Id autem Catanæ inventum, ibidemque cuſum Antonii Epiſcopi in ſede ſua per hæc tempora incolatum evincere videtur. Habes illius Ectypum apud eumdem Groſſum. (a)

(a) Cat. Sac. §.17

885 XIX. Annus DCCCLXXXV. ſancti Athanaſii Methonenſis Epiſcopi patria Catanenſis pretioſa morte conſecratus a Cajetano creditur (b) cujus acta ex Epitaphio Petri Siculi Argivorum Epiſcopi ſuo loco dabimus. Illum e Patriæ ruinis, atque occaſu veluti novum phoſphorum exortum prodit Encomiaſtes, atque a Parentibus voto obtentum, qui Saracenis Inſulam vaſtantibus Catanâ exceſſerant, atque in Peloponneſum appulerant, ubi ille Monachis accenſus, vitæ innocentia, ſanctiſque moribus adeo ſe commendavit, ut Epiſcopali munere digniſſimus communi ſuffragio habitus, Methonenſi Eccleſiæ præficeretur, quam præclaris virtutum exemplis aliquandiu illuſtravit, tandemque hoc anno ſanctiſſimè deceſſit.

(b) Tom. 2. SS. Sic.

886 XX. Baſilium Imperatorem anno Regni XIX. mortuum Leo Philoſophus excepit, Princeps literis potius, quam belli artibus addictus. Ejus circumfertur diſpoſitio de Metropolitis Eccleſiis, quam Aubertus Miræus typis edidit (c) In ea quadrageſimoquinto loco, aliis vero quadrageſimoquarto, Catanenſis Metropolita recenſetur, *cui nullus ſubeſt Thronus*. ut ibi dicitur. Hinc conjecturis agens ſcribit Caruſius: (d) *Quod quamvis potior Siciliæ pars ab infidelibus poſſideretur, Chriſtianos tamen ſubditos, neque a libera Dei cultu Barbari abſterrebant, neque ipſis impedimento erant, quominus Epiſcopos ſibi deli-*

(c) Not. Epiſcop. Orbis.

(d) Mem. Hiſt. lib. 10. Tom. p. Bibl. Hiſt. Sic.

 gerent

gerent, a quibus Christiana Fides in eorum animis firmanda, augendaque erat. Commissum sub Leone in Mamertino freto Græcos inter ac infideles navale prælium Erchembertus ejusdem ævi scriptor (*a*) literarum monumentis tradit, Saracenisque victoriam cessisse; Arabs vero Anonymus subdit Romano-Græcos excensu in Siciliam facto anno DCCCLXXXII. cum hostibus in pugnam venisse, sequenti autem ad Mylas classibus conflixisse, desideratis ex Græcis millibus circiter quinque; hinc Messanæ incolæ, ac Rhegii, littorumque, maritimis relictis locis, in remotiora, ac montana liberis, uxoribusque sublatis concessere, classis vero Græca in proximam Calabriæ oram se recepit. Anno Xpi 888

(a) In Chronico

XXI. Nondiu post subactum ab Ibraimo *Amira*, direptumque Tauromenium tradunt; an vero circa eadem tempora Barbaris cesserit etiam Catana incertum. Tauromenii casum Zonaras Leoni adscribit, qui extruendis etiam Templis in Regia urbe intentus, latè debacchandi Saracenis ansam, atque aditum præbuit: *Cum autem nautis ædificando impeditis, classis vacaret, Agarenorum classis Tauromenium vastavit, & Lemnum Insulam occupavit*. Tauromenii excidium anno DCCCXCIII complures consignant, alii vero CMII. ut Pagius advertit (*b*) Sunt, qui capto Tauromenio Græcorum in Sicilia imperium defecisse credunt; verùm Carusius ad annum usque CMLXXV. illud protrahit. In Thematibus Constantini (*c*) Syracusæ sub Basilio a Saracenis captæ dicuntur; Tauromenium vero sub Leone, subditurque: *Quotquot igitur deserta fuerunt Oppida, hæc ab impiis Saracenis detinentur; sola vero trans mare Calabria a Christianis* 890

(b) Tom. 3. Critic. ad annum 893. & 902.

(c) Them. 12. l. 2.

Anno Xpi 892 *stianis tenetur . . . post pauca : sunt autem sub Sicilia, & ejus duce urbes viginti duæ.* Ex quibus liquido apparet, Constantini tempore, dum hæc scriberet circa CMXXX. vulgaris æræ annum, totius omnino Siciliæ Barbaros dominium tenuisse. Sciohabadini Annales sub titulo Chronici Saracenico-Siculi ex Bibliotheca Escurialensi ab Invegio, & a Carusio editi contra: diu Græcos in Sicilia perstitisse, videntur innuere, urbisque Catanæ jacturam non ante annum CMLXXV. illos fecisse, clarissimè tradunt.

XXII. Tauromenio expugnato, a Græcis nihil timendum ratus, qui egrè propria tuebantur, Ibraimus, in Calabriam cum exercitu trajecit, Cosentiamque munitissimam urbem obsedit. At civibus patriam egregiè propugnantibus, Ibraimi filius occisus periit, mox ipse dysenteria correptus, e vivis etiam abiit: *Hic ultimus*, inquit Pagius (a) *fuit Regum Aglabidorum jam a sæculo circiter in Africa imperitantium; nam post ejus mortem Almahdi, qui se a Fatimida Mahometis Pseudopropheta filia exortum dicebat, Africæ dominatus est; annoque* CMX. *sese Caliphum, seu Imperatorem appellavit.* Almahdi itaque, qui & Mahadis, & Obeldalla etiam dicebatur, Africæ regno firmato, in Siciliam navigavit, diebus XL. ibidem moratus Alassanum, qui Insulæ præfecturam suo nomine gereret reliquit.

910

XXIII. Sub idem tempus Constantinus Porphyrogeneta Leonis filius, ac hæres, ejusque mater Zoes Augusta, *animadvertentes*, ut Cedrenus scribit (b) *se non pares esse bello simul, & contra Orientales, & contra Occidentales Saracenos gerendo, præsertim rupto jam etiam a Bul-*

913

(a) Tom. 3. Critic ad an. 902.

(b) In Annal. de Niceph. Phoca.

Bulgaris fœdere, pacem cum Siciliensibus Saracenis componere statuerunt; pactumque est, rem agente Eustachio Calabriæ Præfecto, ut Saracenis darentur tributi nomine quotannis Aureorum xij. millia. Quamvis Curopolate xxij. millia pacta fuisse affirmet. Interim turbæ inter Saracenos Siculos, Afrosque exortæ diu res Insulæ exagitarunt, ut Chronicon Siculum enarrat. (a) Anno CMXXXVI. Salem Siciliæ Præfectus post Alasfanum constitutus subditos sibi populos, Siculosque Christianos adeo duriter habuit, ac pessimè vexavit, ut Agrigentini jugo excusso, ejectoque Barbarorum præsidio, legatos in Orientem suppetias à Constantino, & Romano Lacapeno Imperatoribus exoratum miserint, quibus obtentis, diu *Amiræ* copiis obstitere, ac sæpius conserto prælio eas fuderunt. Defectionem aliæ, ac aliæ Siculæ civitates sequutæ usque ad annum CMXL., quo Salemo mortuo, rerum summâ *Chalil* classis Præfectus potitus Calatabellottam primo, moxque Agrigentum sibi subdidit. *Anno insequenti*, scribit laudati Chronici Author, *die* 20. *Novembris capta est Gergnet, & crevit fames, & desolatæ sunt urbes Siciliæ cum pagis ejus. Tum vero Chalil multos captivos in Africam transmisit.* Quos ille subsecutus Panormi Præfectos statuit, a quibus Insula pessimè administrata.

Anno Xpi 936 940 941

(a) Tom. 1. Bib. Hist. Sic.

XXIV. Aliquot elapsis annis Alassano Aly ab *Cali ba* Almonsore Siciliæ *Amiratus* defertur, hæreditario jure, ut ex Ascanagio Sciohabadinus in Annalibus refert, qui rebellantes sibi Siculos prælio vicit, factionisque Principes pedibus, manibusq. præcisis patibulo affixit. *Quo patrato*, inquit Chronicō Siculum, *res Siciliæ quieverunt.* Quū porro Constantinus jam ab anno CMXLIV pulso Romano, quē 947

socium

Ann. Xpi. focium Imperii adſciverat, ſolus habenas admi-
niſtrans nollet blande ſe Saracenis ſubmittere,
951 ut ſcribit Curopolate (*a*) aut pacem renovare, (a) *De Nicoph. Phoca.*
annuumque tributum intermiſſum pendere, coa-
cto idoneo exercitu, ipſique præfecto Malaceno,
claſſem in Calabriam miſit; At ducum avari-
tiam, qua ſubditos Imperii vexari inaudierant,
ut compertam habuere Saraceni, audentiores fa-
cti, conſertâ pugnâ victoriam reportarunt, mox-
que inducias petenti Conſtantino facili negotio
conceſſerunt. Induciarum nondiu poſt elapſo
956 tempore in Calabriam Barbari populabundi ir-
ruere, contra quos majoribus copiis inſtructum
Baſilium Thalaſſiarcham Conſtantinus deſtinavit.
Hic fortiter re geſta in Calabria, excenſione in
Siciliam facta, Thermas Imerenſes expugnans,
ac prope Mazaram magna edita Saracenorum
ſtragge, *Amiræ* exercitum fudit, Anno CMLVI.

958 XXV. Poſt biennium majori claſſe compa-
rata, Cabrea, & Mauro Leone ducibus, Græci
in Siciliam trajicientes hoſtium naves fugant,
quæ graviſſima exorta tempeſtate circa Inſulæ
oram obtritæ jacturam quoque ingentem patiun-
tur. *Inde cum Romanis*, ſubdit Curopolate, *fœdus
Agareni percutiunt, & pax ſervata eſt, quoad
Phocas Imperator declaratus fuit, qui nuper ele-*
963 *ctus* anno ſcilicet CMLXVIII. *graviſſimum ratus Sa-
racenis tributa pendere, Manuelem Patricium contra
ipſos mittit*. Interim Alaſſanus in Africam pro-
fectus filio Abulaſſano Siciliam adminiſtrandam
reliquerat, qui Græcorum viribus impar cum
illis congredi non eſt auſus; omnem hinc O-
rientalem Inſulæ oram Græci incurſantes, Syra-
cuſas, Leontinos, Tauromenium, aliaſque fi-
nitimas urbes primo impetu recuperant.

Eeeee His

XXVI. His confractus cladibus Abulassan in Africam auxilia a Patre postulatum misit; qui mox ingenti manu, ac plurium navium classe stipatus remeans, Græcos loco iniquo adortus ad unum obtinuit, classem indè eorumdem aggressus in anchoris stantem dissipavit anno CMLXIV. urbes, quas sibi hostes vindicaverant, subegit, paucisque post mensibus Panormi decessit eodem Abulassano successore relicto. Sub eo Rametta munitissimum oppidum omnino excisum, ac Tauromenium funditus eversum; Pax demum inter Saracenos, Græcosque firmata. Hanc satis religiosè Abulcassenus anno CMLXIX. post Fratrem Abulassanum suffectus servavit sub Joanne Zemisce, qui enecto Nicephoro Imperii Orientalis thronum annis septem magna cum gloria tenuit. Sed eo extincto, quum regimen penes duos fratres Constantini filios Basilium, & Constantinum, quos Zemisce adoptaverat, ineptos sanè ad munus gerendum juvenes remansisset, opportunam nactus occasionem, Abulcassenus belli in Siculos Christianos gerendi, totius Insulæ expugnandæ consilium iniit. *Non enim*, ait Carusius (a) *Saraceni, qui cum Adelcamo Insulam nostram invaserant, cæterique Amirę successores totius Insulæ principatum tenuerant, nisi partem Provinciæ, Sicaniam a veteribus appellatam. Et quamvis temporis decursu Syracusas primùm, Tauromenium deinde vastaverint; nihilominus in Orientali plaga Regni nondum firmaverant dominatum, ac propterea Christianorum pagos, atque oppida identidem diripiebant, ac populabantur. Verum ut cumque sese res habuerit, certissimum est duobus fratribus imperantibus Messanam, Catinam,* &

Ann. Xti. 964. 969. 975.

(a) Mem. Sicul. lib. 10. in Bib. Sic. Hist.

Ann. Xpi. 975 *& Hyblam, aliaque in Orientali ora Insulæ loca in Christianorum fuisse potestate.* Imperatorum igitur imbecillitate usus Amiras Abulcassenus Messanam primo, dehinc Catanam, & Abulam, seu ut Carusio arridet, Hyblam adortus, eas vi capit, ac Romano-Græcum in Sicilia Imperium funditus evertit.



CAPUT

CAPUT IV

CATANA
SUB SARACENIS.

(a) Bibl. Sicul. Hist. Lib. 1.

Erat annus *Egiræ* CCCLXIV. inquit in Annalibus Sciohabedinus (*a*) *inchoatus die* XXI. *Septembris, & novissimis istius anni diebus, & initio sequentis Amiras Abilcassenus Filius Alchassani Filii Aly Binabulussan paravit magnum exercitum, quo se contulit expugnaturum Civitatem Messanam, qua victa una cum Catana, & castrum Avilæ, & plura alia loca expugnavit; Misit postea in Calabriam piratas, qui post multa bella, & certamina maximâ prædâ magnoque captivorum numero onusti in Siciliam rediere*. Primus itaque Catanæ Tyrannus Abulcassenus, qui, quum ad multos annos proximas Siciliæ provincias igne, ferroque infestas reddidisset, Othoni Secundo Occidentis Imperatori sese opponere aliquando cum suis in Calabria ausus, bello victus atque in acie occisus, sævire, ac regnare desiit. *Anno* 981. *Fecit prælium Rex Otho cum Saracenis in Calabria in Civitate Cotruna, & mortui sunt ibi* 40000. *Pœnorum cum Rege eorum nomine Bulcassinus*. Hæc simplici stylo Lupus Protospata (*b*) Sciohabedinus pridie nonas Julias commissum id prælium scribit, subditque: *Postquam prædictus Amiras occisus est, Gaber filius Abilcassezi mortui ducis sine mandato, et præcepto Almoazii dominium Insulæ Siciliæ sumpsit, qui pessimus fuit Gubernator*.

Ann. Xpi. 974. — 975. — 981.

(b) In Chronico.

Pul-

Ann. Xpi.

983. II. Pulso Gabero Giafar a Calipha Amiras electus anno uno rexit, quo mortuo Abdalla ejus Frater Regimen tenuit, per quadriennium; Hunc excepit Jusuph, *qui optimus fuit*
996. *Amiras* filiumque Giafar adoptavit anno CMXCVI. Per hæc tempora Leo hujus nominis tertius Catanensis Ecclesiæ pontificatum gerebat; Subscripsit enim decreto: *Ne duo fratres duas accipiant consobrinas anno* CMXCIV. Constantinopoli edito inter Metropolitas, ut Picciolus advertit (a) pulsum hunc Leonem e Cathedra sua a Saracenis, Constantinopoli consedisse conjicio, aut nominetenus Antistitem egisse. Quamvis fortasse sub Jusupho optimo principe datam Christianis facultatem, ut sibi Pontificem eligerent, a quo salutaria monita exciperent, conjectari non
1004 incongruè possit. Quandoquidem anno MIIII. extructam S. Mariæ sub Annunciationis titulo Ecclesiam Catanæ extra Stesichori portam, Inscriptio docet in ejusdem tecti trabe vetustissimis characteribus exarata, anno MDCLXXXII. casu deprehensa, inque publicas tabulas relata: *Hoc Corpus Fabricæ, atque navis a fundamentis inceptum extitit* XXIIII. *Januarii* VII. *Indict.* MIIII. *deinde tecto completum* MIIII. XXII. *Junii. Ala vero Imaginis B. Mariæ Virginis* VIII. *Martii* MLXXX. Quæ sane indicant, Religionis exercitium non omnino a Barbaris, sub id tempus fidelibus interdictum. Epigrapham hanc, ut extat hodie, ex Archetypo diligentissimè descriptā ac publico Senatus sigillo signatam suo loco libro X. dabimus.

(a) De Jure Ecc. Sic. par. I. cap. 25.

III. Giafaro Jusuphi filio ob tyrannicum dominium inviso Al-Achem Frater successit, qui piratas, copiasque contra Christianos emisit, sub-

ditosque Imperii vexavit. Hinc contra ipsum Basilius Augustus ducere statuit, sed morte præreptus fratri Constantino curam omnem eximendæ Siciliæ a Saracenorum tyrannide reliquit. Anno igitur MXXVIII. sub Oreste Protospatario Græcorum classis instructissima in Siciliam appulit; at quum ex gravi pestilentia milites majori ex parte defecissent, Saraceni Al-Achem duce reliquos aggressi fuderunt, ac magna clade affecere, ut Cedrenus testatur. Pax inde Græcos inter & Barbaros composita, quæ sub novo etiam *Amira* Assesano firmata civilis belli in Sicilia occasio fuit. Iniquo enim animo id ferentes Saraceni Abucabum *Amiræ* fratrem concitarunt, Qui ex Africa copiis auctus Assesanum in summas compulit angustias, coegitque, ut ad Michaelem Paphlagonem Constantinopoli imperantem, ejus opem imploratum, confugeret. Adfuit cum auxiliis Leo Opus Italiæ Præfectus; qui in Insulam trajiciens Abucabum primo impetu fregit; nec diu ingens Romana Classis Georgio Maniace duce in rei militaris peritia nulli secundo partisque victoriis clarissimo Byzantio solvit, specie quidem opis ferendæ Assesano, sed verius Siciliæ recuperandæ causâ adornata; Hęc in Italiam primo, ubi subsidiarias Langobardorum, & Northmannorum legiones excepit, mox in Siciliam anno MXXXVIII. trajecit.

Ann. Xpi. 1025.
1028.
1037.
1037.
1038.

IV. Excensione facta Maniaces nullo fere impedimento Messanam sibi vindicavit; hinc Syracusis obsessis eas deditione accepit. Fratres interim Saraceni fœdere inter se percusso, suppetiis ex Africa accersitis, repellere Maniacem conabantur, contra quos movens ille, ad ea loca, quæ *Rhemata* dicebantur, prælium commisit, tan-

taque

Ann. Xpi. 1038. taque strage barbaros fudit, ut præterfluens amnis sanguine manaret, Curopalate teste (*a*) Tredecim deinde Urbes cepit, quas inter & Catana enumeratur, paulatimque progressus omnem pene sibi Insulam subegit. A majoribus accepimus, S. Georgii Ecclesiam vetustissimis Thermis Catanæ superextructam, quæ hodie majoris Tẽpli ambitu concluditur, Georgii Maniacis opus fuisse; hinc vulgaris illa opinio invaluit, maximam scilicet Catanæ Basilicam sacram olim divo Georgio fuisse, Comitemque Rogerium eidem sancto Martyri dicatam voluisse. Sed falsam omnino arguit Inscriptio illa, quæ ejusdem Ædis foribus adhærens ante annum MDCXCIII. hæc exhibebat.

(*a*) *Ad An. mun.* 6545.

Comes Rogerius tempore Urbani Papæ II. Anno Domini MXCIIII. sub Ansgerio Abate hoc Templum condi & Deo, ac Beatæ Agathæ dicari jussit. (*)

X. Illud quoque indubitatum Georgium Maniacem ex antiquissimo S. Leonis Episcopi templo, quod adhuc hodie integrum extra portam Stesichori spectamus intra Carmelitarum Cœnobium, Corpus ejusdem Sancti Pontificis, atque e proximo S. Agathæ Virginis sepulchro ejusdem exuvias sustulisse, atque Byzantium una cum aliis Sanctorum Siculorum Lipsanis ad Michaelem Imperatorem ejusque uxorem Zoem destinasse, quod Mauritius Catanensis Antistes in Epistola, quam de translatione S. Agathæ, scripsit, hisce verbis cum primis testatur. *Post multa*

(*) *Plura de hac re congerit Blanditius in ms.opusculo* de Patria S. Agathæ *contra Pirrum, qui a Rogerio Majorem Basilicam Catanensem S. Georgio dicatam asserit.*

multa annorum curricula populus Christianus suis peccatis promerentibus, Justitia Divina castigante in vindictam traditus est manibus Barbarorum, qui diruentes Ecclesias, & Civitates, totam circumquaque Provinciam suo dominio subdiderunt. Quam stragem fidelium Constantinopolitanus audiens Imperator, Exarcum, quem in bellicis rebus habebat expertissimum, vocabulo Maniacum, cum armata manu in Siciliam destinavit, qui in brevi totam peragrans insulam eam ferro, ingenioque perdomitam in ditione accepit. Qui Maniacus corpus Deo dilectæ Virginis Agathæ, cum multis aliorum Sanctorum corporibus Constantinopolim delegavit, credens Orientis Imperium, jam jamque casurum, per eorum preces, & merita posse in robur pristinum relevari. Fazellus (a) de Rebus Siculis Maniacem perduellionis insimulatum, atque e Sicilia revocatum secum eorumdem Sãctorum corpora detulisse tradit: *Qui Insula discedens Agathæ, Luciæ, aliorumque divorum quorundam corpora secum Constantinopolim Imperatori dono detulit, Urbemque Sanctissimis reliquiis ornavit*. Cajetanus denique in Animadversionibus (b) *Exportavit tum Maniaces Constantinopolim corpora SS: Virginum, & Martyrum Agathæ, & Luciæ ex scriptoribus nostris omnibus; SS. Eutichii Episcopi Syracusani, & Clementis Abbatis item Syracusani ex ms. Codicibus Ecclesiæ Syracusanæ; præterea corpus S. Leonis Episcopi Catanensis ex fama. Credimus etiam, quod ait Mauritius Episcopus, transtulisse alia corpora SS. Siculorum quæ nobis ignota. Corpus Beatæ Agathæ*, prosequitur idem Cajetanus, *ad Theodoram Augustam delatum a Maniace, collocatum est in monasterio Virginũ, cui cognomentũ S. Mariæ. Ex Constantino Lascbari in Schedis, quæ Messanæ in publico Civitatis thesauro asservantur.*

Ann. Xpi. 1038. — 1039.

(a) Dec. 2. lib. 6. cap. 2.

(b) Ad Translat. S. Agat. num. 5.

Ann. Xpi. 1040 VI. In idem tempus prodigiosa apparitio Imaginis Beatæ Mariæ Virginis in Valle Viridi sub Ætna monte incidit, de qua hæc scribit laudatus Cajetanus (a): „Cum Orientis obtineret „ Imperium Michael Paphlago, tumultuantibus „ in Sicilia inter se Barbaris Georgium Maniacem virum strenuum ad liberandam Siciliam „ ducem cum classe misit. Is ubi in Siciliam „ venit, conjunctis contra eum Saracenis prius „ dissidentibus, parem Barbarorum se viribus minime ratus, ab Salernitano Principe Guaimaro, & Landulfo Capuano duce suppetias „ petiit, a quibus nonnullæ Northmannorum „ copiæ missæ Willelmi, & Roberti ductu, inter ceteros Landulfi milites vir quidam Ligur, cui Dionysius nomen erat, proceræ admodum altitudinis, parisque corporis roboris „ advenit, qui multas ediderat in prælio Barbarorum strages, & formidabilem hostibus se „ prebuerat. Devictis Saracenis, cum Maniaces „ descriptis de spoliorum divisione legibus non „ stetisset, magna inter eum, & Northmannorum „ duces exorta est contentio, quare hi ægris animis „ abscessere. Dionysius, cum nec Northmannos sequi vellet, nec Georgio sese adjungere, „ pessimum consilium cœpit. Antrum in Ætna „ monte nactus supra virentem vallem, diruptis „ rupibus, atque anfractibus invium, ibi sceleratam vitam degere statuit; itaque ad rapinas se vertit, in viatores impetum facere, „ bonis omnibus, quoscumque posset, spoliare, „ semper humano sanguine infestas manus tenere. Verum, ita Ss. Matris gloriæ favente „ Deo, evenit, ut mense Junio Catanensis „ quidam Ægidius pius Virginis cultor illuc iter

(a) T. 2. SS. Si. de Imag. B. M

„ habiturus esset, qui ab aliquibus admonitus, *Ann. Xpi.* 1040
„ ne in crudeles Dionysii manus, si ulterius pro-
„ grederetur, incideret, progredi omnino opor-
„ tere, respondit; satis sibi in Virginis clien-
„ tela, adversus quemlibet opis esse. Nec ho-
„ minem pia fefellit opinio; Nam noctu in via
„ stricto gladio a Dionysio appetitus, adhibi-
„ tis illi frustra precibus, Deiparam tandem
„ invocat patronam suam. Adfuit statim præ-
„ sens illius auxilium; ecce enim repente ve-
„ hementissimus terræmotus coortus, & atra
„ nox luce clarissima refulsit. Ex qua vox in-
„ gens ter emissa, ter Dionysii nomen in-
„ clamavit. Attonitus ille, erecto brachio
„ gladium tenente, hærebat, nec se poterat
„ commovere; petiit tamen trepida voce, quis-
„ nam esset, qui se vocaret, quidve ab eo
„ peteret. Virgo Deipara, inquit, sum, quæ
„ ut opem Ægidio meo ferrem tuisque e ma-
„ nibus eriperem, huc descendi; remitte jam
„ ensem, & liberum viatorem sinas. Flexis tum
„ genibus latro, petita ab Ægidio venia, eum
„ dimittit; Quo profecto, cum multis lacrymis
„ precibusque Dionysius a Virgine pacem ex-
„ poscebat. Sanctissima Mater immensa luce cir-
„ cumfusa, magnaq. Angelorum multitudine sti-
„ pata, clarè se illi videndam obtulit, bonum
„ habere animum jubet; spondet, si suo dicto
„ obediens futurus esset, veniam illi a filio im-
„ petraturam; promittit omnia quamvis ardua,
„ interna jam vi commotus Latro; Tum il-
„ la hęc præcipit: Primum, ut pessimam prio-
„ ris vitæ vationem detestetur, deinde ut E-
„ remitæ habitum capiat, ac sibi templum in eo
„ loco fabricandum curet. Petiit ab ea Dio-
ny-

Anno Xpi. 1040 „ nysius, ubi, & quo pacto in ea solitudine id
„ construendum . . . . . Magistratum, & Clerum
„ advoca, insit Virgo, in hac vallem commu-
„ ni pompa conveniant, & ubi Gruum coro-
„ na visa fuerit, ibi nostra domus excitetur;
„ nec aquarum penuriam metuas, sed quo in
„ antro tot hominum effudisti sanguinem, meo
„ invocato nomine parum effodias, & fontem
„ aperies iis, qui biberint, salutarem.

VII. „ Satis jam quid facturus esset edo-
„ docto Dionysio, Virgo inter celestes choros
„ sublimis abiit; ille protinus armis, vestibus-
„ que depositis, eremiticum habitum ex lana
„ suscipit, ac ad mandata cœlestia obeunda
„ Opidum propinquius Acim petit; rem publi-
„ cè exponit, concurrunt omnes; fit solemnis
„ supplicatio, ad virentem vallem tenditur:
„ tria fermè passuum millia distabat ab Aci:
„ Ubi Grues spectantibus omnibus apparuere,
„ illico sacras preces flexis genibus incipiunt,
„ cumque Sanctissimæ Mariæ nomen ter invo-
„ cassent, aves veluti ratione præditæ suis can-
„ tibus acclamarunt, ac demum in altum evo-
„ lantes, ex oculis evanuerunt. Nec minor
„ fuit admiratio concurrentis populi, cum ad
„ tertium ligonis ictum ex arido antro fons pe-
„ rennis aquæ prosiliit, ex qua varii variis af-
„ fecti morbis convaluere. His miraculis accen-
„ sis animis inceptum Templi opus, & urgen-
„ te Dionysio, sequenti anno perfectum est.
„ At vero sabati nocte, quæ ultimam Augusti
„ Dominicam præcedit sacram Virginis diem, cum
„ Dionysius in Templo esset, Virginum chorum
„ conspexit, inter quas unam pulcherrimam
„ diademate coronatam cum filio in ulnis, quæ
omnes

,, omnes ad pilam Templi accesserunt, ac re- Ann. Xpi 1040.
,, pente ex oculis sublatæ. Illucescente die in
,, eadem pila Imago Virginis inventa. Græca
,, videbatur pictura: sedebat ceruleo velamine
,, aureis notis distincto cooperta: sanctissima Ma-
,, ter, dextera ulna Filium tenens, erecta de-
,, xtera benedicentem, sinistra manu gruem ca-
,, pit. Tres coronas aureas duo Angeli impo-
,, nebant.

VIII. Verumenimvero duo in hac Cajetani enarratione displicent. Nam primo institutam a clero, & populo Acensi sollemnem supplicationem dicit, eo ferme tempore, quo Saracenis Insulam vexantibus, locus vix erat fidelibus publicas hasce cæremonias celebrandi. Secundo Angelos triplicem coronam sustentantes Cælitum opus asserit, quum satis aliunde intuentes pictam divinitus Deiparæ, ac filii imaginem, Angelos vero hominis, & fortasse imperiti penicillo exaratos agnoscant. Jam vero de Templo Virginis, quod humili quidem schemate constructum tunc fuisse reor, hæc subdit laudatus Auctor.

IX. *Templum hoc autem magnificè extructum decoratumque a Friderico Rege, qui cum Joanne Randatii duce illac iter faciens, Virginem veneratus, a tribus Episcopis illud consecrandum curavit, cujus consecrationis cruces adhuc videntur; prædiis etiam illud magnificè donavit, caputque omnium Acis Ecclesiarum constituit. Et cum multas alias Ecclesias, tum S. Joannis ad Nemus, S. Mariæ a Scalis, & S. Luciæ Templa illi addixit. Mirum fuit, quod in illa Templi ampliatione accidit; quippe cum id dilatare vellent, paries, in quo Deiparę depictum erat simulacrum, renovandus erat;*

Anno Xpi 1040. rat; *Prius itaque tres tabellas ad illius Iconis formam depingendas curant. Sed mirum dictu, cum sero perfectæ essent, postero mane deletæ inveniebantur. Re sæpius frustra tentata, machinis protrahere murum decernunt; restitit tamen ille, nec vi ulla proferri potuit. Demum per speciem Damiano Pastori fido clienti SS. Virgo apparuit, renunciat tempus esse, protrahendi parietem fine Iconis detrimento. Ergo dum organa aptantur, & funes expediuntur, alia potentiori dextera impulsus paries, ultro nullo duce ad alium se parietem adjunxit, in dextera Templi parte.* Hæc porro recentioris, licèt, ætatis, ne exciderent memoria, huc simul congessi.

X. Maniace abeunte Græcos victoria reliquit; hinc passim Barbari eorum fuderunt acies, atque exercitu ex Africa accito omnia vastantes, tota demum Sicilia potiuntur, una excepta Messana, cujus obsidio diuturna ac memorabilis

1041. ob ingentem præsertim cladem a præsidiariis Græcis, civibusque sub Catacalo duce hostibus illatam, qua & *Amiras* Abulopharus ac pene triginta Saracenorum millia periere. Post Amiræ mortem variæ in Sicilia turbæ inter Barbaros exortæ; adeout Insulæ præfectura in minores principatus exinde divisa quampluribus invadendæ Tyrannidis aperuerit aditum. *Anno Egiræ 430. inquit* Sciohabedinus, *die tertia Octobris unusquisque seditiosorum se ipsum præfecit alicui Civitati, Portui, vel castro; inter quos Dux Abdalla filius Manuech possidebat Trapanum, & alia vicina loca; Dux vero Aly Bincema cognominatus Binibhavussi occupavit Castriennem, Agrigentum, & alia loca; Binitthamana sibi vindicavit* Catanam, *&* Syracusas, *& nonnulla alia loca.*

 Ann. Xi 1041.

loca. Egiræ an. ccccxxx. trigesimo octavo, & nono supra millesimum Vulgaris Æræ respondet; At quum *Amiratus* divisio post Assasani mortem evenerit, rectius cum Carusio (a) illam anno MXLI statuimus.

(a) De rebus Sara. lib. 10. mem. Hist. Sicul.

XI. Nec sane minores Orientali Imperio discordiæ per hæc ipsa tempora obvenerunt: Mortuo enim Michaele Paphlagone ad Michaelem alterum Calaphatum illius fratris filium sceptrum defertur, quo post menses aliquot exauthorato, Zoes Augusta regimen assumpsit; Hinc Constātinus Monomachus tertius ab eadem Zoe ad Imperialē thalamū adscitus, Augustus acclamatur; qui variis, & perniciosissimis bellis distractus, de Sicilia tuenda vix cogitavit. Saraceni ergo audentiores facti, ad occupandam Messanam; auxiliaribus copiis ex Africa accersitis, sese comparant. Qua demum subacta, Græcorum in Sicilia Imperium omnino desiit, ac Insula universa Saracenorum subiit jugum; quod nonnisi Northmannorum virtute depulit.

1042.

Humberrum Siciliæ Archiepiscopum circa idem tempus invenio S. Benedicti Monachum; vitæ sanctimonia, doctrinæ fama, multisque in Ecclesiam meritis illustrem. Hunc noster Grossus inter Catanenses Pontifices enumerat, Pirrus vero Panormitanis accenset; Sed ad Siculorum salutem ordinatum tantummodo a Romano Pontifice Lanfranchus asseruit; hinc universa Insula sibi illum vindicare, nulla vero peculiaris Ecclesia suis adscribere potest.

FINIS PRIMI TOMI.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

Magni-

S. Ge-

In-

Messala

 licta

Fol:	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
In Ep. Ded.		Aghatino	Agathino
2	2	fastus	fastos
	22	(asservari)	asservari
9	14	hujusque	hujusce
26	34	aceolas	accolas
27	*in margine*	gisc.	Hist.
32	17	Diodorus	Strabo
33	10	Bizantium	Byzantium
40	6	sed verior nec incongrua	
43	21	Sæc. XIV	Sæc. XV.
44	24	animo	animi
45	1	ubi	vel
	29	immotam	immotum
47	2	atque *adde*	Italiæ
	8	illo	illa
48	13	Gallus	Gedanus
49	5	Cataclysimus	Cataclysmus
	18	Henricus Scipio	Scipio Hẽricus
50	2 10 20	Ætnænsis	Ætnensis
54	25	abulis	fabulis
55	4	exędificasset	exędificasse
76	9	ariflas	aristas
77	12	Achaloi	Acheloi
	29	Achaloides	Acheloides
79	10	Etnæa	Ætnæa
in margine		imd.	Imp.
85	9	Raptotori	Raptori
	18	fit	sic
91	*in marg.*	Peolp.	Myth.
96	1	arquit	arguit
	9 14	Italam	Ithacam
16	19 24	Itacam	Ithacam
101	1	Apocriphis	Apocryphis
118	33	quantus:	quantusque
116	33	Daphnis	Daphnidis
124	6	fit	sit
127	31	nam	non
148	2	ortasse	fortasse
151	*deficit*	CAP. VI.	
154	7	dulcifona	dulcisona
155	11	possessionibus	passionibus

Fol.	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
167	33	choortes	cohortes
	35	tetendissient	tetendissent
168	8	ednique	denique
173	2	Seluntini	Selinuntini
	19	hobitu	habitu
174	14	Seluntinos	Selinuntinos
190	21	tuebatur	tuebantur
	22	Seluniintinos	Selinuntinos
	25 28	Seluniintinis	Selinuntinis
in margine		Athoicis	Achaicis
164	20	contigebant	contingebant
223	3	Xinphonium	Xiphonium
	15	VX	XV.
228	19	agente	agenti
239	12	Ænobarbus	Ahenobarbus
244	24	Pompei	Pompej
			& sic deinceps
250	6	e Senatu	à Senatu.
255	6	circumvenctus	circumventus
257	1	exhaurietur	exhauriretur
269	30	codicilus	codicibus
	31	factosque	fastosque
375	2	Mediobardus	Mediobarbus
380	1	evoloenti	evolventi
285	15	mammilla	mamilla
			& sic deincept
225	1	*post* Catanam *adde*	licet
331	33	Ormisda	Hormisda
			& sic deinceps
335	6	E	Et
339	28	Bizantium	Byzantium
340	3	omittens	amittens
345	*in nota ad calcem*		
		post constat, *adde*	quorum primus
350	9	Jurejurandi	Jurisjurandi
356	32	subscribendum	subscribendã
358	14	Bizantinos	Byzantinos
386	25	Hierogliphicis	Hieroglyphicis
405	14	Thalassiarcham	Talassiarcham

Leviora prudens Lector emendet.

Finis Primi Tomi.